



**Confessio ecclesiae quae est in ditione comitum  
Mansfeltiorum, qui iuniores vocantur, aduersus praecipuas  
haereses, errores & sectas eorum, qui hactenus a? Verbo Dei,  
& Confessione Augustana, siue repurgata per Lutherum  
doctrina discedunt : in qua illorum argumenta testimonijs  
Scripturae Sanctae, dictis[que] Patrum confutantur, & e?  
contrario verae sententiae sine corruptelis proponuntur ac  
defenduntur**

<https://hdl.handle.net/1874/406594>

u

2

# CONFESSIO ECCLESIAE

QVAE EST IN DITIO-  
NE COMITVM MANSFELTIO-  
RVM, QUI IUNIORES VOCANTVR,  
ADVERSVS PRAECIPVAS HAERESES,  
errores & sectas eorum, qui haecenus à verbo  
Dei, & Confessione Augustana, siue repurgata  
per Lutherum doctrina discedunt; in qua illo-  
rum argumenta testimonijs scripturae san-  
ctae, dictisque patrum confutantur, & è  
contrario verae sententiae sine  
corruptelis proponun-  
tur ac defen-  
duntur.

M. ZACHARIA PRAETORIO MANSF.

Poeta L. ministro Ecclesiae ad S. And. apud

Islebios, interprete.

IN ARCE ISLEBIENSI

Excudit Urbanus Gubisius

ANNO

M. D. LX.

APOC. III.

Quoniam seruasti uerbum meum persecutioni obnoxium, & ego te seruabo tentationis tempore, quod uenturum est in orbem uniuersum. Ecce uenio statim, tene quod habes, ne quis alius tuam accipiat coronam. Quid igitur de illis fiet, qui pertinaciter uel ultrò uel etiam admoniti defendunt errores, relinquentes quod habebant? Docet hoc antithesis, non poterunt eluctari ex tentationibus, & coronam amittent uitæ aternæ.

II. PET. III.

Quales ergo uos esse decet, expectantes & prosperantes ad diem aduentus diuini? Date operam, ut reperiimini ab eo immaculati & inculpati in quiete.

Et postea: Cauete ne cum improbis hominibus errore seducti, excidatis à uestri status certitudine. Ergo ut rectè præparemus nos ad extremum iudicium, præcipitur disciplina Ecclesiastica, & fuga secularum.

PRAECATIVNCVLA  
CVM EXHORTATIONE  
AD PIOS DOCTORES ET  
ministros Ecclesiae.

CHRISTE potens rerum, summi genitoris imago.  
In quo latuit est omnis, amorq; patris,  
Qui patris aeterni uerissima sola fateris  
Verba, quibus neq; fraus, nec dolus ullus inest.  
Qui patefecisti nobis oracula uerbi,  
Sancta tui, ueram cum pietate fidem.  
Has tibi nunc agimus tanto pro munere grates,  
Et canimus toto nomen in orbe tuum.  
Da tua sublati Ecclesia sancta quiescat  
Disidijs, in te conciliata sibi.  
In te simus idem, neq; contra sentiat ullus,  
Quam sacer in sacro codice sensus habet.  
At si quis iusto deflexit tramite ueri,  
Immemor aut fidei languidus egit opus.  
Desinat admissae uelamina necere culpa.  
Turpiq; illicitis pingere facta modis.  
Criminibus cessate pij: meditatur in omnes  
Vindictam, iactant qui maledicta Deus.  
Querite quae paci possunt seruire piorum,  
Gaudeat in ueram quisq; redire uiam:  
Nam pius alterius uitium non iactitat, imò  
Dat ueniam, frater sicubi lapsus erat.  
Sic illos moneo, carissima pectora, fratres,  
Quorum suspitio corda grauata premit.  
At Mansueti adae gladium uos stringite uerbi,  
Vincite non ferro, uincite uoce Dei

**PRÆCATIONCVLA &c.**

Vos monet ipse locus, uobis patria ipsa Lutheri,  
Virtutem tanti suadet inire uiri.

Ergo ducis Christi stantes confidite Petra,  
Quassari nulla quæ ratione potest.

Quicquid utrinq; mali, uel qui profectur amicum,  
Vel qui sese hostem prædicat esse, dabit:

Finiet ille Deus, uatis qui corpus Eliæ,  
Flammifero curru celsa sub astra tulit.

CHRISTE dator pacis, quam pacem non habet orbis,  
Fac nos circumdet pacis oliua tuæ.

ZACH. PRÆT.

# PRAEFATIO.



MANIFESTVM EST CAN-  
dide lector, multas & va-  
rias passim corruptelas  
doctrinae Christianae &  
haereticorum sectas de im-  
prouiso partim insidiose  
in Ecclesias nostras irre-  
pere partim audacter at-  
que violenter irrumpe-

re. Cum enim toris Ecclesia Dei beneficio,  
agat Halcyonia quaedam, insidiae diaboli spargentis  
hinc inde zizania, seu infrugiferum & malignum  
semen in agro diuino, minus animaduertuntur ab  
ignavis & securis auditoribus verbi, minusque ca-  
uentur. Interea tamen stertentibus atque oscitantibus  
hominibus, hostis ille & perpetuus colluctator nos-  
ter non agit cessatorem, sed vigilat & circuit tanquam  
leo rugiens, & excitat vnde quaque superbiorum ho-  
minum atque fanaticorum ingenia, qui inficiant gregem  
Dei pestilentissimis erroribus atque dogmatibus fal-  
sis, quibus tam corpora nostra quam animae in aeter-  
num exitium praecipites agantur.

Porro non absque causa nostras Ecclesias tanto-  
pere odit diabolus, videt enim eas diuina gratia, orna-  
tas & quasi scopis perpurgatas veram retinere do-  
ctrinae coelestis lucem atque puritatem, veram & in-  
corruptam doctrinae vocem sonare, vero sacramen-  
torum vsu & caeteris cultibus sincere seruatis magno-  
pere a Deo ornari, & e regno tenebrarum clementer  
liberari. Propterea fugit iam spiritus immundus &

## PRAEFATIO.

perambulauit haecenus in locis arduissimis quærens requiẽ, quam cum non inueniat, reuertitur atq; cupit redire ad eas domos, in quibus regnauit antea quam per digitum Dei & veram doctrinam expelleretur. Assumit ergo septem alios spiritus, seipso maligniores, cogitans regnum suum semel cum pudore amissum, in nostris Ecclesiis bene expurgatis, denuò erigere atque constabilire. Atque serio (quod auertat Deus) si succedat hoc negocium satanæ, quod molitur, de occupandis antiquis sedibus, multo peius de Ecclesia futurum est, quam vnquam fuit antea, sicut pulchre & euidenter nos docet Christus in parabola, Lucæ undecimo.

Fatemur autem libenter & summa demissione, dignos esse nos, meritosque supra modum, vt sectarum & errorum multipliciter nobis pœnæ infligantur, sumus enim ingrati Deo pro maximis beneficijs quibus his postremis & periculosissimis temporibus totam Germaniam euexit: deinde offendimus eum multis & grauissimis peccatis nostris, quæ sine modo cumulamur in tanta corruptione bonorum morum, disciplinæ, virtutis & honestatis.

Huic autem malo multò citius remedium inueniri potuisset, si oportunè hoc tentatum fuisset, maiori studio & seueritate sectas & hæreses oppugnantibus nobis, desinentibus item à tam nefaria tamque horribili aduersus Deum ingratitude, & deprauatos nostros mores corrigentibus. Verum quia hoc non est factum, interim corrupt. le & here  
ses

## PRÆFATIO.

ses succedere indies, & ita nunc augmentum capiunt vix vt summo labore, & contentione, infuturum è medio tolli radicibusque extirpari posse videantur. Imò fideles & p̄doctores satis sudabunt, priusquàm repurgent loca, vbi nunc Infelix lolium & steriles nascuntur auene.

Quòd autem cumulantur quotidie fanaticorum hominum opiniones, & sectæ non est mirandum tantopere.

Primum, quia cum veritas hominibus est ingrata, neque agnoscunt bonitatem DEI, solet Deus ad puniendum hoc peccatum immittere efficaces & insignes errores, vt credant homines mendacio, vt puniantur ea ipsa causa, quod veritati non credunt, sed delectantur iniustitia secundo Thess. secundo.

Secundò, necesse est crescere sectas, quia omnes ferè Principes & magistratus officium suum in hac re negligunt, sed petulantiam ingeniorum confirmant, quòd cuilibet pro suo arbitratu quamlibet falsam opinionem fingendi, licentiam permittunt.

Tertiò, pingues illi (vt Psalmus vocat) & potentes doctores, sectarum autores, summa se opera coniungunt, easdem sententias & eosdem animos mutant. Pacificè inter se viuunt, alter alterum defendit & excusat. Ac si quis maximè alterius sectam non approbat, tamen amat eum, vt ita fiat, quemadmodum vulgò Dei solet: Parce mihi, vt parcam tibi, omninè saltem, si non vis probare, idem faciam



## PRAEFATIO.

faciam & ego. Ita saepe accidit, ut hæresiarcha quispiam alterius sectam quam non probat, non tamen oppugnet, ac si aliquandiu aliquid agat, tamen non persequatur. Et de hac causa successus hæreticorum cum dolore conqueritur Dauid Propheta Psal. 17. cum inquit: Pingues eorum sunt coniuncti.

Quartò, res iam eò redijt, ut multi hoc tempore turpitudinis atque ignominiae loco habeant, voce vel scriptis opponere se falsis fratribus & sectarum autoribus, cum quidem semper in Ecclesia maximum id fuerit decus & pro vero Christianae virtutis documento celebratum.

Quintò, quid obstat quò minus hoc tempore variae nascentur hæreses, cum nullis hominibus maiores tolerandae sint contumeliae, iniuriae, maledicta, caullationes, quam ipsis illis, qui se fanaticis doctoribus opponunt, ita quidem, ut per conuictum Stoici appellentur, hoc est, duri ac præcipites, qui nihil sibi cum alijs commune volunt, quibus nihil aliorum placeat: quasi verò magna sit virtus, omni vento & afflatu falsorum dogmatum leuissimè & quidem volentes rapi atque circumferri. Deinde Clamosi nuncupantur, hoc est, iurgatores & rixatores, qui plenis labris, importunisque clamoribus ad seditionem, & tumultum hominum classicum canunt. Neque vident, quod ipsi vituperant factum, id summam nobis laudem decernere. Tolerabilius est enim & melius, Catonem in his rebus agere & Stoicum, & ad rauim vsque proclamitare, quam turpi silentio omnes fraudibus patefacere fenestras. Non enim silentio sed voce lupus reijcitur. Tacemus, quod ipsa scriptura clamores prophetarum & doctorum commendat, & e contrario  
silentium

## PRAEFATIO.

silentium adeò vituperat, vt eiusmodi Silenos & Mutos mutis canibus comparet.

Sextò, satis est fanaticis hominibus occasionum hoc tempore crescendi, quoniam formidine quadam & metu amittendæ tranquillitatis, fortunarum, gratiæ, laudis, etiam sinceri doctores propemodum omnes tacent, languide agunt, horribili temeritate atq; securitate permittunt negotium sibi ipsi & fortunæ suæ. Et quamuis inclamant nonnulli, tamen cum deserantur ab alijs turpissimè, soli non possunt tantum molem negotij suis humeris sustinere.

Septimò, etiamsi qui adhuc supersunt sinceri doctores, nec dum infecti fanaticarum opinionum veneno, tamen sunt languidi, meticulosi & animo paulò abiectiori, quàm vt veritatis causa periculum incurrere velint: quiescunt igitur, & spectatores sunt eius fabulæ cui tamen ipsi primò applaudere nolint. Sed si bona est Catastrophe alteri parti, nempe clamantibus & scriptitantibus illis: & sibi bonam esse volunt, & partem victoriæ non mediocrem suæ virtuti & constantiæ arrogant. Sin autem ( sicut sæpe bona causa per vim opprimitur ) diuersum eueniat, collum suum reducunt ex nodo, quasi nihil à se actū profitentes, & idcirco propter externam pacem alteris se dedunt, quorum iniusta est causa, contra suam conscientiam. Cum igitur aduertunt hoc hæretici, nos non simul & eadem fide vrgere propositum, animantur & in institutis falsitatibus malitiosè ac pertinaciter hærent, & subinde alias nouas comminiscuntur.

Octauò, crescunt etiam sectæ propter nouam illam tyrannidem, quæ suboritur in Ecclesia. Siquis  
non

## PRAEFATIO.

non statim approbat alterius errorem, indignationem & offensionem potentiorum incurrit, ac saepe de vita periclitatur. Hanc tyrannidem sectarum applausores stabiliunt in alijs. Et ipsi adeò non sunt ab hac tyrannide vacui, vt non possint sibi temperare, etiam cum humanissimà cum eis colloquià & actiones instituuntur. Atque ita feriunt homines, ne possint amplius liberè suam sententiam profiteri: itaque in hoc vnum omnes incumbunt, vt errores tyranni vi obrudant alijs, quod tamē (Deo iuuante) non facient perpetuò. Amen.

Hactenus causas aliquot recensuimus, quomodo breui floreat hæretici & sectæ, ex quibus perspicuum esse potest, quid tandem secuturum sit, videlicet horribilis interitus purioris doctrinæ, quam subito præter omnem expectationem amittemus, ignorantes quo tandem modo amissa sit. Nam per similes occasiones etiam Papatus creuit, cum omnibus suis corruptelis verbi & veri vsus sacramentorum falsisque cultibus. Cum enim veritas odiosa hominibus & molesta fieret, Principes indulgerent malis doctoribus ipsis inter se concordantibus, cum turpis existimaretur hæreticorum accusatio & condemnatio, & qui oppugnabant eos haberentur ludibrio, propter metum periculi nemo fanaticis resisteret, omnes sani doctores languerent, & tam spirituales & politici gubernatores tyrannicum imperiũ & coactionem in pios doctores exercerent, cum inquam hæc omnia ita vt diximus, gererentur, nihil tum facilius fuit, quam tetram formam regni pontificij

## PRÆFATIO.

tificij in vniuersum orbem inuadere. Et tamen si non defuerunt initio simplices quidam & p̄ij Paphnutij, qui pro asserenda veritate per verbū Dei diligenter & fortiter in synodis alijsque conuentibus resisterūt, tamen sauidicis aliorum dictis ita malè excepti sunt, vt discedere ab assertione bonæ causæ coacti, mendacio locum reliquerint. Similis planè nostra ætate expectanda est, & pertimescenda mutatio, nisi clementissimus Deus imminetementpestatem, pro sua ingente misericordia à nobis auertat.

Sed non idcirco vinci nos metui, & omnino prosternei oportet, sed pergendum est, & quantum possumus (Dei auxilio) dare, dandum falsis doctoribus detrimenti, pro veritate standum, non modò cum extigitur à nobis, sed quoties necessitas postulat.

Quòd vt faciamus & nos, certis quibusdam, p̄ijs & honestis causis mouemur. Primum, quia debemus amplificare gloriam Dei, quod tunc fit, cum retinetur, puritas doctrinæ, per quam solam Deus vere celebratur.

Secundò, si conuicemus ad interitum veræ doctrinæ, salui nos fieri non possumus. Salus enim vtique in mendacio, & falsa doctrina non inest.

Tertiò, magna esset turpitudine, nos puritatem doctrinæ à præceptoribus nostris hoc postremo tempore magnis molestijs, laboribus & periculis repurgatæ per nostram ignauiam, & negligentiam amittere.

Quartò,

## PRÆFATIO.

Quartò, mouent nos innumerabilia commoda, quibus in puritate doctrinæ Ecclesia fruitur: & è contrario maxima incommoda, quibus ex amissione eius Ecclesia conficiatur.

Quintò, Inexcusabilis & inhumana esset duritia, nostra nos segnitie & securitate spoliare totam nostram posteritatem summo illo thesauro verbi, quo si carendum est illis, cum præsentis & futuræ vitæ iactura tenebris errorum plus quàm Cimmerijs inuoluentur.

Sextò, piùm est & honestum, veritatem aduersus suos deprauatores confiteri & propugnare tam voce quàm scriptis, vt qui seducti sunt ab improbis, occasionem habeant, qua tanquàm filo Thesei ex variorum errorum labyrintho seipsos reducant: qui vero nondum prolapsi sunt in retia, tendiculas errorum & insidias cauere discant.

Septimò, cum in proximis Comitijs Dei beneficio Electores, Principes & Comites cæterique status imperij, vno consensu retinere se doctrinam Augustanæ confessionis, & iuuante Deo perseveraturos in ea professi sint, omnèsque sectas & hæreses à suarum ditiorum Ecclesiis exclusas velle se & damnatas prædixerint: rursus iam æquum est, priuatis alijs quibus confessionibus testari Ecclesias se vniuersam illam & publicam, tam luculenter compositam principum confessionem probare & confirmare. Et hoc pacto ex omni parte suspiciones amoueri possunt, nequis cogitet generali damnatione non impediri, quo minus in specie quædam sectæ retineantur, vel Augustanam confessionem adhiberi tanquàm velum obducendis atque tegendis aliquibus erroribus.

Octauò,

## PRAEFATIO.

Octauò, mouent nos ad publicandam hanc confessionem aduersus omnes hæreses, errores & sectas, præmia diuina, quòd promisit Deus se hoc bonum opus in hac vita corporali, & in illa æterna prolixè & copiosè remuneraturum.

Nonò, neq; ignotum est quantis plagis & pœnis Deus afficere soleat, qui per socordiam ignaniam & somnolentiam lucem doctrinæ à Deo sibi accensam deficere vel extingui sinunt.

Hiscè & similibus causis & nos doctores & ministri Ecclesiæ Christi, quàm colligit Deus in hac veteri & nobilissima ditione illustrium comitum Mansuetiorum, permoti confessionem aduersus hæreses & sectas edere easq; confutare voluimus, non eam ob eam ( cuius rei Deum testem facimus ) vt amplius Ecclesiam Iesu Christi turbemus excitatis nouis dissidijs, sed quantum fieri potest omnia sauemus. Ac proinde studuimus continere ab omnibus maledictis, criminationibus & contumeliosis iniurijs, nullius fecimus inhonestam mentionem. multò minus damnauimus vllum hominem, quasi desperantes de illorum salute. Neminem contemnimus, nemini detrahimus de sua laude vel fama. sed ex animo dolemus cum illis qui prolapsi sunt in errores, Deumque in ardentibus votis quotidie oramus, vt reducat eos in viam, vniuersim etiam consideramus imbecillitatem generis humani, & nostras infirmitates priuatim, cogitantes quàm facile possit homo labi, nisi à Deo sustentetur.

Sed fieri potest, vt in hac confessione nostra non omnia ad exactam normam egerimus, & in confutatione

## PRAEFATIO.

ratione dogmatum & argumentorum, quæ ab aduersarijs multa partim obscure, partim astute obijciuntur, non ita perspicaces & diligentes fuerimus, vti magnitudo rei postulabat: quare rogatum volumus lectorem, vt animum saltem nostrum boni consulat, & totum hoc quicquid efficere conamur, magis ex pio nostro affectu quàm ex ipso opere æstimet.

Ac si quis est, quicumque est, qui melius nos erudire potest, si candidè, & amicè nos monebit, haud grauati ei obsequentes erimus, imò & gratias agemus.

Si verò extabunt aliqui, quibus nullū est dulcius obsonum quam cauillandi & obtrecciandi audacia, & (sicut nunc est moris) suam illam rabiem in nos effundere volent, & ostendere quàm sint arguti & in faciendis conuitijs callidi, sanè responsuros nos pro auctoritate verbi diuini & ministerij nostri non negamus, sed hoc non impetrabunt à nobis, vt patientiæ & moderationis transcurso spacio, ad iracundiam & vindictæ cupiditatem confugiamus.

Postremo gratias agimus omnibus illis, qui vnq̃ ante hæc tempora & his ipsis annis vanitates & errores hæreticorum atque sectarum suis scriptis oppugnaverunt, & condemnarunt, quorum nos studium & operam, quàm vtilibus illis lacubrationibus impenderunt, hac nostra confutatione approbamus, & tanquàm bonas, vtilis, necessarias agnoscimus & optamus multorum prodire similes commentarios: Sic enim fore confidimus, vt paruo deinceps tempore tantum accipiant sectæ decrementum quantum vsq̃ huc accreuerunt, Vale.    Islebi pridie Martini, quo die

PRÆFATIO.

die ante annos 76. editus est hoc opido Mart. Lutherus, diuinus veræ Theologiæ instaurator, cuius  
(vt eodem die huius anni Vergerius scripsit)

— Gloria maior est eorum  
(Ausim dicere) qui ante nos fuerunt,  
Annis milibus, atq; bis ducentis.

Anno 1559

QVAENAM SECTÆ  
in hoc commentario  
damnentur.

Anabaptistæ.

Seruetiani.

Stancariani.

Antinomi.

Iesuitæ.

Suencofeltiani.

Sacramentarij.

Osiandrici.

Defensores liberi arbitrii.

Affertores bonorum operum ad salutem.

Largitores rerum indifferentium, seu (vt  
vocantur) Adiaphoristæ.



Stemna, uides pulcrum gestat Mansfeltius heros,  
Pulcrus est, ipsum nomen amare DEI.  
Hoc decus in nobis serua pie conditor orbis,  
Et cum principibus nos rege Christe simal.



I

# DE SECTA ANABAPTIS- TICA.



VM MVLTAE SINT ANA-  
baptistarum Sectæ, qua-  
rum singulæ suos habent, &  
varios errores, quos si re-  
censeamus omnes, non so-  
lum hic commentarius in  
voluminis modum excre-  
scet, sed fortassis etiam tæ-  
dium legentibus afferet, &

pijs auribus fastidium: idcirco insignes duntaxat eo-  
rum errores colligere, & assumptis argumentis, qui-  
bus testimonij loco ad fucandam falsitatem vtuntur,  
fanaticos homines refutare decreuimus.

Primò docent Anabaptistæ, non esse baptizan-  
dos Infantes, antequam ad annum, vt volunt non-  
nulli, duodecimum, vel ut alij, vicesimum peruene-  
runt. Ac si quis in infantia sua sit ablutus baptisma-  
te, eum denuò baptisari iubent.

Secundò, affirmant fore aliquandò, ut omnes  
impj magistratus excussi loco ac dignitate sua, tru-  
cidentur: nec vllum Christianum hominem salua  
conscientia rempublicam tenere, & negocia ciuilia  
tractare posse: & Christianos quoscunq; oportere  
tam gubernatorum consuetudine, quàm eorum le-  
gibus, iudicijs & defensione abstinere.

B

Tertiò,

## DE SECTA

Tertiò, plures vxores simul & semel habere per-  
mittunt.

## ARGVMENTA PRO STABILIENDO PRIMO ERRORE.

### PRIMVM.

*Scriptura nusquam expresse mandat baptisari Paruulos. Ergo non  
sunt baptisandi.*

### RESPONSIO.

**C**Hristus iubet baptisari omnes Gentes, Matthei  
vicesimo octauo: idèq; sine vllò ætatis discrimi-  
ne. Sunt autem & Paruuli de numero gentium: inde  
parentes cum quærunt qui pro eis in actione sacra  
fideiubeant, tali oratione vt solent, vt dicant: sibi  
Dei beneficio hominem gentilem natum esse, roga-  
re, vt eum Ecclesiæ commendent, quò toti Christiã-  
norum congregationi insertus, viuum ipsius mem-  
brum fieri possit. Rectè igitur baptisantur Infantes.  
Imò verò ea est sententiã mandati, quòd velit Chri-  
stus Infantulos baptisari.

Quòd si Gentium appellatione non sunt intelli-  
gendi Paruuli, ne Adulti quidem sunt. Neq; enim di-  
ctum est à Christo. Ite, baptisate Adultos è gentibus,  
aut cum duodecimum, vel vicesimum annum habe-  
bunt. Consequens igitur esset, vt neutris horum,  
neq; Infantibus, neq; Adultis baptismum suscipere  
liceret, imò ne mediæ quidem ætatis hominibus, vt  
pote quibus et ipsis expressum mandatum deest: atq;  
hoc

hoc pacto, si omnes ab hoc Sacramento arcerentur,  
superuacua & inutilis fuisset illius institutio.

## OBIECTIO.

*Quomodo baptismus Infantium à Christo mandatus sit, cum Augustinus libro quarto contra Donatistas, de baptismo, cap. uicesimo quarto. Item libro decimo de Genesi ad literam, cap. uicesimo tertio, baptismum dicat traditionem esse Apostolorum?*

## RESPONSIO.

Eiusmodi nimirum traditionem, quam ab ipso Christo acceperant. Non enim licuisset Apostolis, talem aliquam traditionem de baptismo paruulorum instituere aduersus mandatum Christi. Esset autem aduersaria mandato Christi traditio, si Genitium uocabulo soli Adulti intelligerentur, ut Anabaptistæ sentiunt. Simili ratione de cœna dicit Apostolus, priore ad Cor. 10. A Domino accepi, quod & tradidi uobis.

Iam si largiamur hoc, baptismum Infantium, expresso uerbo Dei demonstrari non posse (quod tamen per superiora argumenta minimè concedimus) certè alias rationes multas adducere possumus, quamobrem baptismum Paruulis negandum non esse statuamus.

Primum, quia regnum Dei non uenit cum obseruatione. Luc. 17. hoc est, non debet alligari circumstantijs personarum, locorum, temporum, ætatum. Nec baptismus igitur, qui est pars regni Christi, istis circumstantijs tenetur.

Deinde gratia Dei eadem est in omnes homi-

## DE SECTA

nes, in quacuncq; ætate, gradu, dignitate constitutos. Quare & baptismus, qui est signum gratiæ, commune Sacramentum est ad omnes; videlicet minimos, mediocres & maximos, extra suæ cuiuscq; ætatis vel dignitatis rationem.

Adhæc, Infantes vti circumcissionem potuerunt, ita etiam baptismum suscipere possunt.

Idem probatur ex dicto Christi, qui Matth. 18. Paruulorum ait esse Regnum cœlorum. Si totum Regnum habent, quid obstat, quò minus vnâ eius portionem habeant, baptismum?

Præterea quicuncq; Infantes sunt organa misericordiæ, ij iam sunt in gratia. Si sunt in gratia, quo iure baptismus eis, qui est signum gratiæ, denegabitur?

Item, Infantes baptisati, fruuntur beneficijs, quæ Christus per baptismum distribuit. Non igitur repellendi sunt. Quando enim promissiones Christi per fidem in actione baptismi apprehenduntur, irrefragabiliter hoc sequitur, ut percipiantur & utilitates seu fructus baptismi. Potest autem Spiritus sanctus pro sua omnipotentia, tam in Paruulis non interueniente auditu verbi, quàm in Adultis interueniente, fidem excitare & efficere.

Item, Vana esset vox Christi, quòd Infantium sit Regnum cœlorum, si lauacro baptismi purificari non deberent. Ostium enim cœli baptismus est, sine quo illuc perueniet nemo.

Quid quòd Infantes non sua quadam dignitate, notitia aut confessione, aut aliarum virtutum privilegio digni sunt, quibus baptismus applicetur, sed  
à Deo

à Deo declarantur idonei & digni. Sicut in octauo Psalmo generatim dicitur, Ex ore Infantium perfectisti tibi laudem: Ita etiam hinc potest Deus in Infantibus habitudinem quandam efficere, vt baptismus eorum cedat in laudem & gloriam maiestatis suæ.

Accedit eò, quòd baptismus solo verbo & mandato Dei nititur, non Paruulorum intelligentia, ratione, notitia, industria, confessione. Omnibus ergo modis baptisandi sunt.

Impium & hoc est, quòd Anabaptistæ non solum Infantibus lauacro baptismi interdiciunt, sed etiam qui semel à primo partu sunt baptisati, denuò eos baptismum suscipere iubent. Iterationem enim huius Sacramenti in eodem homine Scriptura non præcipit. Et Paulus ad Ephesios dicit, Vnum esse baptismum, vnius Ecclesiæ. Rebaptisatio item in vera Ecclesia nunquam fuit recepta. Præter hoc Ecclesia semper docuit, ne quidem ab hæreticis baptisatos, iterum baptisandos esse, & idcirco Cypriani sententia repudiata est. Denique leges Rom. Imperatorum capitali supplicio afficiunt, si quis alteri se baptismum submiserit. Neque verò vlla causa est repetendi baptismatis in hominibus Adultis. Etsi enim à Paruulis absunt hæc omnia, intelligentia, notitia, confessio, fides auditiva: tamen hæc eadem à baptismum eos abigere non possunt. Nihil enim faciunt ad integritatem baptismi, qui utique solo verbo & mandato DEI subnixus, nullam (vt ita dicamus) qualitatem spectat Infantuli: quinimò Deus præparat Infantes ad baptismum, ut sint idonei, dat eis fidem etiam sine auditu, idque per suam omnipotentiam, donat eis

## DE SECTA

remissionem peccatorum, iustitiam, salutem & vitam æternam, propter suam promissionem, baptismo annexam.

Ac, ut maximè valeat argumentum Anabaptistarum de Infantibus, eos ob defectum certarū qualitatum ac vitium tingendos nō esse: idem iam valebit de Adultis, qui sæpe parum sunt intelligentes, & vix umbram habent notitiæ & confessionis, & alioqui sunt imperiti, indigni & fidei Christianæ experes. Imò verò, si imbecillitas humana & indignitas Paruulos à baptismo reiiceret, sequeretur iam & Adultos per eadem impedimenta à communione cœnæ Dominicæ reiici posse. Placet igitur sententia Augustini, de Baptismo, contra Donatistas, lib. 3. cap. decimo quarto. Non interest, cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit, qui accipit Sacramentum: interest quidem permultum, sed ad salutis viam, verum non ad Sacramenti quæstionem. Item, eodem in loco. Fieri potest, quòd fides non integra adsit, & tamen Sacramentum Baptismi integrum sit. Si ergo imbecillitas atq; adeò absentia fidei integritatem baptismi non impedit, multò minus aliud quoddam leuius obstatulum potest: vt taceam, quòd valetudo seu debilitas corporis, liberos à parentum hæreditate non excludit, multò certè minus à bonis spiritualibus.

## SECUNDVM.

*Institutio debet præcedere baptismum. Ita enim Christus ordinat, Matth. 28. Docete omnes gentes & baptisate eos. Infantes institui non possunt. Igitur nec baptisari.*

RE

ANABAPTISTICA.  
RESPONSIO.

4

**C**Hristus eodem loco tria præcipit discipulis suis, Primum, vt doceant Gentes. Secundo, baptisent. Tercio, doceant seruare omnia quæ præceperat eis. Neq; addit signatè, vtrum antè vel post baptismũ docere debeant, multò minus affirmat, institutionẽ que fit ante baptismum, necessariam esse omnibus Genti bus in quacunq; ætate. Facile autem concesserimus, præceptum de docendo, quod fit per verbum vocale & auditu perceptibile, pro ipsis Adultis, non pro Infantibus traditum esse: quocirca utilis & approbatio ne digna est consuetudo erudiendi maiores nate ante baptismum, de præcipuis doctrinæ capitibus. Nam & in prima Ecclesia id vsitatum fuit, & hodie à nobis obseruatur. Quantum ergo ad hanc partem attinet, non litigamus cum Anabaptistis. Sed cardo disputationis nostræ in eo versatur, an necessitate quadam ineuitabili, baptismus Infantulis dari non possit, quoniam ingenijs vtuntur nondum vilius institutionis capacibus: quod cum affirmant Anabaptistæ, nos è contrario negamus, propter sequentes rationes.

Primum, in refutatione primii argumenti Anabaptistarum satis demonstratũ à nobis est, q; sint baptisandi Infantes: non igitur eos institutio impedire debet, sed etiam sine institutione idonei esse possunt non quidem per seipso, sed quod à Deo præparantur, qui alioquin etiam ex ipsis sibi perficit laudem, ut supra dictum est. Deinde & fructus baptismi sine institutione percipere Infantuli possunt. Promissio enim quæ de ipsis nominatim loquitur, non fallit, sed



## DE SECTA

sed est certissima. Paruuli etiam fidem habere possunt sine auditu uerbi, tanquam externo medio, ad apprehendendam promissionem de fructibus baptismi. Est enim omnipotens Spiritus sanctus, ut possit efficere in Infantulis fidem, etiam sine externo medio uerbi uocalis. Ac supra dictum est defectus quosdam intelligentiæ, roboris, & dignitatis in Infantibus, nihil diminuere de integritate baptismi. Item, cum Infantes sine doctrina idonei sint ad regnum cælorum, quanto magis ad baptismum, qui est tanquam aditus ad regnum illud? Item, baptismus ualet propter mandatum Christi, non propter Paruulorum scientiam, uel huic contrariam ignorantiam. E quibus omnibus manifestum est, præcedentem quasi informationem doctrinæ ipsis necessariam non esse, atq; adeo doctrinam, non esse de substantialibus (ut uulgò loquuntur) ad baptismum pertinentibus.

### TERTIVM.

*Fides est necessaria ad baptismum: quia Christus inquit Mar. 16. Qui crediderit et baptisatus fuerit, saluus erit. Paruuli autem non possunt habere fidem, quippe qui non audiunt uerbum Dei. Nec igitur baptisandi sunt.*

### RESPONSIO.

**S**piritus sanctus dupliciter fidem operatur, Aliàs mediatè, per auditum uerbi. De hoc medio loquitur Paulus, ad Romanos 10. cap. Fides ex auditu est, auditus per uerbum DEI. Aliàs immediatè, secundum omnipotentiam diuinam, qua est agens liberum, neq; alligatus est causis secundis. Et hoc modo, tam Infantibus sine medio, quàm Adultis per medium,

dium, fidem donare potest: & illam Scriptores Theologici, vocant fidem infusam, quasi extra auscultationem verbi diuini conceptam. Esto autem, vt Anabaptistæ omnipotentiam Spiritus sancti negent, & fidem infusam non agnoscant: tamen negari non potest, baptisatos Infantulos participes fieri omnium bonorum, quæ Christus promissioni suæ, baptismo annexæ, addidit. Imò dicemus amplius cum August. in lib. de baptis. cuius verba etiam repetuntur in iure Canonico. Non interest, cum de Sacramenti dignitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit, qui accipit Sacramentum. Quare integrum baptismum accipiunt infantes, etiamsi carent fide. Salutaris est autem baptismus ijs tantum, qui fidem habent, vnde ibidem Augustinus addit. Interest quidem plurimum (scilicet habere fidem in baptismo) ad salutis viam, sed nihil interest ad Sacramenti questionem. Licet etiam sic argumentari, cum infantes baptisati, promissionis quæ baptismò annexa est, compotes fiant, ea verò sine fide apprehendi nequeat: necessariò sequi, quòd habeant fidem, quæ cum non sit auscultatione verbi comparata, infunditur à Spiritu sancto, sine externa uoce. Postremò, putemus sanè, paruulos omni fide carere (quòd tamen nullo modo sentimus) attamen ipsa promissio Christi, huic Sacramento annexa, satis efficax esset ad conferendas infantibus baptisatis promissas utilitates. Cum igitur eiusmodi utilitatum non sint expertes, quare baptismi expertes fieri postulabimus?

DE SECTA  
QVARTVM.

*Baptismus est Sacramentum seu lauacrum regenerationis. Paruuli regenerari non possunt. Igitur non sunt baptisandi.*

RESPONSIO.

**S**I iuxta definitionem Anabaptistarum, regenerari significat relinquere vxorem, liberos, facultates, uagari per omnes prouincias, nusquam habere certas sedes: verum erit quod inde extruunt, paruulos regenerari non posse. Sin autem regeneratio significat, de consensu totius Scripturæ, renouationem animorum per Spiritum sanctum, successiorem uorum motuum & inclinationum, nouam facultatem, & vim deinceps secundum uoluntatem Dei cogitandi, uolendi, intelligendi, & faciendi, quæ uerè bona sunt, ut homo fiat noua creatura, quæ per omnem uitam colat Deum sanctitate, iustitia, ueritate: non dubium est & Infantes posse regenerari. Atque contumeliosum est in Spiritum sanctum, negare eandem regenerationem in Infantulis, quam profitearis eum in Adultis efficere. Est enim omnipotens, nec effectiões suas ad certa tempora, & ætates hominum astringi sinit. Iam & ipsa regeneratio pars est regni Christi. Hæc enim efficit, ut absque omni hypocritili, uerè simus ciues & populus eius regni, Io. 3. Et hoc regnum non est alligatum ullis circumstantijs, neque cum ulla uenit obseruatione Lucæ 17. Igitur nec regeneratio ad circumstantias redigenda est, personarum, locorum, temporum, horarum, ætatis, annorum, seu quascunq; alias.

QVIN.

## QVINTVM.

*Baptismus est pactum gratiæ ac misericordiæ diuinæ. Infantes nequeunt pacisci cum Deo. Ergo non sunt baptisandi.*

## RESPONSIO.

**H**Oc argumentum ideo falsum est & uanum, quia Deus gratuitum pactum seu fœdus nobiscum in baptismo inicit, modò nos recipiamus & non recusemus pactum. Ne igitur repugnemus, id tam in Paruulis quàm in Adultis ipse Deus efficere potest. De hoc baptismali fœdere, per quod homo quasi stipulatur Deo, in hunc modum loquitur prior Epistola Petri, cap. 3. quòd non sit absterisio sordium corporis, sed stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo, per resurrectionem Iesu Christi. Ac in eo loco propriè stipulatio significat talem pactiõnem, qua Deus nobis se obligat, & cui obligationi nos assentimur. Item si per Infantes Deus laudem sibi perficere potest (vt testatur octauus Psalmus) eosq; ad Regnum cœleste præparare idoneos (quemadmodum supra ostendimus) qui minus eos præparare potest, vt sint idonei ad accipiendum pactum, & ad consentiendum?

## SEXTVM.

*Infantes non ualent intelligentiâ & iudicio, spiritualia ignorant, neq; de illis quicquam iudicant. Ergo non sunt baptisandi.*

## RESPONSIO.

**H**Oc argumentum ipse Christus dissoluit, Marci decimo, cum obiurgat Discipulos, qui prohibebant

## DE SECTA

bant Infantes aditu ad eum, nimirum etiam propter ipsorum ignorantiam & indignitatem: qui defectus si non impediunt accessum ad Christū, multò minus usum baptismi. Et Christus hac obiurgatione discipulorum significat, oportere nos similes fieri simplicibus illis & nihil intelligentibus Paruulis, sicut alibi demonstrat, cum ait Matth. 18. Amen, amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut Paruuli, non ingrediemini in Regnum cœlorum. Qui ergo seipsum humiliauerit, sicut hic Paruulus, maximus est in Regno cœlorum.

## ARGVMENTA PRO ALTERO ERRORE SECTAE ANABAPTISTICAE.

### PRIMUM.

*Psalms centesimus quadragesimus nonus præcipit vindictam in Reges impios, ut constringantur catenis, & Nobiles eorum uinculis ferreis. Ergo impij Gubernatores, neq; tolerandi sunt, neq; omnino ferendi.*

### RESPONSIO.

**V**aticinium huius Psalmi non dicit de corporali coactione politicarum personarum, sed de illa spiritali, qua diuinæ veritatis præcones debellaturi sint Reges ac Principes, & quoslibet potentes in genere humano. Prædicat vindictam illam, quæ potestate diuina exercetur à docentibus, cum ducunt captiuos, atq; etiam interficiunt Principes gladio

gladio Euangelico, ut desistant ab idolatria, non confidant sua sapientia, sanctitate, aut iustitia, quò solus ille rex spiritualis in eis dominetur ac regnet Christus. De hac spirituali uindicta in regno Christi, Iesaias quoque Propheta capite undecimo vaticinatur. Percutiet, inquit, terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum occidet impium.

Huius argumenti falsitas, eò dementiæ adegit Anabaptistas in vrbe Monasteriensi, ut seditionem molirentur, qua tale aliquod imperium per orbem terrarum constituere voluerunt, in quo neque Gubernatores impij, neque alij increduli essent. Similiter huius Psalmi verbis aliorum tortis decepti Porphyrius, Libanius Sophista, Iulianus Apostata & alij plures, occasionem ceperunt, quò maiori audacia & libidine Christianam religionem, quasi hostem totius ordinis politici & suorum regiminum, labefactare & eruere niterentur.

## SECUNDVM.

In Luca cap. uicesimo secundo scriptum est. Reges gentium dominantur, & potentes uocantur Benefici. Vos autem non sic. Proinde Christiani salua conscientia ciuilem magistratum gerere non possunt.

## RESPONSIO.

Discipuli Christi ratione sua prudentiaque humana fascinati, somniabant regnum Christi esse politicum & temporale, in quo distributurus esset inter eos officia præsidentum, præfectorum, consiliariorum, & similia: quemadmodum hæc dignitates &

## DE SECTA

munera in statu politico per certos gradus conspiciuntur. Has (ut vocant) prerogatiuas, appetebant Discipuli ambitu quodam inordinato, extra vocationem: erant enim priuati homines, neque cogitabant supra vires suas esse, vtrancque gubernationem Ecclesie & Politice, cum vtilitate publica sustinere & recte administrare.

Hoc Discipulorum somnium confutans Christus, discernit suum regnum a regnis mundi, subinde repetita commonefactione, quod spirituale regnum habeat, in quo minimusquisque sit maximus, minister dominus, humilimus, potentissimus. Cum igitur ipsi sint e priuatorum numero, & sic de media plebe non oportere eos ad dominationem ciuilem aspirare, extra legitimam & ordinariam vocationem, demonstrat. Et hæc doctrina, tam ad ipsos Doctores Ecclesie, quam ad populum pertinet, ne illi vtrancque gubernationem misceant, aut illicito modo vtriusque gladii ius atque potestatem sibi uendicent.

Non autem hoc agit Christus, ut a capeffenda Republica Christianos deterreat, sed discernit hanc formam regiminis, a sua illa spirituali, ac simul edicit, ne quis sine ordinaria vocatione in politicam gubernationem irruat: imò sancitur hoc loco Magistratus ciuilis, stabiliuntur regna & regimina ciuilia, cum toto illo iudiciorum aliarumque rerum adhaerentium systemate, tanquam ordinatio diuina. Vult Christus ut Apostoli, ac deinceps omnes doctores ecclesie misam faciant Reipublice ciuilis moderationem, & gubernacula ipsi permittant, quibus ea cura peculiariter

& or

& ordinariè incumbit, considerentq; quantam ipsis negociorum molem doctrina & ministerium Ecclesiæ accumulent, cui oneri nemo sanè hominum, ut omnia rectè & vtiliter expediantur, ferendo sufficere satis queat. Sinit ergo Christus, ut Reges sint Domini in politicis Regnis, neq; uetat Potentes nunc pari Beneficos, siue illi Christiani sint, siue Ethnici, siue pij, siue impij.

Imò etiam hoc nomine Christianus bona conscientia potest esse Gubernator, quia Paulus, ad Romanos decimo tertio, Magistratum vocat diuinam ordinationem. Non igitur malè facit, qui eiusmodi vitæ conditionem accipit, quæ sit ordinatio DEI.

Et Christus, Matth. vicesimo secundo, cum præcipit dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, confirmat ordinem politicum, cum omnibus ministerijs politicis, tanquam res placentes Deo.

Christianus igitur viuens aut exercens negocia in eo statu, quo delectatur pater æternus cum filio suo Iesu Christo, non potest iniuste facere, aut sauciam inde habere conscientiam.

Paulus ad Romanos decimo tertio, amplissimo encomio Magistratum ornat. Dei, inquit, minister est, ad puniendos malos. Item, DEI minister est in tuum emolumentum, si recta iustaq; feceris. Si ergo gubernatio ministerium DEI est, ceditq; in vtilitatem societatis humanæ, quoniam modo illud, rem iniquam esse dicemus, & homine Christiano indignam?

Alio



## DE SECTA

Alio loco Scriptura nominat principes Deos, hoc est, vicem Dei gerentes & hoc eos magnificentissimo titulo cohonestat. Proinde non tantum honestum est tenere gradum politicum, sed æquum & bonum, ut quis munus publicum suscipiat, & hoc nomine suæ vocationi obtemperet.

Iesaias Propheta cap. quadragesimo nono, reges vocas Nutritios ecclesie, atq; ita personarum rerumq; aliarum, quæ ecclesie seruiunt. Loquitur autem de Christianis & pijs regibus. Nam impij & à Christiana fide alieni quomodò nutriunt & iuuant ecclesiam?

Similiter & secundus Psalmus reges hortatur, vt in timore seruiant Christo, & lætentur in tremore, & deosculentur filium. Deuteronomij cap. decimo septimo, Deus præcipit regi, vt cum sederit super solium regni sui, petat Deuteronomium à Sacerdotibus & Leuitis, & exscribi sibi curet: eumq; liberum penes se habeat ipse, & lectitet toto tempore vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & obseruare facereq; omnia verba & statuta Legis. Et Solomon Prouerb. 25. monet Reges, vt à vultu suo impietatem abigant. Inde vtiq; efficitur, quòd sit voluntas & mandatum Dei, vt omnes Gubernatores sint Christiani, & veræ religionis professores, & quod nihil æquè oderit, atq; ipsos impios Magistratus.

Item, Iosua, Dauid, Iosaphat, Iosias, Constantinus, Theodosius & alij insignes heroes & lumina imperiorum, fuerunt sanè omnes pijs, & socij eius agminis, quod Deum rectè colebat & inuocabat.

Perinde

Perinde igitur sicut homo Christianus bona conscientia officium Magistratus ciuilibis sustinere, ita etiam actiones, & negocia ciuilia, pertinentia ad officium Magistratus, exercere potest. Eius generis sunt, veram doctrinam propagare, ius dicere & sancire, quod bonum est, tueri, quod malum, punire, ferre leges & constitutiones iustas, bella gerere. Et hæc ipsorum officia & actiones, ex testimonijs Scripturæ satis constant. Nam ad suscipiendum verum cultum excitantur, Psalmo secundo, Deut. 17. & alibi: Idem declarant exempla. Nam Iosua mandauit, vt prælegeretur populo liber legis, Iosua 8. Dauid constituit Leuitas, sanitores, Musicos & Sacerdotes in templo Domini, 1. Paral. 16. Solomon officia Sacerdotum ad certa tempora, et cum certis rationibus ordinauit, 1. Paral. 17. Iosaphat aboleuit Idola, & cultus Idolatricos, ac per totum regnum Iudaicum, publicam Ecclesiarum visitationem instituit, & ad eam rem usus est opera quorundam Principum, Leuitarum, & Sacerdotum, 2. Paral. 17. Denique quid aliud sibi volunt multæ illustres sententiæ, in quibus postulat Deus à Magistratibus, ut tueantur iustitiam, defendant bonos, coerceant malos, additis simul promissionibus magnorum beneficiorum, quibus cumulatim eorum labores pensare velit, vt pernoscant, quod hæc eorum opera grata sibi habeat? Ideo in Psalmo dicitur. Tribuite ius inopi & orphano, & forte causam pauperis atq; egeni. Liberate ærumnosum & pauperem, & eripite eum de manu impij. Iesaiæ 1. Quærite iudicium, subuenite oppresso, recte iudicate pupillo, & viduæ. Prouerb. 25. Iustitia stabili-

litur solium Regis, Et Syracides inquit, Principatum hominis prudentis esse diuturnum ac solidum. Huc pertinet & vox Ieremias. Facite iudicium & iustitiam, & eripite spoliatum de manu concussoris, neque onerate peregrinum, orphanum & viduam, neque mini vim facite, nec innocentem fundite sanguinem in loco isto. Et apud Iesaiam dicitur. Ierusalem, praefectos tuos collocabo, ad faciendam iustitiam. Sunt & alia similia dicta, veluti Prouerb. 8. Per me Reges regnant, & Principes constituunt iusta. Item, per me regnant omnes Principes, & dominantur omnes Iudices terrae. Prou. 16. Diuinitio est in labijs Regis, in iudicio non aberrat os eius. Et mox subiicitur. Statera & pondus iudicia Domini sunt, & opera eius omnia libramenta staterae, hoc est, leges & statuta Principum de ponderibus, vlnis, menfuris, & similibus rebus, quae seruiunt utilitati publicae, sunt opera Dei, placentia Deo, quae & ipse conseruat, si modo congruunt cum lege Naturae & lege diuina. Vbi vero contrariae sunt legi Naturae, violentas esse, necesse est. Si legi diuinae, impias. Postremo approbat Deus & bella Magistratum, quae iuxta voluntatem Dei necessario & propter iustas causas suscipiuntur. Nam huiusmodi bella alicubi in Scriptura vocantur praelia Domini. Sic Abraham, Iosua, Dauid, & alij, bona conscientia & duxerunt exercitus, & strages ediderunt.

## TERTIVM.

Paulus in priore ad Corinthios epistola, Cap. sexto, obiurgat Corinthios, quod lites & causas suas, Magistratibus Ethnicis sequestrandas deferrent. Item, Christus, Matth. 5. praecipit, malo resistendum non esse,

esse, docetq; contrario modo, si quis accipiat alapam, in una maxilla, ob-  
uertendam esse & alteram. Ergo Christiani, legibus, iudicijs, & defen-  
sione Magistratus politici, abstinere se debent.

## RESPONSIO.

**A**postolus verè obiurgat Corinthios, quòd cau-  
sas ad iudicem ethnicum deferant, & q; ita sint  
effeueratis moribus, vt sæpe multumq; adire Magi-  
stratus necesse sit, id enim contumeliosum ostendit  
esse, & in Evangelicæ doctrinæ ignominiam fieri:  
Verum non in vniuersum adimit eis potestatem li-  
tigandi in foro, & vtendi legum subsidio, coram  
Christiano Magistratu.

## OBIECTIO.

*Christiani siue Sancti, non possunt discernere lites forenses seu  
profanas*

## RESPONSIO Pauli.

Qui minus res & causas politicas diiudicare que-  
ant, cum iudicent mundum, hoc est, omnes impios,  
videlicet per doctrinam Euangelij, quam vbiq; spar-  
gant: & iudicaturi sint in nouissimo die vnà cum  
Christo, cuius sententiam & iudicium approbabunt.

## OBIECTIO.

*Atqui iudicium illud mundi per Euangelium, est iudicium spiri-  
tuale*

## RESPONSIO.

Rectè, & proinde qui de maioribus iudicare  
possunt, multò magis possunt de minoribus, in quo  
genere sunt negocia ciuilia.

Concedimus igitur secundum doctrinam Pauli, inhonestum esse & iniustum, Christianos litigare in iudicio Ethnico, si possunt habere copiam p[ri] Magistratus, quem hoc loco Paulus designat, cum nominat sapientes fratres, idoneos ad dijudicandas causas dissidentium fratrum. Imò asseueramus, Corinthiis, & ad eorum exemplum etiam cæteris Christianis potius iniuriam accipiendam esse, quàm coram impijs decertandum.

Deinde Paulus obiurgat Corinthios, non tantum quòd coram Ethnicis litigent, sed quòd magna ex parte causas litigandi quærant iniustas, & illicito modo propter suam avaritiam, & suas cupiditates frater fratrem iudicio sistat, cum alterius detrimento. Sed non derogat ipsi potestatem agendi coram iudice Christiano, cum necessitas postulat.

### QVAESTIO.

*Sed quid faciendum est ei, qui subiectus est ditioni Principis alius Ethnici, uel alioqui Christianam Religionem non agnoscentis, neq[ue] potest habere pium Magistratum, dirimentem suam causam?*

### RESPONSIO.

Potius quàm cum ignominia Euangelij, & offuscatione aliorum, inuitet fratrem ad iudicium coram Ethnico, uel impio Magistratu, patiatur iniuriam sibi fieri, sicut antea de sententia Pauli monui, vel permittat controuersiam arbitrio sapientum fratrum.

QVAE.

## QVAESTIO.

*Quid si accersatur ab impio Domino, cuius Christianus, aut alioquin cum impius Accusator ad impium Iudicem pertrahatur?*

## RESPONSIO.

Compareat, audiat, respondeat coram utroque, cum modestia & lenitudine, neque tamen suam illam iustam causam, metu atque minis perterritus despondeat, aut ipse deprauet: Sin autem tyrannica vi oppugnabitur, pro conditione hominis Christiani ferat, dissimulet & perpetiatur, Deoque permittat vindictam. Sic enim Christus stetit coram Pilato & Herode. Sic Paulus coram impio Tribuno & Iudaeis se purgat, Act. 21 & 22. Item coram praesidibus, Festo & Felice. Act. 24. & 25. Dinique & regi Agrippae suam causam, & odij Iudeorum virulentiam exposuit. Act. 26. Nec dissimili ratione uspiam legitur, Martyres conspectum Tyrannorum horuisse, sed semper suam causam audiri, & decisionem legibus iustitiae congruentem, pronunciarum petiuerunt.

## QVAESTIO.

*Licet ne Christiano in his rebus uti subsidio impiorum Magistratum, in quibus eorum autoritas ad iustam causam obtinendam, plurimum commo- lare potest?*

## RESPONSIO.

Imò, licet. Nam & Paulus leges gentiles ad suae causae patrocinium allegavit. Cum enim flagellis cum laceraturi essent Milites, ad explorandum, quam

## DE SECTA

ob causam in eum Iudæi tam furenter proclamarent, prouocat ad ius ciuitatis Romanæ, quod uocabatur ciuem indemnatum, uirgis cœdere, Act. 22. Et postea Cæsarem appellat. Cap. 25.

## QVAESTIO.

*Multò magis ergo licebit homini Christiano, salua conscientia, pro-  
rum Magistratum legibus, iudicijs, et præsidjs uti?*

## RESPONSIO.

Maximè. Cum omnis Magistratus sit ordinatio Dei, præterea & leges eorum iudiciaq; à Deo approbentur: quare bona conscientia licet eorum opem, & auxilium implorare.

### Epilogus.

Caput igitur & summa eorum quæ hætenus disputata sunt, huc referenda est, quod solummodò fratres inter se, in foro Ethnico disceptare prohibentur. Nec aliò sententia Pauli detorqueri debet.

Quòd aut Christus Matthæi septimo, & Lucæ sexto dicit. Nolite iudicare ne iudicemini: Nolite condemnare, ne condemnemini, id intelligendum est de uindicta priuata, qua alter pro sua libidine, in propria causa, adfectat uindictam in alterum. Nullo autem modò Christus abolet aut tollit Magistratus, & eorum iurisdictionem: imò eo ipso quòd prohibet uindictam priuatam, confirmat & stabilit uindictam publicam, quam nostro nomine exercet Magistratus. Magistratus igitur bona conscientia potest exercere uindictam in manifestè contumaces, & nos eam uindictam salua conscientia rogare possumus.

Vetus

Vetus tamen est abusus præmissorum dictorū, Nam Porphyrius & alij quos supra memorauimus, homines sapientes, inde se occasionem nactos esse arbitrati sunt, hostiliter persequendi doctrinam Euangelicam, & damnandi eam, tanquam erroneam, quæ Respublicas euertat, & actiones fori prosternat.

## SEQUUNTUR ALI=

quot Causæ, per quas licet Christianis,  
tàm piorum, quàm impiorum  
Magistratum legibus & iudicijs  
vti.

Prima. Quia Magistratus est ordinatio Dei similiter eorum & officium & leges & iudicia.

Secunda. Quia Magistratus sunt Dij, hoc est, vicem obeuntes gubernationis diuinæ in terris, sedentes in loco Dei, & quasi illius personam agentes, quo fit, vt & leges & iura eorum, sint diuinæ leges, & iura, modo non aduersentur Naturalibus, & diuinitus scriptis legibus.

Tertia. Magistratus, & officium eorum, iurisq; dictio, non temerè aut frustra à Deo instituta est, quod vtiq; affirmare quis auderet, si vsus non esset concessus?

Quarta. Ipsa vitæ ratio & necessitas exigit, vt pro conferuanda pace, disciplina, virtute & honestate, Magistratu & huius iure ac legibus vtamur: nam sine his rebus societas humana valere atq; subsistere non potest.

Quina



## DE SECTA ANA

Quinta. Christus iubet dare quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & ipse pro se & Petro dat pensionem. Paulus quoque ad Romanos decimo tertio vult, Magistratui dari honorem, timorem, tributum, & vectigalia. Hæc omnia frustra fierent, nisi integrum nobis esset, ipsorum opem implorare.

Sexta. Utile est & bonum, habere Magistratum, illorum ope, & legibus uti, & sic potentia ipsorum nervos subministrare, contribuendis pecunijs & facultatibus. Eo enim pacto bonorum defensionem adiuvamus, & pœnas improborum promouemus. Et hoc Paulus insinuat, ad Rom. 13. dum ait. Propter hoc enim & vectigalia persoluitis.

Septima. Omnia præcepta Dei, & Scripturæ testimonia de officio Magistratus, & de obedientia illis exhibenda, frustra essent tradita, si vsus rerum politicarum nobis esset interdictus.

## OBIECTIO.

*Haec cause valent apud eos, qui sunt Christiani, & ubi sunt Christiana Respublica. Quomodo autem erudicimus eos, quibus agnitio uerbi nondum patefacta est?*

## RESPONSIO.

Gentiles Magistratus habent argumenta huius sententiæ, extructa ex notitijs naturalibus, & firma cõsequentia demonstrationum seu apodixenon comunita, de quibus cogitantes, intelligunt necessariam esse & utilem generi humano suam stationem, & labores publicos. Itidem & populus gentilis ipsdem rationibus conuincitur, vt statuere cogantur, quod Magistratus et leges, iudiciaque publica sint necessaria

cessaria & salutaria vniuerso corpori politico, ideoq;  
ijs vtendum esse. Huiusmodi argumentis & ratio-  
nibus referti sunt Philosophorum libri.

## ARGVMENTA PRO

## TERTIO ERRORE

ANABAPTISTARVM.

## PRIMUM.

*Quidam Patriarcha & Reges, Lamech, Abraham, Iacob, David,  
Solomon & alij, plures uxores habuerunt eodem tempore. Idem ergo &  
nobis permissum est.*

## RESPONSIO.

**Q**Uòd Patriarcharum aliqui, Reges, item non-  
nulli alij, polygami fuerunt, testimonio non  
eget. Verum nò est iam quæstio de facto, sed de ratio-  
ne facti, num satis iuste & piè fecerint illi ipsi, qui  
polygamia vsi sunt. Multa enim fiunt præter æquita-  
tem & legem. Porro lex dicit. Et erunt duo vna caro,  
non tres, inquit, erunt, quatuorue, vel plures simul  
Genesis 2. Et hanc legem repetit & instaurat Chri-  
stus, Matthæi decimo nono.

Nec vsquam hæc lex a DEO fuit sublata. Et si  
autem longi temporis quasi præscriptione violari  
cœpit, intermissaq; & per abusum suppressa est, vio-  
latione quadam humana; tamen postea à Deo patre,  
per filium Iesum Christum denuò repetita & vindi-  
cata est.

E

Vnde

## A DE SECTA

Vnde apparet, consuetudinem ducendi plures uxores in Patriarchis & antiquis Regibus, potius rem iniustam quàm iustam fuisse, ad quam traxit eos priuata bona intentio, & cupiditas gignendi copiosam sobolem, quò citius promissus Messias in terram aduentaret. Item humana imbecillitas, quæ non habuit rationem ordinationis diuinæ.

### OBIECTIO.

*Contumeliosum est, et auctoritate Patriarcharum Regumq; sanctorum indignum, affirmare, quòd suo arbitratu tantum propter eas, quas modò diximus causas, duxerint plures uxores.*

### RESPONSIO.

Non est. Nam ipsi etiam Sancti, omnibus temporibus multos nequos, peccata & infirmitates habuerunt, quas tamen ipsis Deus condonauit, cuius misericordia maximas hominum absorbet infirmitates. Deinde congruentius est ipsorum Patrum atq; Regum imbecillitatem confiteri, quàm sine testimonio sanctarum literarum pronunciare, Deum primam suam de coniugio ordinationem abrogasse, vel executionem aliquam violatæ illius ordinationis prætere.

### QVAESTIO.

*Fortasè Deus permisit Patriarchis et alijs, ut plures ducerent uxores.*

### RESPONSIO.

Nusq; hoc inuenitur. Et in promptu sunt exempla historię sacræ, quemadmodum aliquando uxores permiserint maritis, ut cum ancillis congregarentur.

rentur. Marito Abrahæ, Sara vxor facit copiam ancillæ Agaræ. Gen. 16. Ita Iacob non indulgentia quadam diuina, sed aliâ occasione duas ducit. Ac si Deus mandasset Abrahæ, ut superinduceret Agaram, male fecisset, quod eandem postea, cum filiolo Ismaële extrudi iussit. Vt autem maximè antiquis Regibus & Patriarchis Deus Polygiam cõcessisset, tamen hoc dicendum esset personale priuilegium, ipsis solis, & quidem ad certum tempus collatum, neq; prodesset nobis, qui non sumus Lamech, Abraham, Iacob, Dauid, & similes. Et nunc sub Regno Christi, in quo prima ordinatio coniugij de integro renouata est. Et ut paucis nos expediamus, Sanctorum fidem & virtutes, non infirmitates & errata ipsorum imitari debemus.

## SECUNDVM.

*Plures habere uxores honesta consuetudo est, nec dum abolita. Honestum est igitur plures uxores eodem matrimonio copulari.*

## RESPONSIO.

**M**ala consuetudo, & inueterata contra leges & institutionem diuinam, nihil valet. Et mala consuetudo quantumuis vetustatem sapit, veritati cedere debet. Præterea hanc malam consuetudinem iam pridem à Christo sublatam esse demonstraui-  
mus.

## OBIECTIO.

*Christus Matthæi decimo nono, tollit illam prauam consuetudinem circa diuortium, & non circa uxorum numerum.*

## DE SECTA

### RESPONSIO.

Omnia simul tollit, quæcunq; contra primam institutionem coniugij præuè irreperant. Nam qui vnum rei bonæ abusum tollit, simul tollit & ceteros, aut certè tollere debet.

### TERTIVM.

*Si peccassent antiqui Patres & Reges polygamia, nihil dubium est, quin ob hoc peccatum à Deo vindicatum in eos esset.*

### RESPONSIO.

**S**Vprà dictum est, quòd Deus multa condonet Sanctis, & quòd ipsius misericordia infirmitates eorum absorbeat: tamen & hoc certum est, quòd parum fœlicitatis in ueteri polygamia fuerit. Inter Sararam & Agaram non conueniebat, & Abraham non sine magno dolore postea Agaram cum filio Ismaële domo eijcere, & hereditate paternorum bonorum priuare coactus est. Qualis etiã fuerit Oeconomia Iacobi, quæ lites coniugum & parentum, historia indicat. Dauidis coniuges à filio Absolone constupratæ sunt. Solomonem suæ coniuges pertraxerunt ad idolatriam, quam postea omnis generis mala consecuta sunt.

### QVARTVM.

*Dilectio Christiana & æquitatis ratio suadet, ut maritus, qui malo quodam & contagioso morbo corporis affectus est, suæ parcat coniugi, & liberis, quos ex ea suscepturus est. Ducenda igitur est alia, fortè generis dignitate inferior, quæ facilius contemni possit.*

## RESPONSIO.

**M**ORBI qualescunq; non separant coniugium, adeò ut uterq; coniunx alterius aduerfitates (quæ facili momento contingere possunt) æquanimiter, & moderatè ferre debeat. Neq; minus peccatur, dum priori coniugi & procreandis ex ea liberis parcas, & alteram cum sua prole eidem obijcias periculo.

## QVINTVM.

*Quid si prior consentiat, ut ducatur altera, nonne tum bona conscientia hoc liceret?*

## RESPONSIO.

**N**on licet. Neq; enim decet quenquam hominem contra diuinam institutionem, & contra mandatum Christi instaurantis primam coniugij formam, ne tantillum quidem vel facere vel permittere.

## SEXTVM.

*Paulus in priore ad Corinthios capite septimo, dicit. Maritus non habet potestatem sui corporis, sed uxor. Si itaq; prior illa uxor sui iuris quod habet in corpus mariti, potestatem daret alteri, an ne tum quidem liceret?*

## RESPONSIO.

**N**Equaquam. Prior enim illa, ius suum in corpus mariti, diuina ordinatione sibi concessum, alteri tradere non potest. Illud autem ius eiusmodi est, ut duo sint vna caro, non dictum est: Erunt tres vna caro.

DE SECTAE  
SEPTIMVM.

*Si eueniat forte, ut uxor agroto & malè affecto uiro debitam beneuolentiam reddere nolit: mirum ni melius sit uxorem aliam ducere, quam scortari?*

RESPONSIO.

**V**XOR neq; debet recusare, neq; potest pie. Si recusat, ea demum uis est, quam utiq; homo Christianus dissimulabit. Si verò diutius in hoc genere vim facere pergat, satis causæ habet maritus, ut Magistratum, aut saltem Pastorem suum conueniat: ne sibi alteram ducere uxorem, aut vagis indulgere libidinibus necesse sit.

OCTAVVM.

*Valentinianus Imperator duas uxores duxit & simul habuit. Ac publico decreto exemplum confirmauit, potestatemq; dedit, ut quicumq; uellet, imitaretur. Ergo licet simul habere plures.*

R. E S P O N S I O.

**V**alentiniani factum approbandum sanè non est, multò minus trahendum ad imitationem. Peccauit enim contra ordinationem DEI: & iterum in eo peccauit, quòd suo decreto ordinationem diuinam dissoluere ausus est. Præterea cum Natura à numeroſo matrimonio abhorreat nihil profecit decretum Valentiniani. Nemo enim imitatus est eius exemplum, ut historiæ testantur.

SEQVVM

## SEQVNTVR GRA=

ues & sufficientes causæ, quibus ostenditur  
impiam esse polygamiam.

## PRIMA.

Genesis secundo statutum est. Et erunt duo, vna  
caro. Non igitur plures. Hanc ordinationem con-  
iugij Deus non aboleuit, sed per filium restituit, & à  
corrupto usu repurgavit, Matthæi decimo nono.

## SECUNDA.

Eodem loco statutum est. Propterea relinquet  
homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ:  
non vxoribus scilicet.

## TERTIA.

Christus repetens primam coniugij ordinatio-  
nem, Matth. 19. sic addit: Non legistis, quod is qui  
creauit ab initio, ambos creauit marem & fœminam:  
non dicit, Vnum marem, plures fœminas.

## QUARTA.

Christus abolens traditionem de diuortio, simul  
abolet & cæteros abusos, contra legem coniugij, quo-  
rum sanè non est minimus, illa de qua nunc agimus,  
polygamia.

## QVINTA.

Quoniam inde usq; à principio fuit ordinatum  
à Deo, vt duo essent vna caro: ideo etiam inde usq; à  
principio prohibitum fuit, plurium se matrimonio  
immiscere. Et quemadmodum diuortium apud lu-  
dæos (maximè si ob aliquas leues causas fieret) non  
fuit iustum: ita nec polygamia fuit. & propterea Chri-  
stus diuortium tantum permissionem vocat, non le-  
gem.

SEX=



DE SECTA

SEXTA.

Multitudo vxorum non est secundum Naturam ac Leges naturales, & abhorret eam Natura, sicut docet exemplum Valentiniani, qui liberum permittebat omnibus, vt ad suum exemplum ducendis pluribus se compararent: Sed nemo inuentus est, qui eum sequeretur. Nam ratio & honestas eos deterrebant.

SEPTIMA.

Christus dicit, Qui reliquerit vxorem, extra crimen adulteri, adulteratur ipse. Ergo & is plane Adulter est, qui ante ducit aliam, quam suam de adulterio conuincat.

OCTAVA.

Primum præceptum secundæ Tabulæ præcipit, honorandum esse patrem & matrem: quo in loco Deus de duabus personis tantum loquitur, non dicit Honora patrem ac matres.

NONA.

Deuteron. cap. decimo septimo, Deus prohibet multitudinem vxorum Regibus & Principibus, cum dicit: Rex tuus, quem præficies tibi, non multiplicabit sibi vxores, ne cor eius declinet. Idem periculum est de Subditis, propterea & ipsis minus licet se turbis nuptiarum implicare.

DECIMA.

Matthæi quinto Adulter censetur, qui modo intuens mulierem, appetit eam. Quin ergo & is Adulter est, qui præter primam coniugem, alteri se per nexum matrimonij deuincire non veretur?

## VNDECIMA.

Ad Romanos septimo dicitur. Mulier habens virum, viro viuente alligata est secundum legem. Si mortuus vir fuerit, libera est à lege mariti. Ita & maritus tantisper alligatus est huic legi, & ordinationi diuinæ, Erunt duo vna caro, donec viuit vxor. Sed si mortua fuerit, liber est ab hac lege. Viuente autem illa, non potest dici, Tres erunt vna caro.

## DVODECIMA.

In priore ad Corinthios septimo, hortatur Paulus, ut ad vitandas scortationes, suam quisq; vxorem & proprium quæq; virum habeat: non dicit, suas quisq; vxores habeat, duas vel tres.

## DECIMA TERTIA.

Et ibidem. Maritus, inquit, vxori reddat debitam beneuolentiam, similiter & vxor marito: non meminit plurium, tantum duas personas nominat, quæ simul in coniugio esse possunt.

## DECIMA QVARTA.

Rursus ibidem. Vxor non habet potestatem sui corporis, sed Maritus. Similiter Maritus non habet potestatem sui corporis, sed Vxor. Neutrius igitur in potestate est, plurium vel virorum vel fœminarum se nuptijs onerare.

## DECIMA QVINTA.

Ad Ephesios quinto, Apostolus confert Ecclesiam Sponsæ Christum Sponso. Si igitur marito liceret plures habere coniuges, sequeretur, & Christum

## DE SECTA

habere plures Ecclesias: quod absurdum esset, seu impium potius, & contrarium articulis symboli: contrarium item sermoni Pauli, de mysterio magno, quod ibi commendat in dicto, Erunt duo vna caro.

### DECIMA SEXTA.

Iterum dicit, Vnusquisq; diligat suam vxorem, tanquam seipsum: non dicit, vnusquisq; diligat suas vxores.

### DECIMA SEPTIMA.

Epistola ad Hebræos cap. decimo tertio vult, vt honorabile sit coniugium inter omnes, & cubile impollutum. Hoc fieri nequit, vbi plures sunt vxores, deceditq; veræ coniugi, quod alteri datur.

### DECIMA OCTAVA.

Leges Romani imperij capite plectunt eos, qui plurimum se matrimonio implicant. Ergo polygamia est iniusta.

### DECIMA NONA.

Coniuges diligere se mutuò debent, iuxta doctrinam Pauli. Sed dilectio & concordia ibi esse nequeunt, vbi præter priorem ducit Maritus alteram. Et alioquin infœlices sunt nuptiæ cum pluribus. Eius rei documentum nobis præbent Sara & Agar, Lia & Rahel, vxores Davidis & Solomonis, quarum & antea mentionem fecimus: quibus exemplis si quis fidem adhibere nequit, experientiam consulat, quæ eum minimè fallat.

VICE

ANABAPTISTICA.  
VICESIMA.

Etiamſi polygamia Patrum ſine peccato fuiſſet,  
de quo prius conuinci volumus; tamen nunc qui-  
dem ſine peccato eſſe non poteſt, poſtquam nos Chri-  
ſtus ad primam ordinationem deduxit, ſicut toties  
ex Matthæi capite decimo nono probauimus.

CONCLUSIO DE ERRO-  
ribus Anabaptiſtarum, haec-  
nus enumeratis.

Poſtquam hi errores Anabaptiſtarum & antea in  
veteri Eccleſia, & ſimiliter noſtro tempore in Con-  
feſſione Auguſtana, & Smalcaldicis articulis,  
item & in alijs noſtrorum Theologorum  
libris, ſæpè & prolixè damna-  
ti ſunt: æquum eſt, eos & à  
nobis hoc tempore,  
& ab omni poſte-  
ritate condem-  
nari.

# DE SERVE TIANA HÆ RESI.



ERVETVS, VT SCRIBVNT aliqui, natione Hispanus, nostro tempore vixit, & Geneuæ, quod est in regno Allobrogum situm oppidum, propter inauditam hæresin, & horrendas blasphemias, merito capite mulctatus est. Accidit hoc anno à natiuitate Seruatoris nostri millesimo, quingentesimo, quinquagesimo quarto. Etsi autem libri eius nobis ignoti sunt, tamẽ præcipui errores à Doctoribus Ecclesiæ Geneuensis, ex ipsius libris congesti, Latino sermone in lucem prodierunt. Eos errores simplicissimè, quantum à nobis fieri potest, confutabimus, cum ipsorum voluminum Serueti non sit potestas nobis, è quibus ipsi eius argumenta & rationes colligere possimus.

## PRIMVS ERROR.

*Omnes qui Trinitatem statuunt in essentia Dei, sunt athei, nec Deum habent, nisi tripartitum, & aggregatiuum, & confectum, non absolutum seu perfectum: imò habent Deos imaginarios, & illusiones Deorum.*

## REFVTATIO.

**Q**uòd Pater sit Deus ab æterno, Seruetus non negat. Si igitur probabimus, quòd & Filius, & Spiritus sanctus, sint in eadem essentia diuina cõæterni,

æterni, & quòd Scriptura ubiq; tribus distinctis Personis tribuat diuinitatem ab æterno, iam debellatum erit.

## TESTIMONIA ET

Argumenta de diuinitate Filij.

Iohannis primo. In principio erat Verbum, hoc est, ante omnes creaturas. Ergo Filius Dei, qui designatur appellatione Verbi, Deus est ab æterno, & non creatura.

Ibidem. Et Verbum erat apud Deum, videlicet in vna essentia diuina. Quod autem non est simul Deus, non potest esse apud Deum in vna essentia.

Item, ibidem. Et Verbum erat Deus.

Ioannis vicesimo. Thomas plenarie agnoscens Christum, sic alloquitur. Dominus meus & Deus meus.

Matthæi vicesimo octauo. Baptisate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hæc verba nihil sibi aliud volunt, quam in nomine diuino baptisandos esse homines. Si ergo & in nomine Filij baptisandi sunt, sequitur necessario, quòd & Filius sit verus Deus.

Ioannis decimo. Ego & Pater vnum sumus, hoc est, vnus essentia diuina.

Ac necesse est Filium esse verum Deum, nam ab Esaia capite septimo, vocatur Emanuel, id est, nobiscum Deus.

Nisi etiam Filius seu Verbum verus Deus esset, nullum esset discrimen inter vnigenitum & naturalem Dei Filium, & inter nos, qui gratuito recepti sumus

## DE SERVETIANA

sumus in adoptiuos Filios, Ad Ephesios capite primo.

Ad Romanos nono. Qui est Deus super omnia, benedictus in secula.

Ad Philippenses secundo. Qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse similem Deo. Qui ergo habet formam diuinam, & est diuinus, eum necesse est esse Deum.

Ad Colossenses secundo. In ipso habitat tota plenitudo diuinitatis corporaliter, id est, Filius est verè Deus.

In prima Epistola Iohannis cap. quinto, Et hi tres vnus sunt, hoc est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt in vna essentia diuina.

Ad Hebræos primo, Qui cum sit splendor gloriæ, & effigies substantiæ eius, id est, Filius eandem habet gloriam, & essentiam diuinam.

Præterea Scriptura tribuit Filio diuina opera. Deum ergo esse manifestum est. Iohannis primo, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Item. Verbo gestantur omnia & conseruantur, ad Hebræos primo. Solus Filius videt Patrem. Item, Filius perspicit & intelligit cogitationes hominum, Matthæi nono & vicesimo secundo. Item, Christus secundum diuinitatem suam videt Nathanaëlem sub ficu, Iohannis primo. Prior est Abrahamo, Iohannis octauo. Resuscitat mortuos cum Patre, & dat eis vitam, Iohannis quinto. Idem demonstrant exempla Lazari & filiæ lairi. Videt & intelligit immediatè conditionem & vitam hominum, Iohan. 4. in historia mulierculæ Samaritanæ.

Solo

Solo verbo illuminat cœcos, dat gressum claudis, auditum surdis, paralyticos restringit, leprosos purgat, & alia multa miracula efficit, Matthæi vndecimo. Sua potentia remittit peccata, Matthæi nono, in historia paralytici. Operatur cum Patre, Iohannis quinto. Donat vitam æternam, Iohannis decimo septimo. Exaudit venientes & inuocantes, sicut promittit Matthæi vndecimo. Venite ad me omnes, qui defatigati & onerati estis, & ego reficiam vos.

Hæc & similia opera Filij passim commemorat Iohannes, item & cæteri Euangelistæ. Iohannis decimo sexto, Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Est ergo filius Deus.

Item, Filius in testimonium suæ diuinitatis sustinet appellationes diuinæ Naturæ proprias, quod ipse sit iustitia, sanctitas, salus, vita & redemptio. Nam hæc vocabula non tantum officium, sed etiam Naturam exprimunt & describunt. Item, quia Filius ex officio suo iustificat, saluat, sanctificat & viuificat homines, contestatur ea re quoque suam diuinitatem.

Item, Christus requirit fidem erga se, Iohannis tertio & sexto. Ergo & hac ratione Deus est. Nam Fides est cultus, qui soli Deo competit.

Adhæc Scriptura fore indicat, ut Filius inuocetur. Rursum ergo diuinitas eius inde apparet. Nam inuocatio ad solum Deum pertinet. Esaiæ ii. Gentes eum adorabunt. Psalmo 45. Quia Deus tuus est, & adorabunt eum. Sic inuocat Stephanus Actuum septimo, Domine Iesu, suscipe spiritum meum.

Testi-



## DE SERVETIANA

Testimonia veteris Testamenti, de diuinitate  
Filij, quæ sunt varia & multa, consultò præterimus.

## TESTIMONIA ET

argumenta de diuinitate Spi-  
ritus sancti.

Ioëlis secundo. Effundam de Spiritu meo super  
omnem carnem, hoc est, de illo Spiritu, qui mecum  
habet vnã & eandem essentiam.

Zachariæ septimo. Verba quæ misit Dominus  
exercituum in Spiritu sancto, per manum Prophe-  
tarum priorum. Hoc dictum affirmat, Prophetas ex  
instinctu Spiritus sancti vaticinatos esse. Quod au-  
tem vaticinati sunt, id erat verbum Dei. Igitur &  
Spiritus sanctus est Deus?

Esaïæ sexagesimo tertio. Spiritus Domini rexit  
Moysem & populum in deserto, eosq; serauit. Nisi  
ergo Spiritus sanctus esset Deus, non potuisset hoc  
præstare.

Matthæi vicesimo octauo, præcipit Christus, ba-  
ptismum dari hominibus, etiam in nomine Spiritus  
sancti. Est ergo Deus. Ibi enim tribuitur ei æqualis  
honus & potentia cum cæteris duabus Personis ei-  
usdem essentia.

In priore ad Corinthios cap. 3. legitur. Nescitis,  
quod sitis templum Dei, & Spiritus Dei habitet in  
vobis? Hæc inhabitatio Spiritus sancti, est argumen-  
tum diuinitatis in eo.

Sicut ad contestandam diuinitatem, habitant  
in nobis Pater & Filius, Ioannis 14.

Gene

Genesis primo, tribuitur Spiritui sancto præsentia in creatione omnium rerum. Ergo Spiritus sanctus est Deus.

In prima Epistola Iohannis cap. quinto. Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ergo Spiritus sanctus est Deus.

Item, tribuit Scriptura Spiritui sancto ferè innumerabilia opera diuinitatis. Ideo reuera Deus est. Sunt autem huiusmodi opera diuinitatis, quæ sequuntur.

Inspirare Prophetis sanam doctrinam, Zachariæ septimo, & priore Petri primo.

Efficere, vt Christus præter Naturæ modum concipiatur in vtero Mariæ, Luca primo.

Coram persecutoribus veritatis in nobis loqui, & suggerere quod loquamur, Matthæi decimo.

Creare, gubernare, & conseruare omnes creaturas. Adest enim in creatione rerum, Genesis 1.

Clarificare Christum in cordibus hominum, Iohannis 14. & decimo quinto, & 16.

Arguere mundum de iustitia, de peccato, de iudicio. Iohannis 16.

Consolari corda. Hinc enim appellatur paraclæticus, Iohannis 15.

Certificare corda de veritate & accepta hereditate cælesti, ad Rom. 8. Et ad Ephesios 1.

Varijs donis ornare Ecclesiam, priore ad Corinth. 12.

Doctoribus Ecclesiæ dare, vt loquantur varijs & quasi flammeis linguis, hoc est, verbum Dei alacriter

## DE SERVETIANA

critèr & intrepidè profiteantur, Actorum secundo.  
Regenerare homines, Iohannis tertio.

Suggestere nobis omnia, quæ necessaria sunt ad  
veram agnitionem regni Christi, Iohan. 14.

Opitulari infirmitati nostræ in orando, & do-  
cere quid orandum sit, ad Romanos octavo.

Dona tribuere ad inuestiganda mysteria DEI,  
priorè ad Corinth. 12.

Deducere in omnem veritatem, Iohannis 16.

Testimonium dare spiritui nostro, quòd simus  
Filij Dei, ad Romanos octavo.

Horum & similium operum diuinorum passim  
meminit sacra Scriptura,

## TESTIMONIA DE

tribus Personis diuinitatis.

Matthæi 28. Baptisate eos in nomine Patris, &  
Filij, & Spiritus sancti.

Matthæi tertio, Christus Filius Dei baptisatur  
in Iordane. Spiritus sanctus descendit in specie co-  
lumbæ. Et Pater clamat de cælo, Hic est Filius meus  
dilectus, in quo mihi bene complacitum est.

Iohannis 15. Filius promittit se missurum Spiritus  
sanctum, qui à Patre procedat, quo in loco dilu-  
cidè & expressè describuntur tres Personæ.

Prima Iohan. cap. 5. Tres sunt qui perhibent te-  
stimonium in cælo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus,  
& hi tres vnum sunt, hoc est, vnam habent essentiam  
diuinam.

Genesis primo, in historia creationis, trium fit  
mens

mentio personarum, vnius essentiæ diuinæ, Patris qui creat, Verbi per quod creantur omnia, & Spiritus sancti qui fertur super aquas.

Ibidem cap. decimo octauo, Abrahæ apparent tres viri, & vnus tantum ab eo invocatur.

Ex quibus manifestissimè sequitur, quod rectè sentiant, & expresso verbo Dei consentanea doceant, qui Trinitatem personarum in vnitæte essentiæ diuinæ asserunt. Et è contrario Seruetum cum tota suorum manipularium cohorte esse impium & blasphemum, quippe qui ex diametro (vt dici solet) contra genuinum sinceræ Scripturæ intellectum conflatur.

Necq; habemus Deum tripartitum sicut garrit Seruetus, sed vnicum, & tamen tres Personas illius vnica essentiæ agnoscimus.

Deinde necq; aggregatiuum habemus Deum, ex tribus personis aggregatum & confictum, sed vnicum, qui se distinctè in tribus personis per verbum suum manifestauit.

Necq; Deus noster imperfectus est, sed perfectus, primum in genere pro se, deinde & quælibet Persona est perfectus, totus, & absolutus Deus.

Agnoscimus etiam vnicum Deum ex dicto Deuteronomij sexto. Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est: nec habemus plures Deos, vt Seruetus nugatur.

Et valde tetra horrendaq; vox est desperatissimi hominis Serueti, cum Trinitatem appellat illusiones Daemoniorum.

DE SERVETIANA  
DICTA QVAEDAM

Augustini & aliorum Patrum, de  
Trinitate personarum.

AVGVSTINVS.

Libro primo de Trinitate, cap. 4. Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater & Filius, & Spiritus sanctus vnus eiusdemque substantiae, inseparabili aequalitate diuinam insinuant vnitatem.

Libro ad Petrum de Fide cap. 4. Trinitas itaque ad personas refertur, videlicet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnitas vero ad naturam.

Libro de inquisitione Trinitatis. Nullatenus ad solam Patris Personam pertinet, dum dicitur solus Deus, sed ad totam Trinitatem.

Libro de Trinit. & vnitae, cap. secundo. Pater inquam Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, non tres Dii, sed vnus Deus.

Libro de Speculo cap. 33. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum paraclitum, sanctam & in diuiduam Trinitatem, vnum Deum.

De verbis Apostoli, Sermone 13. Maledictus qui indiuisam Deitatem Patris, & Filij, & Spiritus sancti non confitetur. Maledictus, qui propria nomina Personarum tres Deos, aut tres Dominos, aut tres Spiritus confitetur.

Libro primo de Symbolo ad Catechum. cap. 5.  
Ita Trinitas vnus Deus, vna Natura, vna Substantia,

tia, vna potentia, vna æqualitas, nulla diuifio, nulla diuerfitas, perpetua charitas.

GREGORII NEOCAESARIENSIS Confessio.

Vnus Deus, Pater verbi viuentis, sapientiæ subsistentis & imaginis suæ integer integræ genitor, pater Filij vnigeniti. Vnus Dominus, solus ex solo, imago Patris, Verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno. Vnus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia, & in omnibus cognoscitur.

EPIPHANIVS.

Sunt tres diuifæ Personæ, Pater æternus, Filius æternus, & Spiritus sanctus æternus. Et Spiritus sanctus est homifios Patri & Filio.

Huius generis dicta reperiuntur innumerabilia apud sanctos Patres.

SECUNDVS ERROR.

Filius non est Persona, cui diuina natura tribui potest. Et uerbum LOGOS non designat personam in Scriptura, sicut nec hominis sermo aut cogitatio est persona, sed qualitas & motus transiens. Imò Filius nihil est aliud, quam agitatio seu propositum Patris, quod sit ipse Pater. Sic Pater cogitauit, quod se patefacere uellet mundo, per conditionem creationis, & per excellentem Doctorem Christum. Et talis cogitatio fuit Verbum. Quemadmodum Architectus Ideam futuri operis apud se cogitat, quæ tamen Persona non est. Sunt autem hæc ipsius Serueti uerba, Dialogo 1. pag. 229. Verbum fuit idealis ratio ab initio, quæ iam hominem referebat, tanquam exemplar futuri hominis Iesu Christi.

## DE SERVETIANA REFUTATIO.

**Q**UOD Filius Dei sit vna è tribus Personis diuinitatis cum Patre & Spiritu sancto, antea ostensum est, in prima refutatione primi erroris, ex dictis Scripturæ de tribus Personis, quibus illa diuinam naturam & honorem attribuit.

Ac Iohannes capite primo, de Filio Dei signatè ita loquitur, tanquàm de Persona subsistente, cum dicit, Et Verbum erat Deus.

Deinde eodem loco affirmat, quòd omnia per Verbum, hoc est, per æternum Filium Dei, facta sint, & sine ipso factum sit nihil. Hoc opus creationis nulla cogitatio aut verbum transiens efficere potuisset. Necessè est igitur Verbum seu æternum illum Filium, esse verum Deum. Quòd autem Pater non est, inde sequitur esse distinctam à Patre personam, & tamen cum Patre eiusdem essentiæ, & diuinæ Naturæ.

Idem testatur Apostolus ad Hebræos capite II. quòd per Verbum potens omnia gestentur & conseruentur. At ne hoc quidem efficere potest cogitatio seu verbum transuolans: necessariò igitur sequitur, Verbum siue æternum illum Filium, esse certam & distinctam personam diuinitatis.

Iohannis primo. Et Verbum erat apud Deum. Hoc loco Euangelista discernit expressè Filium à Patre, tanquàm certam personam.

Postremò ad hanc tractationem accommodandi sunt

di sunt omnes loci Scripturæ, qui confirmant diuinitatem Filij: eodem pertinent omnia diuina opera Filij. Si ergo Filius est Deus, non potest esse simul Pater, sed distinctam à Patre personam esse necesse est.

Huc referatur etiam illa farrago dictorum, de distinctione personarum, quæ dicta ex Patribus antea adscripsimus.

Similitudo illa de verbo seu cogitatione humana, quæ accommodatur ad illud Verbum, quod est æternus Filius DE I, parum est apposita. Verbum enim æternum, non est verbum transiens, sicut humana vox, quæ leuiter aërem verberat, atq; subito euanescit: sed tale est Verbum, in quod Deus Pater transfundit suam substantiam, vt sibi sit simile, eiusdem videlicet voluntatis, potentia, efficaciam & æternitatis cum Patre. Imò Deus Pater dat Filio, quod ipse est. Vnde dicit Apostolus ad Hebræos cap. primo. Filium esse gloriam Patris, & effigiem substantia eius, id est, tribuit ei eandem gloriam quam habet Pater, & eandem essentiam. Sicut & Paulus ad Philippenses capite secundo, Filium Dei Patri similem esse, affirmat. Et Christus dicit Iohannis decimo. Ego & Pater vnum sumus, hoc est, vnius essentia diuinæ. Atq; huc pertinet illustre dictum Augustini de Fide & Symbolo, capite tertio. Deus cum Verbum genuit, id quod ipse est, genuit, nec de nihilo, neq; de aliqua iam facta conditâq; materia, sed de seipso, quod ipse est.

Quæ



## DE SERVETIANA

Quapropter hoc quidem verum est, hominis cogitationem vel Verbum non esse personam: sed ideò non sequitur, nec æternum illud Verbum esse Personam. Argumenta enim in quibus dissimilitudo quædam occurrit, nihil rectè concludunt.

Porro æternum illud Verbum, non potest esse Pater ipse, sed seorsim est certa & distincta Persona. Nam in ijs Scripturæ testimonijs, quæ supra in refutatione primi erroris allegauimus, tres personæ diuinitatis in vnitæte essentiæ, distinctæ & propriè discernuntur, ita vt Filius neq; Pater sit, neq; Spiritus sanctus.

Ac Iohannes cum dicit, Et Verbum erat apud Deum, hoc est, Filius apud Patrem, non confundit Personam Patris & Filij, neq; duas personas in vnam redigit.

Iohannis decimo, cum inquit Christus, Ego & Pater vnum sumus, intelligendum est hoc de vnitæte essentiæ, & non de vnitæte Personæ. Proinde Augustinus hanc sententiã sic declarat libro 10. de Trinitate, cap. 9. Reuera cum Pater non sit Filius, & Filius non sit Pater, & Spiritus sanctus ille, qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater sit, nec Filius, tres vtique sunt: ideò pluraliter dictum est. Ego & Pater vnum sumus. Non enim dixit, Vnum est, quod Sabelliani dicunt.

Iohannis 5. cum Christus dicit, Pater vsq; huc operatur, & ego operor: rursus discernit suam Personam à Persona Patris.

Idem fit Iohannis octauo, cum dicit Christus, Ego honore afficio patrem meum, & vos ignominia  
me

me afficitis. Ibi enim significatur, aliam esse Personam Filij, afficientis honore Patrem, & aliam Patris, qui honore afficitur.

Deinde etsi verum est, creationem mundi esse medium illud, per quod æternus Pater se voluit mundo reuelare, tamen multò magis Christus est excel- lens ille Doctor, per quem patefacere se mundo Deus voluit, nam & ipse Christus verus Deus est, & secunda Persona in essentia diuina.

Nec villo modo concedendum est, quòd Verbum seu æternus Filius Dei, tantum sit cogitatio, vel propositum aut consilium, quo decretum est, per quod medium, seu per quam Personam Deus Pater mundo se reuelaturus esset. Nam per ipsum hoc æternum Verbum etiam cœlum & terra, & quæcunq; in eis mouentur, creata sunt, in testimonium diuinitatis eius, Iohannis primo.

Similitudo de Architecto & ipsa non valet. Est enim dissimilitudo in exemplis. Etsi enim Idea ab Architecto concepta & cogitata non est Persona, tamen non sequitur inde, æternum illud Verbum Personam non esse æqualem Patri & Spiritui sancto in vna essentia diuina, contra tot Scripturæ testimonia supra indicata.

Proinde iuxta doctrinam Serueti nihil iam reliquum est nobis de Filio Dei, quem Iohannes Verbum æternum nominat, & esse conuincit: quàm sola Idea seu imaginatio aliquando venturi hominis Christi, atq; ita blasphemus ille statim quasi exiit Christum diuinitate sua, & eum negat secundam esse personam in eadem essentia diuina, cum Deo Patre & Spiritui sancto.

H

Quæ

## DE SERVETIANA

### QVAESTIO.

*Quare autem Seruetus Verbum nominat Ideam seu imaginationem?*

### RESPONSIO.

Vt postea hunc errorem statuatur, quòd caro Christi sit caro cœlestis & diuina, quam secum è cœlo apportarit: id enim volunt sequentia eius verba. Quæ Idea referebat ab initio hominem, Exemplar futuri hominis Iesu Christi. Hanc itaq; Ideam fingit esse hominem carnalem, & tanquam imaginem venturi hominis Christi. Sed hanc opinionem postea confutabimus, quod quidem facile nobis erit, cum sine Scriptura dicat Seruetus ferè omnia tam in hac disputatione, quàm in cæteris vniuersim. Qui enim fingit noua dogmata extra verbum Dei, huic non est utilis Scriptura ad suum propositum, nisi velit eam detorquere ad peruersum intellectum.

### TERTIVS ERROR.

*Esto fuerit aliquando discrimen Personarum, tamen Persona tantum fuit res externa, quæ in essentia diuina uerè non potest subsistere, in 3. lib. de Tri. pag. 92.*

### CONFVTATIO.

Hic error etsi aliquo modo discrimen Personarum admittit, respectu Ideæ, quæ iudicio Serueti extra diuinam essentiam est, tamen contra testimonia Scripturæ supra citata, negat tres Personas semper fuisse in vnitæte essentiæ.

Q V A R .

HAERESI.  
QUARTVS ERROR.

26

*Inter Verbum & Spiritum, non est realis differentia, Dialogo 1.  
Pag. 229.*

CONFVTATIO.

Et in hoc errore Seruetus miscet Personas, & vbiq; vim facit expressis Scripturæ testimonijs, quæ supra in doctrina de discrimine trium Personarum commemorauimus.

Et Augustinus libro vndecimo de Ciuitate Dei, cap. decimo inquit: Spiritus sanctus alius est, quam Pater & Filius, quia nec Pater est, nec Filius. Sed alius dixi, non aliud.

QVINTVS ERROR.

*In Deo non est realis generatio, uel spiratio, ita quod Pater ab æterno non genuerit Filium: Sicut nec ab æterno fuerit eius Filius.*

CONFVTATIO.

Principiò Seruetus hac sua opinione essentialem natiuitatem Filij negat, eam nimirum, qua fuit ab æterno genitus à Patre: quæ opinio pugnat cum sequentibus Scripturæ locis. Psalmo centesimo nono. Ante Luciferum genui te. Hic Luciferi nomen, comprehendit sub se alias creaturas omnes. Quod autem ante omnes creaturas genitum est, id ab æterno sit, necesse est. Psalmo secundo: Filius meus es tu, hodie genui te. Nam vocabulum Hodie, hoc in loco æternitatem significat: sicut & Petrus indicat, mille annos coram Deo instar vnus diei habere.

H 2

Secun-

## DE SERVETIANA

Secundò conatur Seruetus negare Spiritus sancti ab vtroq; Patre & Filio processione: quam quidem hæc Scripturæ dicta confirmant. Iohannis decimo quinto. Cum venerit Paracletus, quem ego mitto tam vobis, qui à Patre procedit. Esaiæ undecimo. Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Hunc enim locum intelligit Augustinus de processione Spiritus sancti à Filio: in libro de Fide ad Petrum, cap. undecimo.

Tertiò, quòd Filius neq; genitus sit à Patre, neq; fuerit ab æterno: cum tamen satis multa eius rei argumenta è Scripturis sanctis deprompta habeamus. Iohannis primo, In principio erat Verbum, hoc est, ante omnes creaturas. Et ibidem, Omnia per Verbum facta sunt. Vnde liquidò satis apparet, Filium Dei fuisse ab æterno. Huc etiam congruit dictum Psalmi 109. Ante Luciferum genui te, hoc est, ante omnes creaturas. Item, Antequàm Abraham nasceretur, Christus fuit, Iohan. 8. quod dictum de sola diuinitate in eo intelligatur. Item Matth 22. Christus interrogat Phariseos, cuius sit filius? Respondent, Davidis. Hanc responsionem Christus recipit de humanitate intellectam: sed tamen ostendit, se amplius aliquid esse secundum Naturam diuinam, videlicet non tantum Filium, sed etiam Dominum Davidis, hoc est, verum Deum, sicut expressis verbis loquitur Psalmus. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Deniq; totum Euangelium Iohannis ea occasione scriptum est, vt aduersus Chærinthum atq; Ebionem, eorumq; sectatores conuinceret, Verbum seu Filium Dei, verum Deum esse, & æternum

æternum. Huc pertinent etiam cætera dicta, quæ supra in refutatione primi erroris Serueticani, de diuinitate Filij adduximus. Si enim Deus est, ab æterno fuisse manifestum est. Solus etenim Deus ab æterno est.

## DICTA QVAEDAM

Augustini, huic negotio commode seruientia.

In libro de quinque hæresibus, cap. sexto. Ambo Pater & Filius æterni, nec coeperunt, nec desierunt. Ibidem. Vnus sine coniuge Pater. Et sine matre Filius.

In lib. de inquis. Trinit. Proprium est Filij, quod à Patre genitus sit, solus à solo, coæternus & consubstantialis Patri.

Lib. ii. de ciuitate Dei, cap. 24. Credimus & tenemus, & fideliter prædicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc est, Sapientiam, per quam facta sunt omnia.

Libro de Fide ad Petrum, cap. 17. Vnus Iesus, cui & Pater dicit, Ex utero ante Luciferum genuite. Vbi significatur ante omne tempus, sine initio æterna natiuitas.

Ibidem cap. 2. Pater Deus de nullo genitus Deo, semel de sua Natura, sine initio genuit Filium Deum, sibi æqualem.

Libro de Symbolo ad Catechu. cap. 3. Diuina illa natiuitas, qua Filius processit ex Patre, qua natus est Deus de Deo, sine initio, sine tempore, sine matre,

## DE SERVETIANA

tre, sine aliqua fragilitate, sine vlla sui diminutione; non possumus explicare. Et Propheta Esaias dicit, cap. 53. Natiuitatem eius quis enarrabit?

### SEXTVS ERROR.

*Christus est Filius Dei, quatenus à Deo genitus est, in utero Mariæ uirginis. Non solum uirtute Spiritus sancti, sed quia Deus ex sua substantia illum genuit. Lib. 1. de Trinit. pag. 11. & 12.*

### CONFUTATIO.

Hic error Serueti quinque tegit hæreses. Primam, quod Filius non sit ab æterno Deus. Secundam, quod non sit ab æterno Filius Dei. Tertiam, quod tum cœperit esse & fieri Deus, cum de Mariæ uirgine nasceretur. Quartam, quod non solum sit conceptus, & natus operante Spiritu sancto. Quintam, quod etiam Filius Mariæ, sit natus de essentia diuina.

Contra tres primas hæreses pugnat totum Euangelium Iohannis, cuius generalis summa est, quod Verbum sit æternus & uerus Deus, id quod Ebionitæ & Cherinthiani hæretici negabant. Præterea confutant has hæreses illa dicta, quæ testantur, quod per Verbum omnia facta sint. Per quem enim omnia facta sunt, fuisse eum ante omnia dubitari non potest. Alia item dicta, de diuinitate Christi. Si enim Deus est, fuit igitur ab æterno. Postremo & illa, quæ in refutatione quinti erroris assignauimus, ueluti testimonia, quod Filius ab æterno sit Filius Dei Patris, id quod etiam Paulus confirmat, ad Romanos 1. cum scribit, quod Christus secundum Spiritum sanctum declaratus fuerit Filius Dei per resurre-

resurrectionem ex mortuis, non inquit ante resurrectionem.

Quarta hæresis, quæ oppugnat conceptionem Christi ex Spiritus sancto, manifestè repugnat verbis Euangelistæ, Lucæ i. Spiritus sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quòd verò Christus non sit genitus virtute Spiritus sancti concedi potest, si rectè intelligatur. Nam & Scriptura nusq; sic loquitur, quòd Christus genitus sit ex Spiritus sancto: alioqui enim duo essent Patres, Verum virtutem Spiritus sancti, & operam & præsentiam etiam circa natiuitatem Christi, nemo debet inficiari.

Quinta hæresis est execrabilis blasphemia, quòd Seruetus audet concedere etiam Filium Mariæ, qui ab ipsa in lucem editus & enutritus est, genitum esse ab æterno Patre, & ex ipsius diuina essentia: cum quidem omnibus notum sit, qui legunt sacras literas, quòd is Filius solus ex essentia diuina natus sit, qui à Patre ab æterno genitus est, & tamen postea humanam naturam assumpsit: sicut ostendunt dicta, in refutatione quinti erroris citata. Itaq; Seruetus fingit duos Filios, quos existimat ambos habere diuinam essentiam.

### OBIECTIO SERVETI.

Vos alij, duos facitis Filios, in eo, quia dicitis de uno æterno Filio, qui ab æterno à Deo Patre genitus est. Et postea de altero Filio Dei ex Maria nato.

RESPON.



## DE SERVETIANA

### RESPONSIO.

Minimè, sed discernimus naturas, vt personarum vnitatem obtineamus, dicimusq; adeò, quòd totus Christus in quantum Deus & homo, sit Filius Dei & hominis.

### OBIECTIO.

*Verum Lucas Christum Mariæ Filium, etiam appellat Filium Dei, cap. primo?*

### RESPONSIO.

Rectè. Nam idem Dei Filius est secundum diuinam naturam, & Mariæ Filius, secundum humanam naturam: & vicissim idem Mariæ Filius, est & Filius Dei secundum suam diuinitatem. Est igitur æternum Verbum, verus Deus & homo natus ex Maria virgine.

Apparet deniq; Seruetum nihil distinguere inter æternum illum & naturalem Dei filium, & inter filios adoptionis, quos propter illum Deus in gratiam recipit, ad Ephesios primo. Confundit item naturas Christi. Tribuit etiam humanitati, quod diuinitatis proprium est. Et corrumpit intellectum Scripturæ, cum ea dicta quæ loquuntur de æterno & naturali Filio Dei, qui vnà cum Patre æternus & verus Deus est, refert ad Filium hominis ex Maria natum.

## DICTA AVGVSTI

### NI CONTRA PROXI-

*mè præmissas hæreses*

*Serueti.*

Libro

Libro de Eccles. dogmatibus, cap. 3. Nec sic est natus Christus ex virgine, vt & diuinitatis initium homo nascendo sumpsit, quasi anteq̃ ex virgine nasceretur, Deus non fuerit, sic vt Arthemon, Berillus, & Marcellius docuerunt: sed æternus Deus, homo ex virgine natus.

Libro 7. de ciuitate Dei, cap. 24. Pater genuit Verbum, hoc est, Sapientiam, per quam omnia creata sunt, vnigenitum Filium, vnus vnum &c.

Huc pertinent etiam dicta Augustini supra commemorata in refutatione quinti erroris, de æterno Filio Dei, vnus essentia cum Patre.

In Enchiridio ad Laurentium, cap. 35. Proinde Christus Iesus Dei filius, & Deus, & homo est.

Ibidem. Vnus Dei filius, idemq̃ hominis filius, non duo filij Dei, Deus & Homo, sed vnus Dei filius. Deus sine initio, Homo à certo initio, Dominus noster Iesus Christus.

Libro de Fide ad Petrum, cap. 16. Firmissime tenet, & nullatenus dubita, Dei Verbum, quod caro factum est, in duabus naturis inconfusibiliter permanere, ita quod vna diuina sit, quam habet cum Patre communem: secundum quam dicit. Ego & Pater vnus sumus. Altera verò humana, secundum quam ipse, Deus incarnatus dicit, Pater maior me est.

Ad Poscentium Epistola 174. Multa in Scripturis de eo dicuntur, secundum formam Dei, multa secundum formam serui.

Ibidem. Nec separari potest filium hominis, à filio Dei, factus est filius hominis, non mutando quod erat, sed assumendo quod non erat.

## DE SERVETIANA

In Dialoگو ad Orosium cap. 65. Quæst. 5. Non sunt duo Filij, sed vnus est Filius, quia ille, qui erat Dei Filius, factus est Filius hominis, in vnitatem Personæ. Quia sicut anima & caro vnus est homo, ita Verbum & homo vnus est Christus. Duas substantias, hoc est, duas naturas accipimus, in vno Filio Dei: vnâ diuinitatis, & alteram humanitatis, non duas Personas. Igitur si dixerimus duas esse Personas, introduceremus duos Filios. Et iam non esset Trinitas, sed Quaternitas.

Lib. 1. de Trinit. cap. 7. Errauerunt homines &c. Et ea quæ de Christo Iesu secundum hominam dicta sunt, ad eius substantiam, quæ ante incarnationem erat sempiterna, & adhuc sempiterna est, transferre conati sunt.

## SEPTIMVS ERROR.

Verbum quod de cælo descendit, est nunc caro Christi, ita quod hæc de cælo sit. Lib. 1. de Trinit. Pag. 17. & 18.

## REFVTATIO.

Duo sunt hic falsa dogmata. Primò non discernit Seruetus inter Verbum, quod est naturæ diuinæ, & inter carnem, quæ est naturæ humanæ, atque ita duas naturas in Christo confundit.

Secundò carnem Christi imaginatur carnem cœlestem, quam secum tulerit de cælo, & non assumserit ex Maria.

Contra

Contra primum dogma manifestum est dictum Iohannis cap. i. Verbum caro factum est, id est, assumpsit humanam naturam. Nec dicit Iohannes, quod Verbum sit caro, vel in carnem mutatum. Nam hæc oratio diuellit duas naturas in Christo, docetq; Christum tantum habere vnã naturam. Quod autem duæ sint naturæ in Christo, ex multis Scripturæ dictis liquidò patet. Iohannis quinto: Pater meus vsq; nunc operatur, & ego operor, scilicet secundum diuinitatem. Iohannis decimo quarto: Pater maior me est, scilicet secundum humanitatem. Iohannis decimo: Ego & Pater vnum sumus, id est, vnus essentiæ, secundum diuinam naturam. Ita Christus passus est & mortuus secundum suam humanitatem. Nam diuinitas in eo neq; patitur, neq; moritur. Matthæi octauo: Filius hominis non habet quò reclinet caput, videlicet secundum humanam naturam. At secundum diuinam naturam dominus est totius mundi. Iohannis quinto: Filius non potest à seipso, quicquàm facere, secundum humanitatem scilicet, sed quatenus Deus est, potest omnia. Lucae secundo: Puer autem crescebat sapientia, ætate & gratia, videlicet secundum humanam naturam.

Contra secundum dogma sequentiã Scripturæ dicta pugnant. Initiò totum caput Matthæi primum, de natiuitate Christi: quod nihil aliud docet in tanta breuitate, quàm Christum, debuisse humanam naturam ex hominibus assumere. Propterea in illa Genealogia recensentur Parentes & Maiores Christi.

## DE SERVETIANA

Genesis secundo, Semen mulieris conteret caput Serpentis.

Item Dominus dicit ad Abraham. In Semine tuo benedicentur omnes gentes: ac propterea etiam Christus Matth. i. filius Abraham nuncupatur.

Samuelis libro secundo, cap. 7. Cum ergo completi fuerint dies tui, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur ex corpore tuo. Et propterea Christus Matth. i. & ad Romanos primo, appellatur Filius Davidis secundum carnem.

Porro sicut Natura seminis omnibus nota est: ita & Christus ex Patribus & Maria natus est, caro de carne ipsorum, & os ex ossibus ipsorum, sed ratio men præter Naturæ modum conceptus, efficacia Spiritus sancti, Lucæ primo, & quidem sine commixtione seminis virilis, ut esset differentia inter conceptionem Christi, & aliorum hominum: deinde & sine peccato conceptus est, ad Ebræos 4. Et vocabulo seminis tantum significatum est, quod Christus assumpturus esset carnem Mariæ, Abraham, & Davidis.

Item Maria Christum in utero concepit, gestavit, peperit, deinde etiam lactavit, & nutrit: qua de re mulier illa rectè acclamat Christo, Lucæ ii. Beatus venter, qui te portavit, & vbera quæ suxisti. Hanc gestationem & lactationem non inficiatur Christus: sed arguit errorem, quo beatam prædicabat matrem, propter ipsa hæc opera tanquam meritoria.

Ad Ebræos secundo: cum Parvuli habeant carnem & sanguinem, & ipse similiter eorum particeps factus est.

Hæc

Hæc & similia Scripturæ testimonia satis conuincunt, Christum suam carnem non asportasse de cœlo, veluti carnem cœlestem, sed assumpsisse eam ex Maria, carnem ex nostra carne factum esse, & os ex ossibus nostris, verum sine peccato, ad Ebræos 4. & Esaia cap. 53.

## DICTA PATRVM

contra hæc Serueti dogmata.

Chrysostomus inquit. Quoniam Verbum caro factum est, ne turberis. Neq; enim substantiam conuertit in carnem (hoc enim uerè est impium intelligere) sed manens quod est, Serui formam assumpsit.

Augustinus lib. 15. de Trinit. Et sicut uerbum nostrum fit vox, neq; mutatur in uocem: ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit, ut mutaretur in carnem, assumendo quidem illam, non in illam se consumendo.

Lib. de Eccles. dogmatibus cap. 2. Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transiuit, non naturæ uersibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione, ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem, nec homo in diuinam glorificatus in Deum.

Præter hæc Serueti doctrina, uetus est hæresis, quam olim Valentiniani Hæretici mouerunt, qui docuere, Christum asportasse è cœlo corpus spirituale, & cœleste, neq; ex uirgine Maria quicquam suscepisse, sed corpus Christi transisse per Mariam, tanq; aqua per canalem, & ita nihil eum carnis ex

## DE SERVETIANA

Maria sumfisse. Contra hæc pulchrè scribit Augustinus Lib. de octoginta tribus Questionibus, quaestione 14.

### OCTAVVS ERROR.

*Anima Christi est Deus. Et caro Christi est Deus. Et tam Christi anima quam caro, fuerunt ab æterno, in propria Deitatis substantia.*

### CONFUTATIO.

Servetus pleræq; omnia sine Scriptura dicit, propterea non est ei credendum. Nos autem scimus secundum Scripturam, quod & anima & corpus Christi pertineant ad humanitatem eius, & cœperint esse: quare non sunt Deus, nec potuerunt esse ab æterno. Cum enim Verbum, quod fuit ab æterno, assumeret humanam naturam, & fieret caro, ibi demum caro & anima esse cœperunt. Quod autem non est ab æterno, non potest esse Deus.

Item, hic error tollit discrimen duarum naturarum in Christo, tribuitq; ei tantum diuinam naturam, humanam prorsus remouet.

Quod autem Christus secundum humanam naturam, neq; sit Deus, neq; ex diuina essentia genitus, supra demonstratum est satis, in refutatione sexti erroris.

Item, quod quoq; sint duæ naturæ in Christo, id similiter comprobatum est, in refutatione septimi erroris.

### AUGVSTINVS.

Lib. de Trinit. & vnitæte Cap. 7. Ad vnitatem etiam Personæ Christi, vt omnia humana pertineant, sic & in Christo carnem & diuinitatem tantum modò confitemur &c. Item paulò post super verba Psal-

Pfalms, Non derelinques animam meam in inferno. Huiusmodi Sacrarum scripturarum testimonijs, facemur Christum, carnem & animam quoque humanam, verbo cooptasse, quod esset vna Persona, vt Christus est, Verbum & Homo, sed & ipse homo, anima & caro.

Non autem dicit Augustinus quod anima & caro sint Deus, sicut Seruetus delirat. Sed quod homo sit anima & caro.

Item, in Enchiridio ad Laurentium, Cap. 35. Filius Dei est Deus sine initio. Homo autem cum initio.

Longobardus Lib. 3. Dist. 14. ex verbis Cassiodori. Veritas, humanae conditionis ostenditur: quia assumptus homo diuinae substantiae non potest aequari vel in scientia, vel in alio. Apostolus etiam ait: Nemo nouit, quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia, etiam profunda Dei. His alijsque pluribus rationibus vtuntur, qui animam Christi asserunt, nec parem cum Deo habere scientiam, nec omnia scire, quae Deus scit. Quia si omnia sciret, quae Deus scit: sciret ergo creare Mundum, sciret etiam creare seipsam.

### NONVS ERROR.

*Christus uocatur Sapientia & Virtus Dei. Item, Splendor gloriae ipsius, perinde ac si uocaretur excellens quaedam sapientia & Virtus. Lib. 2. de Trin. Pag. 31.*

### CONFUTATIO.

**H**ic error Serueti Personae Christi detrahit. Si enim nihil aliud est Christus, quam excellens sapientia, virtus & splendor gloriae diuinae: non est magnus, sed tantum Persona excellentis sapientiae & virtutis.

Signi-



## DE SERVETIANA

Significat etiam hoc errore Seruetus, Christum secundum diuinam Naturam non esse sapientiam, virtutem & splendorem gloriae Dei.

Refragantur huic errori dicta in refutatione primi erroris enumerata, de diuinitate Christi. Ita Christus non est tantum excellens sapientia, virtus, & splendor gloriae Dei, sed simul etiam aeternus & verus Deus. Matthaei vicesimo secundo, cum Christus interrogat Phariseos, quis sit: respondent illi, Filium esse Dauidis. Haec confessio de Christo, etsi omnia ei tribuit, quae Seruetus hoc loco nominat, quod sit Persona excellenter sapiens, virtuosa, & gloriosa, filius magni Regis, rex ipse, qui certum habeat regnum: tamen non sufficit. Christus enim plus est & amplius quiddam, videlicet Dominus & Deus Dauidis, qui liberaturus eum erat a Diabolo, morte, peccato, & alijs hostibus.

Eodem modo Matthaei decimo sexto Christus interrogat discipulos, quem se dicant esse homines? Alij, inquit, te esse Iohannem Baptistam aiunt. Alij Eliam, alij Ieremiam, aut Prophetarum quendam. Multa hic tribuunt homines Christo, & existimant eum esse praclarum hominem: Sed quicquid id est, non satis est. Ideo pergunt Christus, Et quem vos dicitis me esse? Respondet Petrus suo & communi omnium discipulorum nomine, Tu es, inquit, Christus, Filius Dei viuentis, hoc est, verus & viuus Deus, vna cum Deo Patre. Porro haec confessio de Christo, quod sit Filius Dei viuentis, est peculiare donum Dei, quod etiam Christus demonstrat, cum dicit: Beatus es Simon Barlona, quia caro & sanguis

uis non reuelauit hoc tibi, sed Pater meus cœlestis.

Papistæ admirantur etiam Christum, & sentiunt præclaram & excellentem fuisse Personam, nimirum qui pro peccato Originali satisfecerit, primum pro peccato precium persoluerit, aditum ad satisfactionem pro peccatis actualibus præparauerit, & habitum quendam ad iustitiam comparandam coram Deo pepererit. Sed quid hæc sunt aliud, quàm eximium quiddam de Christo sentire, & tamen non omnia, potentem esse fateri, non omnipotentem?

Sapientia, virtus, & splendor gloriæ, hoc loco debent intelligi de naturalibus & æternis virtutibus, quas Deus Pater & Filius simul habent, vnde manifestum fit, quòd vterq; vnus sit Deus, & vna sapientia. Simili modo intelligendum est dictum ad Hebræos primo: Qui cum sit splendor gloriæ, & effigies substantiæ eius, id est, Filius eandem tenet gloriâ & substantiam quam & Pater. Ita eandem habet Filius sapientiam & potentiam, quam Pater habet.

Priore ad Corinth. primo dicitur: Christus nobis factus à Deo sapientia, id est, habens eandem cum Patre sapientiam, hoc tamen discrimine, vt Pater non sit sapiens sapientia genita, sed à seipso, sapientia ingenita. Inde fit, vt Filius appelletur & sapientia Patris, à Patre genita. Et obseruandum est hoc loco, quòd hæc vocabula iustitia, sapientia, redemptio, salus, virtus, gloria, & si qua sunt similia, non officium tantum Christi describant, iustificantis homines, dantis sapientiam, redimentis nos, saluantis, efficientis virtuosos & gloriosos: sed etiam

## DE SERVETIANA

naturam declarent, nempe quod Christus natura sit, æterna iustitia, sapientia, redemptio, saluatio, virtus & gloria, sine quo & extra quem non est iustitia, sapientia, redemptio, placens Deo.

Prouerb. octauo, signatè & propriè describitur filius Dei, ex operibus & argumentis diuinitatis, quòd sit sapientia æterni patris. Sequitur ergo amplius esse Christum, quàm præstantem & heroicum virum, qui sapientia ceteros antecellat.

## DICTA AVGVSTI NIET ALIORVM.

In Psal. 44. Christus verus homo, verus Deus.

In Psal. 46. Non solum homo erat Christus, sed & Deus: homo ex semine Dauid, Deus Dominus Dauid.

De Trinit. lib. 7. cap. 1. Pater ipse est sapientia, & dicitur filius Sapientia patris, sicut dicitur lumen patris, perinde ac dicitur lumen de lumine, & vterq; vnum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia.

Libro II. de Ciuitate Dei, cap. 24. Pater genuit Verbum, hoc est, sapientiam, per quam facta sunt omnia.

Longobardus lib. 1. Distinct. 32. Filius dicitur sapientia & virtus patris, non quòd pater per ipsum sit sapiens & potens: sed quòd filius sapientia & potentia à patris sapientia & potentia sit. Inde sapientia patris ingenita, & filij sapientia genita dicitur.

Ibidem.

Ibidem. Proinde Pater est sapientia, et filius est Sapientia, et uterque vna est Sapientia. Et tamen solus Pater est ingenita Sapientia & filius solus genita sapientia.

## DECIMVS ERROR.

Verbum est semen Christi, res alia à filio. Item, Verbum est res naturalis geniturae Christi in utero uirginis, sicut semen generationis animalium. Quemadmodum generantia omnia prius in seipsis semen concipiunt, quam factum extra se mittant: ita fuit in Deo semen Verbi, priusquam in Maria filius conciperetur. Lib. 4. de Trinitate, pag. 146.

## CONFUTATIO.

QVòd Verbum designet Filium Dei, facile colligitur ex capite Iohannis primo. Dicit enim Evangelista, Verbum esse Deum. Tribuitur autem secundum patrem & spiritum sanctum diuinitas etiam filio. Igitur Verbum est filius Dei. Amplius addit, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & uidimus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à patre, plenum gratia & veritate: in quo dicto Iohannes Verbum incarnatum vocat unigenitum filium Patris.

Priore Iohannis primo: Quod erat ab initio, quod audiuius, quod uidimus oculis nostris, de Verbo vitæ: annunciauimus vobis, vt communicatio nostra sit cum patre & filio eius Iesu Christo. Nam quod prius dicit Iohannes Verbum vitæ, idem postea vocat filium patris.

Quòd verò Verbum sit semen Christi, ex scriptura doceri non potest. Alioqui enim Christus genuisset

## DE SERVETIANA

nuisset seipsum, cum secundum diuinitatem suam ipse sit Verbum. Id fieri nullo modo potest. Nemo enim gignit seipsum, & Filius utique nuncupatur, quia habet Patrem.

Hoc autem reperitur sanè in sacrarum literarum monumentis, quòd Christus semen Mulieris, Abrahæ, Davidis, appelletur: eò quod suscepturus sit humanam naturam ex illis Personis, & illorum successoribus: verum tamen sine semine virili, & sine peccato.

Falsum & hoc est, verbum aliud quiddam esse quàm Filium Dei. Nam superioribus argumentis demonstratum est, hac appellatione verè significari Filium Dei.

Et sicut nunc Verbum non est semen Christi, sic idem Verbum non est ros naturalis genituræ Christi in utero Mariæ.

Multò minus conceptio Christi comparanda est conceptioni brutorum animalium, aut etiam hominibus, qui rationis est particeps. Illa enim præter naturæ cursum, operante spiritu sancto perfecta est, Lucæ primo. Neque ibi fit vlla mentio seminis, vel cuiusquam alius materiæ præcedentis, ex qua formari solent cætera animantia, tam rationabilia quàm irrationabilia. Quòd autem scriptum est, Christum ex semine Mulieris, Abrahæ, & Davidis nasciturum esse: id intelligendum est de assumptione naturæ humanæ, cui debuit Christus particeps fieri, ad Ebræos quarto: tamen sine commixtione virilis seminis & sine peccato.

## ERROR XI.

*Deus est Pater spiritus sancti, lib. 2. de Trinit. pag. nonagesima.*

## CONFUTATIO.

**R**ursum confundit Seruetus personas, & ex trinitate quaternitatem extruit, cum duos fingit Patres, alterum Filij, alterum spiritus sancti.

## ERROR XII.

*Essentia Verbi & essentia carnis, eadem sunt essentia.*

## CONFUTATIO.

**H**ic error renouat veterem hæresin Apollinaris, quam confutat Augustinus, lib. 1. de Trinitate, cap. septimo.

## ERROR XIII.

*Ante aduentum Christi spiritus sanctus non fuit persona, diuina essentia prædita. Lib. 5. de Trinit. pag. 197.*

## CONFUTATIO.

**H**ic error supra in refutatione primi, reiectus est: ubi demonstrauiimus, tres personas esse verum Deum ab æterno, in vnitæte essentiæ diuinæ.

## EPILOGVS DE HAERESIBVS Serueti.

**H**æc & similes hæreses multò plures sparsit Seruetus, quarum aliquas ipse confinxit nouas,

## DE SERVETIANA

nec dum antea in Ecclesia exauditas: proinde cum præter modum sint absurdæ & impiæ, indignas arbitramur, quibus accurata confutatione resistatur. Sed ita necesse est ab vno errore in alios horribiles delabi, cum neglecta scriptura, rationi duntaxat humanæ & sapientiæ intenti sunt homines, & suo ingenio indulgentes, philosophiam cum Theologia permiscant. Caueant ergo omnes sinceri Theologi, & deterreantur exemplo Serueti, ne quicquam aliud doceant in Ecclesia, quam quod certis scripturæ locis & veteris Ecclesiæ sententijs, cum analogia verbi congruentibus, sit communitum & confirmatum.



# DE STANCA- RIANA HAERESI.



TANCARVS NATIONE ITA-  
lus fuisse fertur. Est autem Italicis  
ingenijs admodum familiare, vt  
in rebus Theologicis mirabiles &  
argutas, & pro humana ratione &  
sapientia subtiles habeant specu-  
lationes, opinionesq; inusitatas, quibus illam ani-  
morum superbiam sibi præ cæteris nationibus pro-  
priam, detegunt atq; produnt.

Errores eius præcipui & communiores hi sunt.  
Primum distrahit ac diuellit duas naturas in Chri-  
sto. Deinde vult Christum esse mediatorem tantum  
secundum humanam naturam. Hic error necessa-  
riò sequitur ex priori. Vbi enim diuelluntur natu-  
ræ in Christo, fieri nequit, quin vni soli naturæ tri-  
buatur, quod est vtriusq; et alterutri naturæ tribua-  
tur, quod non est eius, sed alterius tantum.

Vterq; error renouat ueteres hæreses. Nam &  
Nestorius & alij, vel distraxerunt duas naturas in  
Christo, vel alteri naturæ tribuerunt, quod erat  
vtriusq;, imò vni tantum naturæ, quod erat totius per-  
sonæ. Sic Nestorius non potuit ferre has proposi-  
tiones: Deus natus est ex Maria. Deus passus est. Nō est  
autem ea sententia harum propositionum, quòd Ma-  
ria Deum pepererit, vel quòd diuinitas passa sit, sed  
quòd



## DE STANCARIANA

quòd Maria pepererit Christum, qui simul est Deus: hoc est, integrum Christum, qui simul est verus Deus, & verus homo, in eadem Persona. Item, quòd Christus integra scilicet Persona passus sit, qui est verus Deus & homo. Hinc Nestorius alia deliramenta confinxit, quasi hæc verba nihil aliud sibi velint Diuina natura est in Christo: quam Deum illi adesse, sicut adfuit Eliæ & alijs Prophetis, nec simul esse Christum verum Deum & hominem in eadem persona.

Similiter & alterum dogma, quod affirmat Christum esse Mediatorem nostrum, tantum secundum humanitatem suam, temporibus Augustini cœpit, qui quidem alicubi pro hac doctrina scripsit, deinde autem alibi contrariam sententiam amplexus est, sicut postea dicitur. Vnde monemur, quòd falsæ doctrinæ vel hæresium autores & approbatores tandem pacatam & tranquillam conscientiam habere non possint.

Eadem hæresis etiam Fulgentij temporibus refflorescere cœpit, adeo vt doctus & præclarus Episcopus ad oppugnandam eam & reprimendam commotus sit. Idem tempore Regis Trasimundi, qui Arianus fuit, cum Gothi propemodum omnes synceros Episcopos & Doctores in exilium eiecissent, quò hoc nomine citius Arianorum hæresis inualesceret.

Longobardus eodem modo constituit, Christum duntaxat secundum humanam naturam, esse Mediatorem nostrum, autoritate videlicet Augustini permotus, cuius tamen ea de re sententiæ inter se pugnant, sicut postea indicabimus.

Aduer-

Aduersus hos errores Stancari, Rereuendus vir D. Philippus Melanthon libellum pulchrum, eruditum & vtilem edidit, quem hoc loco approbamus, prædicamus & summopere commendamus, & in hac refutatione vbicumq; erit occasio, ad nostrum institutum accommodabimus.

### CONFUTATIO PRIMI ERRORIS.

**H**Oc loco ante omnia cauendum est, quod etiam Fulgentius monet libro ad Trasimundum Regem tertio, ne propter duas naturas in Christo, efficiamus geminum Christum, néue quartam personam in trinitate constituamus.

Secundò, cum hæretici nonnulli pertinaciter affirmarint, Christum tantum habere naturam diuinam, nonnulli verò tantum humanam ei naturam tribuerint: necessarium est, vt demonstremus Christum habere duas naturas, diuinam & humanam.

Tertiò sciendum est, quòd hæ duæ naturæ, sint in vna persona Christi.

Quartò cauendum est, ne vni naturæ tribuatur, quod est alterius, & ita duæ naturæ in Christo permisceantur.

Quintò, ne vni soli naturæ tribuatur, quod est vtriusq;.

Sextò, ne vtriq; naturæ assignetur, quod est vni tantum.

Hæc si Stancarus considerasset, non diuulisset duas naturas, necq; in alterum illum errorem suum incidisset.

L QVAES.

## DE STANCARIANA

### QVAESTIO.

*Quid autem faciendum nobis erit, ne geminum faciamus Christum, iuxta priorem illam cautelam, necue quartam personam in Trinitatem introducamus?*

### RESPONSIO EX

Fulgentio.

Cuiusque naturæ proprietates rectè cognoscamus, & vnitatem in persona non diuellamus: scientes, quòd sic vtriusque in Christo substantiæ manserit vnita proprietas, vt in carne patiens impassibilis Deus, & veram passionem ( quia voluit ) in vera carne sentiret, & in diuinitate proflus impassibiliter permaneret: nec alius in carne passus fuerit, nisi ille, qui in vera carnis passione impassibilis omnino permansit: nec alius semetipsum morti dignatus sit tradere, quàm ille, qui sic potuit moriendo mortem vincere, vt mortem non posset in morte sentire.

### TESTIMONIA DE DVABVS

naturis in Christo.

Deut. cap. 18. Suscitabo tibi Prophetam ex fratribus tuis, quo in loco Moses respicit ad humanitatem Christi.

Esaías cap. 2. vocat Christum patrualem suum secundum humanitatem. Erat enim & ipse de familia Iuda.

Esaías septimo: Ecce virgo concipiet, & pariet filiũ, butyrum & mel comedet. Hæc verba perspicuè loquuntur de humanitate Christi: quòd autem hic filius Mariæ nuncupatur Emanuel, de diuinitate eius intelligendum est.

Esaías

Esaiæ undecimo: Et egredietur virga de radice Iesse, videlicet secundum humanitatem Christi.

Item cap. 43. secundum humanam naturam vocatur Christus seruus patris.

Item cap. 53. Esaias describit Christum secundum suam humanitatem, quemadmodum humiliari & illudi, pati ac mori debeat.

Zacharias cap. 9. vaticinatur Christum secundum humanitatem suam venturum pauperem, sedentem super asinam & pullum subiugalis asinae.

Matthæi primo, recensetur genealogia Christi, vt certò constet de eius humanitate.

Lucae primo annunciatum Mariæ, quòd Christum in vtero conceptura parituraq; sit.

Iohannis quinto: Pater vsq; nunc operatur, & ego operor: videlicet secundum diuinitatem.

Iohannis decimo: Ego & pater vnum sumus: scilicet secundum diuinam naturam.

Iohannis decimo quarto: Pater maior me est: hoc est secundum humanam naturam.

Matthæi octauo: Filius (de homine intelligendo) non habet in mundo quò reclinet caput. At secundum diuinitatem suam, totum habet mundum, & est Dominus eius.

Iohannis quinto: Filius hominis à seipso nihil potest facere, videlicet secundum humanam naturam: At secundum diuinam omnia potest.

Lucae secundo: Puer autem crescebat, & corroborabatur in spiritu, plenus sapientia, & gratia Dei erat cum eo: quòd etiam intelligendum est de humanitate Christi, sicut declarant sequentia verba: Et le-

sus crescebat sapientia, ætate & gratia apud Deum & homines.

Item secundum diuinitatem suam, Christus creauit omnia, & conseruat: Iohannis 1. Et ad Ebræos 1.

Item sic æternum illud Verbum æquale fuit Deo, secundum diuinitatem, & assumpsit formam serui secundum humanitatem, ad Philip. secundo.

Hiscæ & alijs similibus dictis abundant sacræ literæ, in quibus duæ distinctæ naturæ Christo tribuuntur.

### AVGVSTINVS.

Libro de fide ad Petrum, cap. 16. Dei Verbum, quod caro factum est, in duabus naturis inconfusibiliter permanet, quarum altera est diuina, quam habet cum patre communem, secundum quam dicit, Ego & pater vnum sumus: altera est humana, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit, Pater maior me est.

### TESTIMONIA DE VNITA

te personæ Christi, in duabus naturis impermixtis.

Genesis tertio significantur duæ inesse naturæ in vna persona Christi, cum dicitur: Semen Mulieris conteret caput serpentis.

Ibidem cap. 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes in terra.

Et cap. 49. prædicitur aduentus Christi in carnem, cui quia adhærebunt gentes, significatur eum fore verum Deum & hominem in vna persona.

Ad Roman. 1. Christus in eadem Persona nuncupatur filius Davidis secundum carnem, & filius Dei secundum spiritum.

Ad

Ad Rom. 9. Patres ex quibus est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia, benedictus in æternum.

Priore Corinth. 1. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, iudæis scandalum, Græcis stultitiam. Eis autem qui vocati sunt, tam iudeis quam Græcis prædicamus Christum, Dei potentiam & sapientiam.

Luçæ primo: Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.

Psalmo 44. Diligis iustitiam, & odio habes impietatem. Propterea unxit te Deus oleo latitiæ præter confortes tuos.

Matthæi 16. cum Christus interrogat, quid de se discipuli sentiant, respondet Petrus: Tu es filius Dei viventis.

Iohannis decimo: Si non creditis mihi, credite propter opera. Mihi inquit, tanquam homini: opera autem intelligit diuina illa miracula, quæ secundum omnipotentiam suam faciebat, in testimonium suæ diuinitatis.

Iohannis undecimo resuscitatur Lazarus à Christo vero Deo & homine. Resuscitatio enim Lazari, est opus diuinitatis. Quod autem Christus lachrymatur, fremit & ingemiscit seu turbatur spiritu, proprium est hominis.

Iohan. secundo dicunt iudæi ad Christum. Quod nam ostendis nobis signum, quod hæc facis? Respondet illis: Dissoluite hoc templum, & in tribus diebus reedificabo illud. Ac loquitur Christus de templo sui

## DE STANCARIANA

corporis, quod destructuri erant Iudæi, ipse autem tanq̄ verus Deus & homo in vna persona rursum excitaturus à destructione seu morte.

Posteriore Cor. 2. Siquid condonavi, propter vos id feci, in persona Christi, videlicet quæ est verus Deus & homo.

Iohan. 1. Verbum caro factum est, hoc est, æternus filius Dei, verus Deus ab æterno, factus est etiam verus homo.

Ad Ebræos secundo, retinet Apostolus totum Christum in duabus naturis indiuisum, cum ait: Eum autem, qui paulisper diminutus est infra angelos, videmus esse Iesum, qui per passionem mortis, gloria & honore coronatus est.

Similiter & Dauid retinet totum Christum in vtraq̄ natura, Psal. 8. in eo dicto, quod repetit Epistola ad Ebræos: Siuisti eum paulisper indigere Deo, sed gloria & honore coronasti eum.

Hæc & alia dicta scripturæ, quorum magna pars est copia, testantur Christum duas habere naturas in vna persona impermixtas.

### AVGVSTINVS.

Lib. 1. de Trinit. cap. 4. Christus Verbum est, illud caro est, illud Deus est, illud homo est, sed vnus est Christus, Deus & Homo.

Lib. de Trinit. & vnit. cap. 7. Fatemur Christum carnem, animam quoq̄ humanam Verbo cooptasse, vt esset vna persona, vt Christus est, Verbum & homo, sed & ipse homo, anima & caro.

Libro de Fide ad Petrum cap. 17. Firmissime teste, & nullatenus dubita, Deum Verbum carnem factum,

ctum, vnam habere diuinitatis carnisq; suae personam.

Lib. contra sermonem Arianorum capite 7. Vnam quippe ostendit esse personam in vtraq; natura, hoc est, Dei & hominis, ne si duos faciat, quaternitas incipiat esse, non trinitas: itaq; gemina substantia, sed vna persona est.

In Enchiridío ad Laurentium, cap. 35. Proinde Christus Iesus Dei filius, & Deus & homo est.

Ibidem: Vnus Dei filius, idemq; hominis filius, vnus hominis filius, non duo filij Dei, Deus & Homo, sed vnus Dei filius, Deus sine initio, homo à certe initio, Dominus noster Iesus Christus.

In Dialógo ad Orosium, 65. Quaest. quaest. 5. Non sunt duo filij, sed vnus est filius: quia ille, qui erat Dei filius, factus est filius hominis, in vnitae personae. Quia sicut anima & caro, est vnus homo, ita verbum & caro, est vnus Christus. Accipimus autem duas substantias, hoc est, duas naturas in vno filio Dei: vnam diuinitatis & alteram humanitatis, non duas personas. Si enim dixerimus duas esse personas, introducimus duos filios, & iam non est trinitas, sed quaternitas.

### FVLGENTIVS LIBRO III.

ad Regem Trasimundum.

Vnus igitur idemq; Christus Dei & hominis filius, qui & semetipsum exinaníuit, & plenus gratiae veritatisq; permansit, verè mutabilis factus, immutabilis permanens: verè passus, passioni non subiaccens: verè mortuus, mortem non sentiens, sed extinguens.



## DE STANCARIANA.

tinguens. Hæc autem vnus Christus & gessit & pertulit, quia in vno eodemq; Christo, vera diuinitatis veraq; humanitatis natura permansit.

Post hæc & similia dicta permulta, probat Fulgentius efficabimus & amplis scripturæ testimonijs, duas esse impermixtas naturas in vna persona Christi.

Et huc pertinent similitudines Patrum, quibus hanc duarum naturarum in vna persona vnionem exprimere conati sunt.

### IUSTINVS.

Aliqui vnionem, velut animæ ad corpus cogitantes, declarauerunt. Id exemplum concinnum quidem est: quanq; non prorsus congruit, enim tamen secundum aliquid congruit. Et eadem delectantur, Athanasius & Cyrillus.

Alij adferunt huiusmodi similitudinem. Quem admodum tenellæ plantulæ in alias arbores inferuntur: ita & humana natura inserta est diuinæ.

Alij maluerunt hanc similitudinem. Sicut cera & lychnus vnum lumen conficiunt: ita & duæ naturæ in vna persona Christi concurrunt.

Verum in huiusmodi similitudinibus semper tenendum est, nullam tam esse plenam ac perfectam, quin aliquid ei desit, sicut vsitatè dicitur: Omnis similitudo claudicat.

### QVAESTIO.

*At qua ratione, Verbum assumpsit humanam naturam?*

### RESPONSIO.

Non tantum inconuulse, sed etiam tali nexu & vnione,

vnione, vt sint in vna persona, & ut humana natura assumpta gestetur à Verbo, imò ut humana natura non possit subsistere sine verbo. Quòd enim est & subsistit humana natura, id fit beneficio & potentia Verbi seu naturæ diuinæ.

### EXEMPLA QVAEDAM IN QVI

bus conspicitur, quando falsò tribuatur  
vni naturæ quod est alterius.

Diuinitas Christi est passa, crucifixa, mortua. Hæc enim soli humanæ naturæ conueniunt, vnde Petrus dicit, priore epistola cap. tertio: Cum igitur Christus in carne pro nobis passus sit.

### FVLGENTIVS LIB. III. AD

regem Trasimundum.

Inde Christus in cruce est incomprehensibilis, in vulneribus impassibilis, in passione sine passione, & in morte immortalis. Hæc cum quidam minus attenderent, non dubitarunt diuinitatem Christi, passioni subiicere.

### OBIECTIO.

Diuinitas ante assumptionem humanæ naturæ siue carnis, non potuit pati, sed postea assumpta carne patibili, sensit passionem cum carne. Nam post assumptionem carnis patibilis, diuinitas non potuit sine passione esse.

### RESPONSIO FVLGENTII.

Quod si ita est, primum mutabilis asseritur diuinitas Christi, & Apostolo contraicitur, qui filium Dei Iesum Christum immutabilem prædicans, euidenter Corinthiis dicit: Dei enim filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Syluanum & Timotheum, non fuit Est & Non, sed Est in  
M illo

## DE STANCARIANA

illo fuit. Item ad Ebræos: Tu in principio Domine  
terram fundasti, & opera manuum tuarum cœli: ipse  
si peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimen-  
tum veterascent.

### OBIECTIO.

*Cur ergo Paulus ad Corinthios dicit, Iudæos crucifixisse domi-  
num gloriæ?*

### RESPONSIO

Hoc dicit Paulus de communicatione idioma-  
tum, propter vnitatem personæ: atq; idem valet, ac si  
diceret, Iudæos illum crucifixisse Christum, qui cum  
sit homo, simul est dominus gloriæ, sicut & Petrus  
de eo loquitur Actorum tertio: Interfecistis ducem  
vitæ, hoc est eam personam, quæ simul est dux vitæ.

### QVAESTIO.

*Quid egit interim Verbum, dum pateretur Christus?*

### RESPONSIO EX IRENEO DE discrimine naturarum, folio 185.

Sicut enim homo erat, vt tentaretur, sic & Ver-  
bum erat, vt glorificaretur. Quiescente quidem  
verbo, vt possset tentari, crucifigi & mori. Quiescente  
verbo, hoc est, tunc non exercente suam potentiam,  
in repellenda passione & morte. Et pertinet huc di-  
ctum Pauli ad Philipp. 2. Exinanivit se ipsum.

### ATHANASIVS.

In Libro de incarnatione: Cum non esset possi-  
bile ipsum verbum mori, quippe immortalem patris  
filium, corpus sibi, quod mori possset, accepit, vt id cor-  
pus verbi particeps factum, & moreretur pro omni-  
bus, & inhabitans verbum incorruptibile maneret.

HIE.

## HIERONYMVS.

In expositione fidei: Passus est secundum id, quod pati poterat: videlicet non secundum naturam, quam assumpsit, sed secundum illam quæ assumpta est.

Ibidem: Mortuus est Dei filius iuxta scripturas, secundum id, quod mori poterat.

## VIGILIVS LIBRO III.

Ipsè igitur vnus idemq; Dei filius dominus Iesus, mortuus est secundum formam serui, & non est mortuus secundum formam Dei.

## ALIVD EXEMPLVM.

Christus non fuit æternus: Hæc propositio est falsa, si de diuinitate Christi intelligatur. Diuinitas enim eius verè ab æterno fuit, quod testatur Iohannes cap. 1. Ac pater ipse de filio sic pronunciat, tanq; de æterno & vero Deo, inquit: Ante Luciferum genui te, hoc est, ante omnes creaturas. Verum secundum humanam naturam cœpit Christus.

## AVGVSTINVS.

In Enchiridïo ad Laurentium, cap. 35. Christus Deus & homo, vnus Dei filius, Deus sine initio, homo à certo initio.

## ALIVD.

Christus verus homo creauit omnia. Et hæc propositio vitiosa est. Tribuit enim humanitati Christi, quod solius est diuinitatis, Iohan. 1. Et ad Ebræos 1.

## ALIVD.

Christus homo est ab æterno omnipotens & immortalis. Hæc propositio propria est diuinitatis eius, iuxta quam dicitur Christus æternum Verbum æterni patris.

## DE STANCARIANA

### ALIVD.

Diuinitas Christi comedit, bibit, incedit, stat, videt, audit. Hæc opera conueniunt soli humanæ naturæ in Christo.

### ALIVD.

Filius non est æqualis patri. Hæc propositio posset ab aliquo elici ex dicto Iohannis 14. Pater maior me est: sed intelligendum est dictum de humanitate Christi. secundum diuinitatem verò filius est æqualis patri. Hanc propositionem Arius vsurpauit, cum diceret, filium inæqualem esse patri.

### ALIVD.

Doctrina Christi non est doctrina patris. Nam Christus ipse dicit: Sermones quos ego loquor vobis, non sunt mei sed patris qui misit me. Hæc propositio de sola humanitate Christi intelligatur. Quia respectu diuinitatis sermones patris, etiam filij sunt sermones, quod testatur Augustinus in lib. de quinque hæresibus cap. 6. cum dicit: Quod pater loquitur, loquitur & filius: est enim verbum patris: & quod filius loquitur, loquitur & pater: est enim pater Verbi.

### ALIVD.

Christus non potest esse Deus, quia perturbatur, afficitur, gemit, timet. Hæc propositio vitiosa est: hi enim & alij affectus tribuuntur ei secundum humanam naturam, non secundum diuinam.

## QVAESTIO.

*Ad quam partem hominis pertinent hi affectus?*

## RESPONSIO.

Ad animam seu cor: sicut declarat Christus in  
vera

verbis quæ paulò ante passionem suam locutus est: Anima mea (inquit) tristis est vsq; ad mortem. Et Iohannis duodecimo: Lazarus, inquit, amicus noster mortuus est, & gaudeo propter vos, me non affuisse morienti, vt vos credatis. Lucae vicesimo secundo: Desiderans desideravi hoc pascha vobiscum comedere. Et eò referendi sunt omnes affectus humani, videlicet ad animam seu cor, sicut & Christus dicit ad discipulos suos, Iohannis 14. Non turbetur cor vestrum.

## FVLGENTIVS.

Ecce propriè in homine tristitia, formido & gaudium, cordi, hoc est, animæ deputantur.

Ibidem: Substantia hominis vtiq; gaudebat in Christo, quæ pro naturali consortio gaudium iam habuit de Lazaro suscitando.

Ibidem: Deitas nihil metuit, quoniam omnium dominatur. In nullo tristatur, quoniam ei nihil passionis infertur. Nihil desiderat, quia omnia potest, & omnia possidet.

## ALIIVDEXEMPLVM.

Christus sustinet paupertatem, frigus & æstum, secundum suam diuinitatem. Hæc propositio falsa est. Tribuit enim diuinitati Christi, quod solius est humanæ naturæ.

## ALIIVD.

Christus virtutibus diuinis, naturalibus & æternis crescit. Et hæc propositio est erronea & reijcienda, quia Christus diuinis suis, naturalibus & æternis virtutibus non crescit. At secundum humanitatem crescit sapientia & ætate: Lucae 2. Huiusmodi exempla quam plurima recenseri ordine possent. Quæ

DE STANCARIANA  
QUAEDAM EXEMPLA IN QUI-  
bus clarè conspicitur, quemadmodum fal-  
sò tribuatur vni in Christo natura,  
quod est vtriusq; in vna  
persona.

Cum dicitur: Christus tantum est mediator nos-  
ter, secundum suam humanitatem.

Christus tantum est aduocatus noster seu inter-  
cessor ad Deum secundum humanam naturam.

Christus tantum est pontifex & pastor noster  
secundum suam humanitatem.

Christus tantum secundum humanam naturam  
legem impleuit.

Christus tantum est redemptor, mediator, aduo-  
catus seu intercessor, pontifex, pastor, & impletor le-  
gis, secundum diuinitatem suam. Hæ & similes pro-  
positiones non sunt veræ. In ihs enim tribuitur vni  
naturæ Christi, quod est vtriusq; in eadem persona.

Atq; hinc vterq; error Stancari promanauit: &  
prior ille, quo duas in Christo naturas diuellit: & po-  
sterior quo Christum tantum esse mediatorem no-  
strum secundum humanitatem suam affirmat.

EXEMPLA IN QUIBUS VIDERE  
licet, quid vtriusq; naturæ vnius personæ Chri-  
sti rectè tribuatur, & quæ sint vsitata  
& receptæ propositiones in  
Ecclesia.

Christus est mediator noster secundum vtrancq;  
naturam. Christus est aduocatus seu intercessor no-  
ster secundum vtrancq; naturam. Christus est pastor  
& sacerdos secundum vtrancq; naturam. Semen mu-  
lieris

fieri conteret caput serpentis, hoc est, Christus ve-  
 rus Deus & homo. Per semen enim humanitas eius  
 indicatur: contritio autem capitis ipsius serpentis,  
 sine diuinitate fieri non potest. In semine tuo bene-  
 dicentur omnes gentes. Nam benedictioni omni-  
 um gentium non suffecisset humana natura: propte-  
 rea in toto illo Christo, qui duas habet naturas, be-  
 nedictionem acceperunt omnes gentes. Christus est  
 filius Davidis & Dei: ad Romanos primo. Christus  
 est de carne patrum, & præterea Deus: ad Roma-  
 nos nono. Christus crucifixus est potentia & sapien-  
 tia Dei: priore ad Corinthios primo. Christus est fi-  
 lius Mariæ, & Dei altissimi: Lucæ primo. Christus  
 unctus est oleo lætitiæ præ confortibus suis: Psalmo  
 44. Christus est filius hominis & filius Dei viuentis:  
 Matthæi 16. Christus lachrymatur, & tamen resuscita-  
 tur Lazarum, eadem scilicet persona, habens duas  
 naturas. Verbum caro factum est, Iohannis primo.  
 Verbum factum est homo. Deus incepit fieri homo.  
 Christus humiliatus est paulisper, & postea gloria &  
 honore coronatus: Psalmo octauo, & ad Ebræos se-  
 cundo. Iudæi crucifixerunt dominum gloriæ: priore  
 ad Corinth. quarto. Iudæi interfecerunt ducem vitæ:  
 Actuum tertio. Deus natus est ex virgine, passus,  
 mortuus & resuscitatus. Deus est homo. Verbum est  
 homo. Christus est Deus. Filius Dei est filius homi-  
 nis. Hæ propositiones cum similibus sunt veræ, & re-  
 cte tribuunt Christo vtrancq; naturam in vna perso-  
 na. Et è diverso hæ propositiones sunt falsæ & inusi-  
 tate. Verbum est creatura. Christus est creatura.  
 Christus cœpit. Christus est creatus.



DE STANCARIANA.  
REGVLÆ CRITICÆ SECUN-  
dum quas iudicandæ sunt propositio-  
nes de Christo.

PRIMA.

In hac materia non sunt fingendæ nouæ formæ loquendi, sed his vtendum est, quæ in Ecclesia sunt vsitata, & ab ea receptæ, atq; approbatæ.

SECUNDA.

Communicatio idiomatum fit in concreto, non in abstracto.

TERTIA.

Vbi prædicatum conuenit vtriq; naturæ in abstracto, licet dicere secundum vtranq; naturam, vt Christus est viuus in cælo, secundum vtranq; naturam.

QUARTA.

Vbi fit sermo de officio Christi, quo salutem nobis peperit & perfecit, atq; etiam conseruat: ibi officium illud securè potest vtriq; naturæ assignari, vcluti cum dicimus: Christus est noster Mediador, Redemptor & Intercessor, secundum vtranq; naturam.

EXEMPLA IN QVIBVS VIDE-  
re licet, quemadmodum falso tribuatur dua-  
bus in Christo naturis, quod vnus est  
tantum.

Cum dicitur: Christus secundum vtranq; naturam, diuinam & humanam, mortuus est. Christus secundum vtranq; naturam comédit, bibit, dormiuit, esuriit, & alit. Item Christus perturbatus fuit, genuit,

muit, gaudius est, infremuit, secundum vtrancq; naturam. Hæ propositiones falsæ sunt, Christus enim secundum diuinitatem suam neq; mortuus est, neq; comedit, neq; bibit, neq; dormiuit, neq; esuriit, neq; aluit, neq; perturbatus fuit, neq; genuit, neq; gaudius est, neq; infremuit, sed secundum solam humanam naturam.

### EPILOGVS DE PRIMO ER- rore Stancari.

Si tenuisset Stancarus regulas siue cautelas paulo superius enumeratas, non lacerasset duas naturas Christi, neq; in alterum errorem prolapsus esset. Qui enim recte intelligit doctrinam de proprietatibus naturarum in Christo, & scit, quod duas oporteat manere naturas inconuulsas in officijs Christi, quibus salutem nostram peperit & consummauit, & adhuc ac deinceps conseruatis nunq; docebit Christum tantum secundum humanam naturam esse mediatorem.

### CONFVTATIO ALTE- rius Erroris.

**A**Nteq; hunc errorem Stancari de Christo mediatore secundum solam humanitatem expugnemus, ante omnia necesse est (nisi quis vltro in huiusmodi hæresin incidere velit) vt teneatur discrimen earum appellationum, quæ proprietatibus naturarum accommodantur, & earum, quæ de officio Christi loquuntur, quod quidem officium in parienda consummandaq; & adhuc conseruanda hominum salute exercuit.

N PRO.

DE STANCARIANA  
PROPRIETATES DIVINÆ

naturæ in Christo.

Esse æternum, omnipotentem : & immortalẽ  
creare, gubernare, & conseruare omnia: præterea vi-  
uificare, sua propria potentia peccata remittere: pau-  
cis panibus ac pisciculis multa hominum millia sa-  
tiare, & siqua sunt similia.

PROPRIETATES HVMA-  
næ naturæ in Christo.

Edere, bibere, dormire, incedere, stare, audire,  
videre, algere, pati, mori & similia.

Ab his proprietatibus earumq; appellationi-  
bus discernendæ sunt proprietates officij Christi,  
cum suis appellationibus. Loquimur autem de eo of-  
ficio, quo salutem nobis peperit, consummauit, ac de  
inceps conseruat: neq; per hoc officium tollimus alia  
officia & opera Christi, quæ ab initio exercuit, oran-  
do pro Ecclesia, exaudiendo eam, dando petita, ser-  
uando illam & viuificando. Certum est enim, quòd  
Patriarchæ & alij sancti agnouerint Christum me-  
diatorem, & redemptorem suum, propter obedientia-  
am, quam exhibiturus esset patri, assumpta humana  
natura. Hinc Paulus dicit priore ad Corinthios de-  
cimo: Patres nostri omnes comederunt eundem ci-  
bum spiritualem, & omnes eundem potum spiritua-  
lem biberunt: biberunt autem de spiritali petra,  
comitante eos, qui erat Christus. Iob decimo nono:  
Scio quòd Redemptor meus viuít. Neq; etiam cum  
Canisio & alijs fanaticis hominibus tollimus hæc of-  
ficia & opera Christi, quòd Christus adhuc, & deinceps  
asidue oret pro Ecclesia, & intercedat apud  
æternum patrem, seruetq; eam, & viuificet. Atq;

Atq; hinc apparet quanta sit dissimilitudo harum propositionum: Filius Dei mortuus est. Et, Filius Dei noster est mediator, rex, sacerdos & pastor. Prior non est vera. Nam filius Dei secundum suam diuinitatem non est mortuus, neq; mori potest. Posterior est vera. Christus enim verus Deus & homo in eadem persona noster est Mediator, Rex, Sacerdos, & Pastor, sicut superius demonstratum est in exemplis, quæ docent, quid simul duabus naturis in eadem persona Christi tribuendum sit.

### TESTIMONIA SCRIPTURAE

quæ indicant, nomina officij Christi ad totam personam, & vtranc; naturam pertinere.

Huc referantur primùm omnia dicta scripturæ supra enumerata in refutatione primi erroris Stan- cariani. Illa enim perspicuè ostendunt, duas esse naturas in vna persona Christi, & quòd officium eius in parienda consummandaq; ac deinceps conseruanda salute vtriq; naturæ Christi, in eadem & propria persona sit assignandum.

Consentiunt autem illis & hi scripturæ loci. Io- hannis tertio: Sic deus dilexit mundum. Hoc dictum de sola natura humana intelligi nequit. Cre- dentibus enim dare vitam æternam, sine natura di- uina fieri non potest.

Ad Galatas quarto: Completo autem tempore, misit Deus filium suum natum de muliere, subsicien- tem se legi, vt eos qui erant sub lege, redimeret, nosq; adoptionem filiorum acciperemus.

Ad Romanos octauo: Etenim quod Lex præ-  
N 2 stare

## DE STANCARIANA

stare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio, misso sub specie carnis peccato obnoxia præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, vt iustificatio Legis impleretur in nobis.

Ieremiæ vicesimo tertio: Suscitabo Dauidi germen, & hoc erit nomen, quod vocabunt eum, Iehoua iusticia nostra. Hoc dictum manifestè testatur, nos à Christo vero Deo & homine iustificari.

Epistola ad Ebræos meminit Mediatoris & summi Sacerdotis, secundum vtranque naturam.

Priore ad Corinth. 4. Regem gloria crucifixerunt, hoc est Christum verum hominem, qui secundum humanam naturam potuit crucifigi, & qui secundum diuinam naturam est Rex gloria.

Actorum decimo tertio: Ducem vitæ crucifixissis, id est, Christum verum Deum & hominem in vna persona.

**RATIONES PROPTER QVAS APPELLATIONES officij Christi in reparanda, consummandaq; & conseruanda salute humani generis, duabus in Christo naturis assignari oportet.**

### PRIMA.

Christus ab initio rogauit pro sua Ecclesia, exaudiuit & defendit eam ante humanæ naturæ assumptionem: multò magis id facit post assumptionem. Hinc etiam vocatur sacerdos in æternum, quod semper orauerit pro suis, & adhuc oret. Ad Ebræos septimo: Qui semper viuit, ac pro nobis intercedit.

## SECUNDA.

Humana natura pro sua imbecillitate non potuisset integram efficere redemptionem: quare Augustinus alicubi verè dicit: Oportebat esse æquivalens precium. Siquidem Deus ad iram commotus erat, ideò necesse erat, & illum esse Deum, qui offensum & iratum Deum reconciliare debebat: quemadmodum etiam illum oportebat esse hominem, ut pati & mori posset, & sic constitutæ voluntati patris satisfacere.

## TERTIA.

Filius mittitur, ut noster sit Mediator, Redemptor, Sacerdos, Rex & Pastor: assumit autem ad sustinenda hæc officia humanam naturam, atq; ita verus Deus est, quia filius Patris: ac verus homo, quia induit humanam naturam. Et hic idem Christus duas habet naturas in eadem persona coniunctas. Idem ille ac totus Christus factus est noster Mediator, Redemptor, Salvator.

## OBJECTIO.

Atqui concedimus, quòd filius Dei qui missus est, & humanam naturam assumpsit, ac proinde verus est Deus & homo in unitate personæ, fuerit aliquando Mediator ac Redemptor noster, cum hic ambularet in terris: nunc autem talis esse desijt. Et in hac opinione est Canisius ille, Autor & Coryphæus nostro tempore eius Sectæ, quæ titulum sibi uendicat fratrum Iesuitarum, hoc est, eorum qui Iesu aduersantur per antiphrasin.

## RESPONSIO.

Negamus desijisse: sed etiamnum est Mediator noster secundum utranq; naturam: certè enim Christus etiam nunc sedet ad dexteram Patris verus Deus & homo: sedet autem non ociosus & oscitans speculator

## DE STANCARIANA.

culator rerum humanarum, ita ut tantum intueatur  
 res humanas, & nihil curet homines, nihil eis bene-  
 faciat, non intercedat pro eis, nec defendat, regat, &  
 seruet eos, qualem scilicet Lucianus ille religionis  
 derisor, suum Iouem depinxit. Deinde si CHR I-  
 STVS inde vsque ab initio suam Ecclesiam cu-  
 rauit, defendit, & pro ea deprecatus est, qui minus  
 hoc tempore eadem ei beneficia denegaret? Ac Pau-  
 lus ad Romanos octauo clarè confitetur, patrem om-  
 nia nobis donauisse cum filio, quibus donis annume-  
 randum & hoc est, quòd mediatorem eum habemus  
 inter nos & æternum patrem. Præterea quia quoti-  
 die sceleribus & peccatis nostris Deum iritamus,  
 æquè quotidie opus est nobis mediatore: imò Paulus  
 ibidem addit, neminem esse qui accuset & condem-  
 net electos. Quamobrem autem? Quoniam Christus  
 præstò est, qui mortuus est, qui est etiam ad dextram  
 Dei, & intercedit pro nobis. Ac diligenter memine-  
 rint pñ, quòd etiam nunc hæc officia præstet, eum se-  
 det ad dexteram patris. Similiter & Iohannes prima  
 Epistola cap. 2. inquit, non esse desperandum pecca-  
 toribus, quoniã assiduum habeant aduocatum apud  
 æternum patrem. Iohannis decimo sexto Christus de  
 se loquitur, tanq̃ de perpetuo mediatore, cum dicit:  
 Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit  
 vobis: vbi significat Christus, fiducia mediatoris acce-  
 dendum esse ad patrem. Matth. vndecimo, Christus  
 requiem pollicetur omnibus ad se venientibus, quæ  
 quidem promissio satis ostendit, duas esse in Christo  
 naturas: requiem enim sine diuina natura sola hu-  
 mana dare non potest.

## QVAESTIO.

Cum ergo Christus sit simul uerus Deus & homo, quomodo erit inuocandus?

## RESPONSIO.

Vno cultu inuocationis, seu vna latria, sicut etiam concilium Ephesinum decreuit.

SEQVNTVR GRAVISSIMA TESTIMONIA sanctorum Patrum de eo, quòd Christus sit mediator noster secundum vtraque naturam, in eadem persona.

## AVGVSTINVS.

Lib. 7. Confessionum cap. 18. Et quarebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, nec inueniebam, donec amplecterer mediatorem Dei & hominum Christum Iesum.

Ibidem. lib. 10. cap. 47. Mediator inter Deum & homines opus habebat, vt haberet aliquid simile Deo, & aliquid simile hominibus, ne in vtroque hominibus similis longè esset à Deo, aut in vtroque Deo similis, longè esset ab hominibus, & ita mediator non esset.

Ibidem cap. 12. Diuinitas sine humanitate non est mediatrix: humanitas sine diuinitate non est mediatrix: sed inter diuinitatem solam & humanitatem solam, mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas Christi. Et hoc iuxta dictum scripturæ: Et seruus meus Dauid in medio eorum.

De



## DE STANCARIANA.

De verbis Domini secundum Iohannem, sermo  
nem 58: Ego dominicam carnem, imò perfectam in  
Christo humanitatem, propterea adoro, quia à diuini-  
tate suscepta, atq; Deitati vnita est, vt non alium  
atq; alium, sed vnum eundemq; Deum & hominem,  
Dei filium confitear.

Lib. 1. de consensu Euangel. ad Volufanum, Episto-  
la 3. Ita Christus inter Deum & homines, Media-  
tor apparuit, vt in vnitãte personæ copularet vtrancq;  
naturam, & solita sublimaret insolitis, insolita solitis  
temperaret. Nam sicut in vnitãte personæ anima vti-  
tur corpore, vt homo sit: ita in vnitãte personæ, Deus  
vtitur homine vt Christus sit. In illa ergo persona,  
mixture est animæ & corporis: in hac persona, mix-  
tura est Dei & hominis.

Ibidem: Longè aliò quodam modo, quam eo,  
quo creaturis cæteris adest, suscepit hominem, se q;  
& illum fecit vnum Iesum Christum, Mediatorem  
Dei & hominum, æqualem Patri secundum diuini-  
tatem, minorem Patre secundum carnem, hoc est, se-  
cundum hominem, incommutabiliter immortalẽ  
& mortalem, secundum cognitã nobis infirmitã-  
tem.

### CYPRIANVS TRACTA. IIII.

de Idolorum vanitate:

Deus semper cum homine miscetur. Hic Deus  
noster, hic Christus est, qui Mediator duorum, ho-  
minem induit, quem perducit ad patrem. Quod ho-  
mo est, esse Christus voluit, vt & homo possit esse  
quod Christus est.

Idem aduersus Iudæos, lib. 2. cap. 9. Quod homo  
&

& Deus, Christus ex utroque genere concretus, ut mediator esset inter nos & patrem.

Irenaeus lib. 3. Oportebat mediatorem Dei & hominum per suam ad utrosque cognationem, in amicitiam & concordiam utrosque reducere, & facere, ut Deus reciperet hominem, & homo restitueretur Deo. Quia enim ratione filij adoptionis esse possumus, nisi per filium, et nisi Verbum caro esset factum, & nostrae naturae sociatum esset.

Vigilius. Hostia requirebatur, quae ita media esset inter Deum & homines, ut & morti succumberet per illud quod hominis habebat, & mortem vinceret eo quod diuinitatem in se tenebat. Item, nisi talis mediator existeret, qui de caelestibus veniens, coniretur terrenis: unde etiam medius erit, si utrumque non habuerit? quia nisi talem dederis inter Deum & homines, qui ita sit medius, ut ex utroque utrumque sit, id est, ut & Deus sit propter diuinitatem, & idem homo sit, propter humanam naturam: humana diuinis quemadmodum reconcilientur non ostendis.

Cyrillus lib. de thesauro 12. Mediator Dei & hominum Iesus Christus est, non solum quia reconciliauit homines Deo, verum etiam quia naturaliter & substantialiter Deus & homo est, in vna hypostasi.

Ibidem. Est autem Christus mediator Dei & hominum, quia in eo vno Deus & homo coniungitur.

Ambrosius. Ut mediator Dei & hominum esset, homo Christus Iesus non sine diuinitate, quia in Deo homo erat, & Deus in homine, ut ex utroque esset mediator.

Fulgentius. Hic tres libros ad Trasimundum Vandalorum

## DE STANCARIANA

dalorum in Africa regem, quorum in postremo con-  
stanter euincit, duas esse naturas in eadem persona  
Christi, & quòd Christus secundum utranq; naturam  
sit mediator noster.

### OBIECTIONES QVAEDAM ET AR- gumenta Stancari pro altero suo errore.

#### PRIMA.

*Nemo est mediator sui ipsius. Item, Nemo intercedit coram seipso.*

#### RESPONSIO.

Hæ obiectiones & argumenta uera sunt, lo-  
quendo de vna persona: sed hoc loco discernendum  
est inter Deum patrem mittentem, & filium missum:  
filius enim in quantum persona missa mediator est  
& sacerdos, ad Romanos octauo & Galatas 4.

#### OBIECTIO.

*Si ergo Christus tantum propterea mediator est & sacerdos, quia  
missus: superest hoc, ut Christus secundum humanam naturam solam sit  
mediator noster & sacerdos.*

#### RESPONSIO.

Hoc loco aduertendum est, quæ sit illa persona  
missa, videlicet filius Dei, & ideoq; verus Deus: et  
idem filius Dei postea assumpta humana natura fa-  
ctus est verus homo, duas habens naturas in eadem  
persona.

Similem quandam obiectionem Nestorij recen-  
set Cyrillus in hoc argumento. Si Christus secundum  
diuinam naturam sacerdos est, sibi nimirum ipsi sa-  
crificat.

RE.

## RESPONSIO CYRILLI.

Sacrificare est officium totius personæ, & hæc persona est mediatrix apud Deum patrem mittentem: atq; nihil ominis verum est, filium eiusdem essentia ac potentia esse cum patre, & simul etiam discrimen personarum retinetur.

## SECUNDA.

*Quod Christus sit mediator, rex, sacerdos, id intelligendum est de sola humana natura, in qua passus ac mortuus est.*

## RESPONSIO.

Nequaquam. Humana enim natura sola non potuisset officia mediatoris, regis, & sacerdotis exequi, & sic Diabolum, mortem, infernum, peccatum & alios hostes superare. Propterea diuinæ literæ utranque naturam in Christo exequente officium suum in reparanda consumandaq; & conseruanda salute, coniungit, quemadmodum supra multis scripturæ testimonijs comprobatum est. Præterea & promissio de CHRISTO & officio eius non tantum exprimit humanam naturam, quæ pati ac mori debuit, sed etiam diuinam, quæ vincere ac perdomare hostes debuit, sicut scriptum est, Genesis tertio: Semen mulieris conteret caput serpentis. Item: In semine tuo benedicentur omnes gentes: ergo simul oportuit esse Deum, qui officia mediatoris, regis ac sacerdotis integra perficeret. Ac impossibile esset naturam humanam subsistere posse, nisi gestaretur & conseruaretur à diuina. Huc congruit dictum Chrysostomi: Nec homo tantum mediator esse potuisset, quia cum Deo mediatorem colloqui oportebat.

## DE STANCARIANA

Item. Conueniens erat, vt sacrificium reconcilia-  
tionis maius esset peccato. Præterea conueniebat,  
reconciliatorem æqualem esse illi, qui ad iram com-  
motus erat. Sed Deus pater ad iram commotus erat:  
quare decebat eum esse Deum, qui illum reconcilia-  
ret, & iram eius sedaret. Et hoc vult Augustinus cum  
dicit: Oportebat esse æquiualens precium.

### OBIECTIO.

*Opera Trinitatis ad extra, sunt indiuisa. Ergo uictoria aduersus  
Diabolum, peccatum & alios hostes spirituales, tribuenda est toti Tri-  
nitati & non soli Christo, Deo & homini in eadem natura.*

### RESPONSIO.

Opera trinitatis sunt indiuisa, ea tamen condi-  
tione, ut filius tantum assumerit humanam natu-  
ram, non alia persona: filius & spiritus sanctus mit-  
tuntur. Et filius agit non à se, sed per se, sicut Augu-  
stinus dicit: Pater saluat & viuificat, sed hoc ordine,  
per filium missum, vt Paulus inquit: Benedictus De-  
us, qui dedit nobis uictoriam per Christum Iesum.

### OBIECTIO.

*Atqui Augustinus ipse alicubi docuit, Christum esse Mediatorem  
secundum humanam naturam.*

### RESPONSIO.

Verum. Sed postea hanc sententiam retracta-  
uit, id quod ex superioribus eius dictis manifestum  
est. Ita multa etiam alia scripsit Augustinus, quæ po-  
stea vel mutauit vel correxit: qua de re omnino tes-  
tantur palinodici eius Retractionum libri. Nec  
ita fuit affectus Augustinus, sicut multi nunc sunt,  
qui abhorrent à reuocatione falsæ doctrinæ, quam  
dicit

diffeminare cœperunt, atq; leuiusculam illam & breuem huius seculi ignominiam magis refugiunt, quam illam æternam coram iudicio Dei.

## OBIECTIO.

*Bonauentura, Gabriel, Richardus & alij scriptores Scholastici, perstiterunt in ea sententiâ, quòd Christus secundum solam humanitatem noster fuerit mediator.*

## RESPONSIO.

Hi scriptores sunt adedò obscuri, vt meritò testimonijs scripturæ supra commemoratis, & præclaris illis sanctorum Patrum sententijs, quas similiter in confirmationem nostræ sententiæ adduximus, concedant.

## OBIECTIO.

*Priore ad Timoth. secundo: Vnus est Deus, & unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Nonne hic diuinitas excluditur?*

## RESPONSIO.

Non excluditur. Nam appellatio Christi complectitur personam. Præterea fit mentio mediatoris Iesu Christi, filij Dei, quem pater misit ad assumendam humanam naturam, vt integer esset mediator secundum duas naturas in vna persona inuicem copulatas.



DE IESVITIS

# DE IESVITIS ET ERRORE CANISII.



ANISIUS EST QUIDAM  
ordinis Iesuitarum princeps  
& autor. Is ordo ante pau-  
cos annos in Germaniam  
irrepsit, vt per eos tanq̃ me-  
dias personas regnum pon-  
tificium nunc fere collapsum  
integritati pristinae restitue-  
retur.

Porro ante annos complures quorundam Car-  
dinalium pontificis nomine congregatorum, vlti-  
mum & constans decretum fuit, vt scholæ erigeren-  
tur in quibus pueri cognitione religionis & doctri-  
nae Papisticae imbuerentur, quò deinceps per eos  
Antichristi religio instaurari, plantari, seruariq̃, ac  
praeterea doctrinae Lutherianae multum accedere  
detrimenti posset. Tum verò sperari aliquandò pos-  
se, fore vt pontifex Romanus & qualiscunq̃ ipsius  
doctrina crescere, & de integro florere inciperet.

Hoc decretum tandem hunc euentum habuit,  
vt Iesuitae nouo ordine siue statu sanctitatis assumpto,  
dementare homines inciperent. Faxit Deus, ne sint  
foelices eorum conatus, & Iesus Christus filius Dei  
euer-

euertat omnia consilia ipsorum, & has impias molitiones impediatur, aut talem efficiat exitum, qui ipsius gloriæ seruiat: ita, vt æquè quemadmodum sperauerunt Pontificij se ministerio Iesuitarum, si essent docti & liberali disciplina exculsi, Papatum vnà cum sua doctrina Antichristiana stabilituros, item eodè ministerio Papatum destruant & pessudent. Ac toto pectore optamus, Iesuitas monachos artibus & industria quàm maximè crescere: sic enim nobis maiorem de se spem concitabunt, tantò eos facilius ac citius ad regnum Christi & ad veræ religionis professionem accessuros: sicut Dei beneficio iam antea factum est, vt doctissimi quicquid de grege Papistico in Germania ad nos transirent, adeò vt nunc reliquum nihil sit apud Papistas, nisi feces quædam & excrementa hominum, qui ob suam imperitiam omnibus sordent, tantum abest, vt alicuius vsus esse possint: ac si qui adhuc hærent apud eos eruditi, eos à conuersione & veritatis confessione tantum prohibet auaritia, & lauta quædam stipendia ac redditus Ecclesiarum, quos autè percipiunt interim de religione Papistica nihil seriò cogitantes.

Ab hoc Canisso nomen cœperunt Canisiani, qui alio nomine Iesuitæ appellantur, simul etiam eius errorem amplexi sunt, adeò impudenter falsum, vt conuenire Cynicis possit. Sicut enim Canisius auctor sectæ à cane nomen habet, ita etiam ipsius pertinaces sectatores exuerunt, canino more, pudorem omnem, & abiecerunt.

QVAE.



## DE IESUITIS

### QVAESTIO.

*Quis est igitur error sectae Canisianae seu Iesuiticae?*

### RESPONSIO.

Quòd Christus, et si mediator & intercessor nos-  
ter fuerit, nunc tamen non sit amplius: sed solus iam  
sanctos mediatores atq; intercessores nostros esse.  
Item Iesum Christum hoc vel simili modo non esse in-  
uocandum: Fili Dei, ora pro nobis apud aeternum  
patrem.

### QVAESTIO.

*Quibus argumentis hunc errorem defendunt?*

### RESPONSIO.

Primum sic argumentantur. Si filius Dei domi-  
nus noster Iesus Christus adhuc est mediator & inter-  
cessor noster, sequitur inde, reconciliationem non-  
dum esse consummatam, sed iram Dei, & inimicitiam  
inter Deum & homines nondum esse sublatam.

### CONFUTATIO PRIMI

#### Argumenti.

**P**Rincipio latamur hunc errorem esse nouum, &  
post hominum memoriam inauditum commen-  
tum: quare minus ex eo periculi pertimescimus.

Deinde adeò est conspicuus & crassus error, vt  
parum sanè damni daturus sit: nemo enim Christia-  
nus quantumuis simplex & imperitus, hanc sibi con-  
solationem eripi patietur, quin adhuc Christus sit  
mediator & intercessor noster.

Quòd autem attinet ad primum argumentum,  
plana est responsio. Generalis reconciliatio inter  
Deum & humanum genus perfecta est & consum-  
mata

mata per filium Dei dominum Iesum Christum, ambulans in terris, passum & mortuum, adeo ut omnis inimicitia irarum & offensio Dei placata & penitus sublata sit ijs omnibus, qui verè credunt, Christum sua causa hæc omnia suscepisse atque perfecisse. Ad Romanos quinto: Iustificati ergo fide, pacem habemus cum Deo patre, per dominum nostrum Iesum Christum. Eteodem in loco: Si enim reconciliati Deo sumus per mortem filij sui, cum adhuc essemus inimici. Ad Ebræos decimo: Vna oblatione in æternum consummavit Sanctos. Et quamuis Christus neque patitur amplius, neque moritur, ad Romanos 5. neque amplius sacrificat seipsum sacrificium propitiatorium, ad Ebræos nono: neque per passionem ac mortem amplius iam mediator, reconciliator & intercessor agit: tamen usus & beneficia passionis, mortis, sacrificij, mediationis, reconciliationis & intercessionis, adhuc & perpetuo durant: quare adhuc mediator noster merito & est, & nuncupatur.

Præterea quotidiani lapsus hominum subinde novas offensiones inter Deum & homines concitant, de quibus offensionibus adhuc Christus mediator & intercessor æternum patrem placat. Ac si mediatio et intercessio tantum de tempore Christi ambulantis inter homines, patientis, morientis, resurgentis & ascendentis in cælum, intelligi debet: exinde similiter concludi potest, Christum ab initio mediatorem & intercessorem suæ Ecclesiæ non fuisse, neque exaudisse, neque patrocinatum fuisse, neque deprecatum, neque defendisse.

## DE IESUITIS

Christum ab initio mediatorem & intercessorem suae Ecclesiae non fuisse, neque exaudisse, neque patrocinatum fuisse, neque deprecatum, neque defendisse.

Nisi ergo nouae & quotidianae offensiones existerent inter Deum & homines, fortassis deinceps iam mediatore & intercessore non esset opus, atque Christus mediandi & intercedendi officio superledere posset. Quoniam autem nouae quotidie offensiones incidunt, remittit nos Iohannes ad Christum mediatorem, aduocatum & intercessorem: sic enim prima Epistola capite secundo dicit: Si quis autem peccauerit, aduocatum habemus apud patrem.

Vt autem in medio relinquamus, nos ob illos nouos & quotidianos lapsus Christo mediatore non indigere, affirmantibus videlicet Canisianis, usum mediationis semel à Christo peractae esse perpetuum: tamen nihilominus Christus necessario manet mediator noster, ideo quia pater sine hoc mediatore neminem exaudit. Vnde Christus suam nobis personam demonstrat, ac vult ut in ipso confidamus, & per ipsum mediatorem accedamus ad patrem, siquid opus est nobis. Iohannis decimo sexto: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Si ergo frustrà est, quicquid patrem sine Christo mediatore rogamus: meritò is quidem adhuc verus mediator à nobis agnoscitur.

### SECUNDVM ARGVMENTVM Iesuitarum.

*Christus consummavit & perfecit officium mediationis suae. Ideò non est amplius mediator noster.*

RE

ETERRORE CANISII.  
RESPONSIO.

54

Quòd Christus officium mediatorium in genere, ad perpetuam reconciliationem, per amaram passionem, mortem & sui ipsius oblationem exegerit, de eo non est controversia, sicut patet ex dictis, quæ supra in refutatione primi argumenti allegauimus.

Quòd autem idcirco non sit amplius mediator noster, commentitium est & falsum: si enim Christus fuit mediator noster cum adhuc inimici essemus, quantò magis post generalem illam reconciliationem & mediationem? Ad Romanos quinto: Deus commendat suam in nos dilectionem, quòd cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: quantò igitur magis nunc postq̃ iustificati sumus sanguine eius, seruabimur per ipsum ad iram. Et statim sequitur: Si enim cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij sui, multò magis postq̃ reconciliati sumus, seruabimur per vitam ipsius. Atq̃ huc pertinent grauissimæ illæ rationes, quibus superius contra Stancarianos vsi sumus, asseruerantes Christum adhuc nostrum esse mediatorem.

TERTIVM ARGV-  
mentum.

*Christus iam tantum est dator beneficiorum & munerum cum patre & Spiritu sancto. Ergo non est mediator noster.*

P 2 . RE.

DE IESVITIS

RESPONSIO.

Dator beneficiorū & munerum semper fuit, etiam antequam humanam naturam assumeret, respectu videlicet suæ diuinitatis: ac etiam post incarnationem dator mansit, quia propter humanam naturam, diuina non desijt. Quia ergo adhuc Deus est, æque adhuc dator est beneficiorum & munerum. Et quod Christus omni tempore talis fuerit dator, id non impediuit eum ab officio mediationis, multo minus nunc eum impedit, post humanæ naturæ assumptionem, quæ utiq; tantum non à mediatione eum impediuit, vt etiam ad eam rem illi profuerit, quia Christus certè natura verus Deus & homo, verus est mediator, sicut superius aduersus Stancarianos satis demonstrauius: atq; idem totus Christus Deus & homo, sedet iam ad dexteram patris, quo fit, vt tanto gloriosior sit mediator. Sinautem aliqui putant, Christum per humanam naturam ab officio mediandi impeditum esse, consequens inde fieret, Christum post assumptionem humanæ naturæ mediatorem esse nunq; potuisse.

Deinde si Christus tantum nunc post passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem suam, dator beneficiorum & munerum, vnà cum patre & spiritu sancto factus est: amplius colligi potest, quod antea nunquam is fuerit. Si nunq; fuit, neq; verus & æternus Deus fuit.

OBIECTIO.

*Tantum mediationis tempore, hic in terris, Christus non fuit dator beneficiorum & bonorum.*

RE =

## RESPONSIO.

Nec hæc cauillatio valet. Nam diuinitas Christi nec quidem tempore passionis & mortis, quibus tanquam medijs consummatio mediationis generalis facta est, desijt. Igitur & eo tempore mansit dator beneficiorum & munerum.

## QUAEDAM ABSVRDITATES

quæ deducuntur ex hac impia propositione, quod Christus iam non sit amplius mediator noster, postquam generalem mediationem ab-  
soluit.

Sequeretur hinc, Christum amplius etiam reconciliatorem, sacerdotem, pastorem, regem, aduocatum, intercessorem, redemptorem & saluatorem nostrum non esse: similiter enim cum Canisianis hoc modo argumentari liceret: Reconciliatio facta est, ergo Christus non est amplius reconciliator noster. Christus summus sacerdos, oblationem pro peccato consummauit, ergo non est amplius summus sacerdos. Christus in terris munus pastoricium expedauit, itaque non est amplius pastor. Hisce argumentis sequentia scripturæ testimonia resistunt. Ad Romanos 5. Multo ergo magis postquam iustificati sumus sanguine ipsius, seruabimur per eum ab ira. Et statim adijcitur: Si enim reconciliati sumus Deo per mortem filij sui, multo magis postquam reconciliati sumus, seruabimur per vitam ipsius. Psalmo centesimo nono: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Priore Petri secundo: oues errantes & iam conuersæ, deducuntur tamen ad Christum  
P ; pasto-

## DE IESVITIS

pastorem, & episcopum animarum suarum. Esaiæ 7.  
Et regni eius non erit finis. Ad Romanos octavo:  
Qui est ad dexteram patris, & intercedit pro nobis.  
Prima Iohan. 2. Si quis peccat, habemus aduocatum  
apud Deum.

Præterea si Christus tantum in hac visibili vita  
noster fuit mediator, reconciliator, redemptor: ergo  
hæ appellationes, mediatio, reconciliatio, redemptio,  
non sunt appellationes diuinæ naturæ in Christo, &  
sic parum nobis proderunt hæ eius officia. Porro si  
Christus non est amplius mediator, neq; intercedit  
pro nobis amplius, iam destituimur singulari qua-  
dam consolatione. Paulus enim summæ consolatio-  
nis loco æstimat, ad Rom. 8. quod Christus sedeat ad  
dexteram Dei, & pro se intercedat, quare nihil se  
calamitatis, nihil periculi extimescere dicit. Ad hæc,  
si Christus non est amplius mediator noster, & Deus  
pater semel ita placatus est, vt amplius reconcilia-  
tore non indigeamus, licet iam facere quod libet  
citra offensionem Dei, qui quidem vt maximè offen-  
datur, tamen omnem iram & offensionem remittit,  
sine mediatore & reconciliatore.

Ad extremum, si Christus non est amplius media-  
tor noster, quis perfert preces nostras ad patrem?

### QUARTVM ARGVMENTVM.

*Christus nunc sedet ad dexteram patris, tantum secundum diuinam  
naturam: habet enim corpus glorificatum, ad Philippenfes 3. Ergo non  
potest esse amplius mediator: & supra à nobis dictum est contra Stanca-  
rianos, quod Christus mediator noster sit secundum utraq; naturam.*

RE

## RESPONSIO.

Christus sedet ad dexteram patris, non tantum secundum diuinam naturam, sed etiam secundum humanam, hoc est, sedet ibi verus Deus & homo, idcirco iuxta articulos Symboli, Resurrexit à mortuis, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei patris. Visibiliter ascendit, & visibiliter etiam redibit, in signum humanitatis suæ, Actorum primo.

Deinde corpus Christi, quod est ad dexteram patris, non eam ob causam nominatur corpus glorificatum, quod Christus iam non sit amplius verus homo, sed respectu quorundam accidentium humanæ naturæ, quibus non est amplius subiectum corpus Christi, vt sunt, fames, sitis, algor, æstus & similia. Si ergo Christus adhuc sedet ad dexteram patris verus Deus & homo, ac si proprium est veri mediatoris, vt sit Deus & homo: rursus iam negari non potest, quin adhuc verus mediator esse possit, sicut fuit & antea, & quod ad hanc rem nihil in eo desideretur. De hoc videndus est Augustinus in libro de præsentia Dei ad Dardanum, cap. vndecimo.

QVINTVM ARGV-  
mentum.

Priore ad Timoth. 2. *Vnus est Deus, & unus mediator inter Deum & homines, nempe homo Christus Iesus. Nonne hoc dictum expresse dicit, Christum secundum solam humanitatem esse mediatorem nostrum?*

RE.



## DE IESVITIS.

### RESPONSIO.

Minimè. Nam appellatio Christi complectitur personam. Præter hæc mentio fit hoc loco mediatoris Iesu Christi filij Dei, quem pater misit ad assumendam humanam naturam, vt esset integer mediator secundum vtranq; naturam in vna persona.

DICTA QVAEDAM SCRIPTURÆ,  
quæ ostendunt Christum adhuc esse  
mediatorem & intercessorem  
nostrum.

Psalmo centesimo nono: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Si itaq; Christus est sacerdos, qui ex officio suo sacerdotali pro nobis orat, est ergo etiam mediator & intercessor noster.

Iohannis decimo sexto præcipit Christus, vt inuocemus patrem in nomine suo, quò exaudiri possimus. Hoc mandatum Christi de inuocatione vanum esset & irritum, si Christus amplius mediator & intercessor non esset. Imò significatur hoc loco, quòd sine Christo pater exauditurus sit neminem. Ac nisi hunc mediatorem & intercessorem haberemus, futurum esset, vt nunq; exaudiremur. Et obseruandum est hoc loco diligenter, cur necesse sit, vt Christus mediator et intercessor noster maneat, tanquam ea persona, propter quam à patre exaudimur. Sic enim à patre diligitur filius, vt propter hunc omnia faciat, omnia largiatur, omnes exaudiat.

Quamobrem non tantùm rectè, sed etiam necessariò Christum mediatorem atq; intercessorem nostrum

strum agnoscimus, eò quòd etiã petitiones ad æternum patrem factæ sine ipso exaudiri nequeant.

Ad Rom. octauo Paulus omnem accusationem & omnem condemnationem tollit, propter Christum mediatorem & intercessorem, quia is mortuus sit & resuscitatus, sedeatq; ad dexteram patris, ita vt nihil amplius metuendum sit damni vel periculi.

Primæ Iohannis secundo: Si quis peccat, aduocatum habemus apud Deum patrem. Porro officia aduocati, mediatoris, intercessoris & deprecatoris, propemodum sunt similia.

Ad Ebræos septimo: Vnde & saluare in æternum potest inuocantes Deum per ipsum, ipse viuens in sempiternum, vt intercedat pro eis. Iam si Christus in æternum saluare potest inuocantes Deum per ipsum, ac præterea ipse viuít in sempiternum, & incepit pro nobis: illa utiq; tota ratio quæ in mediando atq; intercedendo consistit, omni fine caret.

Daniel tantum propter Christum mediatorem petit se exaudiri, quòd etiã ante humanæ naturæ assumptionem sic inuocat. Exaudi nos Deus, non propter iustitiam nostram, sed per tuam iustitiam, propter Dominum, hoc est, propter Christum mediatorem. Quanto magis iam nos orabimus, vt propter filium mediatorem exaudiamur.

Ad Ebræos decimotertio Christus appellatur altare nostrum, in quo semper debeamus offerre Deo sacrificium laudis, hoc est, petitiones & gratiarum actiones. Rursum ergo Christus meritò & est & manet hoc nomine mediator noster: alioqui enim neminem haberemus, perferentem preces & gratiarum actiones nostras ad æternum patrem.

Q Quod

Quòd verò etiã adhuc Christus sit mediator noster, vno consensu testantur omnia dicta scripturæ sacræ, quæ de inuocatione Christi loquuntur: ideò enim inuocatur, quia mediator noster est, & perfert ad patrem petitiones nostras, & pro exauditione ad patrem intercedit. Neq; Christus tantum inuocatur, vt ipse det, quæ ab eo petimus, pro communi sua cum patre & spiritu sancto benignitate, sed etiã propter memoratam causam, vt p̄ces nostras ad patrem perferat, & apud eum pro nobis intercedat.

**OBIECTIO.**

*Inuocatio tantum est cultus pro patre. Ergo non pertinet ad filium. Nam propterea et Christus ipse inuocationem ad patrem suum refert, Matth. 6. Et Iohan. 16. vult, ut inuocemus patrem in nomine suo.*

**RESPONSIO.**

Negamus consequentiam. Nam inuocatio est cultus toti trinitati communis. Ac si maxime pater solus inuocetur, tamen illa inuocatio frustra est, nisi fiat simul in nomine filij, hoc est mediatoris, propositi Deo petitiones nostras, & sua intercessione open impetrantis. Imò oportet ibi accedere & spiritum sanctum docentem nos, quemadmodum secundum voluntatem Dei recte oremus, & ut petitio nostra sanctificetur, ad Rom. 8.

**QVAEDAM SCRIPTURAE**

dicta de eo, quòd Christus inuocandus sit.

Psalmo quadragesimo nono: Inuoca me in die tribulationis. In hoc dicto generale mandatum est de in-

de inuocanda tota Trinitate. Ac in eo loco Christus filius Dei simul aduocatur, non tantum ut dator beneficiorum & munerum, auxilijs & liberationis: sed etiam vt mediator, qui perfert preces ad patrem, & efficit, vt exaudiamur.

Matthæi vndecimo: Venite ad me omnes qui defatigati & onerati estis, & ego vos reficiam, quo in loco Christus hortatur, vt accedamus ad ipsum tanq̃ ad mediatorem, & ab eo non tantum refecionem expectemus, sed etiam voluntatem & operam in perferendis ad patrem defectibus & calamitatibus nostris, in orando pro nobis, & in auxilio impetrando, quæ sanè omnia opera mediatori rectissimè conueniunt.

Esaia vndecimo: In illo tempore stabit radix Iesæ in signum populorum, & gentes eum inuocabunt.

Psalmo septuagesimo secundo: Et reges eum adorabunt. Item: Inuocabunt ante eum quotidie.

In Actis cap. 7. clamat Stephanus: Domine Iesu suscipe spiritum meum.

Si ergo Christus mediator noster & intercessor est, in cuius nomine inuocare debemus, qui & ipse in inuocatione appellandus est, vt hoc vel illud nobis largiatur, vt preces nostras ad patrem perferat, ut exaudiri nos adiuuet: sequitur amplius, quod hæc & similes inuocandi formæ non sint impiæ vel malæ, in quibus filium sic alloquimur: Tu fili DEI Iesu Christe, esto nobis propitijs. Item: Iesu Christe, perfer orationem nostram ad æternum patrem, intercede, interloquere, interpella pro nobis.

## OBIECTIO.

Atqui Christus Iohan. 16. sic affatur discipulos. Dico autem uobis, quòd ego amplius non sim rogaturus patrem pro uobis.

## RESPONSIO.

Hæc uerba loquitur Christus paulò ante passionem suam, nec intelligenda sunt de futura illa intercessione ad dexteram patris, sed de intercessione in terris, quam statim Christus per crucem & passionem suam abrupturus erat. Quare firma & immota manent dicta illa ad Rom. 8. & primæ Iohannis secundo, de intercessione & interpellatione Christi ad dexteram patris.

## TESTIMONIA SANCTORVM

patrum de Christo, quòd adhuc mediator noster sit.

Cyrillus in Euangelium Iohannis, lib. 16. cap. 16. In quantum uerò mediator est, & pontifex, & parallelus, nostras preces adducit ad patrem. Ipse etiam libertatem & fiduciam ad patrem largitur.

Ibidem libro II. cap. 7. & 16. In nomine autem meo, addit, ut mediatorem se, & collargitorem ostendat. Nullus enim accedat ad patrem nisi per filium, per quem adductionem habemus ad patrem in spiritu.

Item, ad Reginas de recta fide, ex Euangelio Iohannis: Assumptus est in cœlum, sed ut Deus, annunciat præstare petitiones adorantium, si in nomine eius fecerint preces. Iam cui magis conuenit facere compotes uotorum sanctos, & largiri quod petunt, quam ei qui solus natura, & uerè est Deus?

Cyprianus in oratione quam in die passionis sue

sux habuit: Te Deum precor filium Dei viui. Tu ipse nobis testamentum fecisti, Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis. Quodcumq; à patre meo petieritis in nomine meo, ego à patre peto, vt accipiatis. Ego peto, vt accipiam: quæro, vt inueniam: ego pulso, vt aperiatur mihi. Ego in tuo nomine peto, vt tu à patre peras, & detur mihi.

Augustinus ad Hieronymum de natura & origine animarum: Nec omninò est anima vlla in genere humano, cui non est necessarius mediator Dei & homo Iesus Christus.

Item in prima Epistola Iohannis: Fecit Christum aduocatum nostrum.

In Psalmum 108. Oratio autem quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, verum etiã ipsa fit peccatum.

Lib. 7. Confessionum cap. 18. Et quærebam viam comparandì roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, nec inueniebam, donec amplecterer mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum.

In primam epistolam Iohannis, tractatur. Fratres, Iesum Christum iustum ipsum habemus aduocatum apud patrem, qui & ipse est propitiatio peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresin non fecit, hoc qui tenuit, schisma non fecit.

In lib. contra sermonem Arianorum: Neq; enim esset spiritus sanctus aduocatus alius, nisi hoc esset & filius.

EUSEBIUS LIBRO. X. ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ, pag. 112.

Magnus vniuersæ Ecclesiæ pontifex, ipse Iesus.

vnigenitus Dei, benè fragrantem odorem, & incorporeas & incorporeas hostias precum ab omnibus læto vultu & supinis manibus accipiens, cœlesti patri & Deo omnium creaturarum offert, primus ipse adorans, & solus patri dignum tribuens honorem: deinde omnibus nobis placatum manere & propitiū cū semper precans.

Anshelmus in lib. Meditationum: Quid est dulcius & acceptius, quàm patrem in nomine vnigeniti filij exorare?

Ibidem: Domine, sine vt sis placatus per intercessionem filij tui, qui gloriose sedet ad dexteram tuam, reduc me iterum ad vitam. Quoniam non scio alium, quem tibi pro me, loco intercessoris propono, quàm illum solum, qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram tuam.

Ibidem: Hic est meus intercessor apud te Deum patrem.

Ibidem. Proposui tibi intercessorem meum, & tuum dilectum filium inter te & me, vt sit mediator: ad te transmisi, imò mihi ad te eiusmodi intercessorem, per quem remissionem spero.

Taulerus in lib. de vita & passione Christi, cap. 2. Ego inuoco te reconciliatorem hominum & benignum intercessorem pro peccatis.

TESTIMONIA TAM EX DIVINIS literis, quàm sanctorum Patrum monumentis deprompta, quod sancti non sint meditatores & intercessores nostri, & proinde non inuocandi à nobis.

Deutero sexto: Dominum Deum tuum adora bis, & illi soli seruias. Primo

Primo Paralip. lib. cap. quinto: Deum inuoca.

Psalmo 49. Sacrifica Deo sacrificium laudis, & inuoceme.

Ibidem: Inuoca me in tempore tribulationis.

Iohan. decimo sexto: Christus iubet, vt patrem inuocemus in nomine suo.

Roman. octauo: Christus dicitur intercessor noster ad dexteram patris.

1. Iohan. 2. Siquis peccat, habemus aduocatum apud Deum, Iesum Christum, illum iustum.

Augustinus in primam Epistolam Iohan. Tractatu 1. Sed dicet aliquis: ergo sancti non orant pro nobis? Responso. Sancti viuentes hic orant pro se inuicem. Sic episcopi & prepositi orant pro populo.

Lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 7. Nolunt sancti sibi sacrificari, sed ei, cuius & ipsi nobiscum se esse nouerunt.

Cyrillus in Thesauro, lib. 4. cap. 2. Sancti & gratia & participatione dona Dei acceperunt: sed hæc alijs iuxta voluntatem suam dare non possunt, nec alios sanctificare: fons enim sanctitatis solummodo potest ex seipso sanctitatem quibuscumq; largiri.

Item. lib. 6. contra Iulianum: Sanctos Martyres neq; Deos esse dicimus, neq; adorare consueuimus.

Chrysofomus Homilia 12. de muliere Chananaea: Dic mihi mulier, quemadmodum ausa es, cum sis peccatrix & iniqua, accedere ad eum? Ego, inquit, noui quid agam: vide prudentiam mulieris, non rogat Iacobum, non obsecrat Iohannem, neq; pergit ad Petrum, neq; intendit ad Apostolorum chorum, non quesuit mediatorem, sed pro omnibus illis, poenitentiam accepit comitem, quæ aduocati locum impleuit, & sic ad summum fontem perrexit. Ibidem



## DE IESUITIS

Ibidem. Nam si ho minem rogare uolueris, interrogas quid facit, & audies dormit, aut non vacat, aut certè non dignabitur tibi minister respondere. Ad Deum autem nihil horum opus est, sed vbicumq; fueris & inuocaueris, audit te, non ostiario, non mediator, non ministro opus est: sed dicito, Misere mei Deus.

Item Homelia de profectu Euangelij: Carearum non opus est patronis apud Deum, neq; multo discursu, & vt blandiaris alijs: sed licet solus sis, patronisq; careas, & per teipsum Deum preceris, omnium tamen voti compos eris.

Item Homelia 5. super Matth. cap. 5. Multo magis nostro quam alieno tuti sumus praesidio.

Ambrosius in Epistolam ad Rom. Solent, inquit, misera vti excusatione, dicentes per istos nos ire ad Deum, sicut per comites peruenitur ad Regem. Age nunquid tam demens est aliquis, & salutis suae immemor, quò honorem regis vendicet comiti?

Nam & ideo per tribunos & comites itur ad regem, quia homo utiq; rex, & nescit quibus debet Rempub. credere. Ad Deum autem, quem utiq; nihil laetet, & omnium opera nouit, suffragat ore non est opus, sed mente deuota.

ta.



DE

# DE ANTINO<sup>61</sup>

MORVM SECTA.



NTINOMI SVVM ER-  
rorem hauserunt ex falso in-  
tellectu doctrinae de abro-  
gatione legis. Vbi enim ea  
non intelligitur, vel minus,  
vel amplius tribuitur legi.

Porro verus de abro-  
gatione legis intellectus in  
eo est, vt initio sciamus, le-

gem in genere hoc modo per Christum sublatam esse, vt filius Dei maledictione, damnatione & accusatione sua nocere non possit, sicut ad Galatas tertio dicitur: Christus redemit nos à maledicto legis, ipse factus pro nobis maledictum: id factum est videlicet secundum officium eius, de quo pridem spiritus sanctus per Moysen vaticinatus fuerat, Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Et inde ratiocinatur Paulus, nos qui per Christum sumus redempti, nunc esse sub gratia, & non sub lege. Roman. sexto.

Deinde Christus rursus ita sustulit legem, ne frustra nos affligamus in quaerenda iustitia Dei per legem, cum non praestemus ei perfectam obedientiam annexam iustitiae. Ad Rom. 8. Quod erat impossibile legi, & in quo infirma erat propter carnem, id praestitit nobis Deus, qui misit filium suum in similitudine carnis peccato obnoxiae, & factus oblatio pro peccato, condemnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.

R. Ad

DE ANTINOMORVM.

Ad Galatas quarto: Quando autem venit plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, natum ex muliere, subiicientem se legi, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt nos adoptionem filiorum acciperemus.

Tertio, Christus qui est veritas, in eo etiam legem abrogauit, vt imagines, figuræ & vmbre legis cessarent. Ad Rom. 15. Dico autem quod Christus legis minister fuerit circumcisionis propter veritatem Dei, ad ratificandas promissiones patribus factas. Et ibidem cap. secundo, meminit circumcisionis cordis quæ sit in spiritu, cuius fuit significatio & figura circumcisio illa carnis, quæ sub lege vsitata fuit. Ad Ebræos 10. Lex habebat vmbra futurorum bonorum, non ipsam substantiam rerum.

Quarto, Christus intellectum & vsum carnalem legis sustulit, vt iam spiritualem nobis vsum legis penitus aspicere liceat. Posteriore Cor. 3. Vsq; in hodiernum diem illud ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reiectum, quod in Christo tollitur.

Quinto, Christus sustulit impossibilitatem seruandi legem sponte, sine vlla coactione, cum alacritate, ex animo, & sine omni hypocrisis. Hieremix cap. 31. Post dies istos dicit dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum describam eam. Ezech. 36. Spargam super vos aquam mundam, daboq; vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in medio vestri. Huc pertinet & dictum apostoli, in priore ad Timoth. cap. 1. iusto non est lex posita, hoc est, iustus etiam si nullam legem ob oculos habet, tamen per se & vltro facit omnia secundum voluntatem Dei, quam lex describit & requirit.

Sextò, Christus leges ceremoniales & forenses abrogauit, & ita simul totam politiam Mosaicam cum suo sacerdotio aboleuit vsq; ad literam, quatenus illæ leges cum naturæ sententijs non conueniunt. Nam in his æterna & immota voluntas Dei comprehenditur. De istarum rerum omnium abrogatione, & prophetæ prædixerunt antea, cum de nouo fœdere, quod sub regno Christi futurum esset, locuti sunt, vt Esaiæ 44. Ieremiæ 31. Ezech. cap. 36. 37. Danielis cap. 9. Ad Galatas 4. Nam in Christo neq; circumcisio valet, neq; præputium, sed fides quæ est efficax per dilectionem. Hoc loco possunt etiam sumi testimonia ex decretis synodi Ierosolymitanæ, Actor. cap. 15.

Augustinus Quæst. noui & veteris test. quæst. 69. Lex autem duplici modo cessauit, nec quidem tota. Nam & id quod cessauit, poterat permanere, si seruetur conditio: aliud enim cessauit in sententia, aliud in ipsa lege. Prædicante Iohanne, baptismum penitentiæ in remissionem peccatorum, cessauit sententia legis, quæ reos tenebat peccatores, cessauerunt etiam onera legis, quæ ad duriciem cordis fuerant data in fœcis, neomenijs, sabbathis & cæteris. Sed onera legis in perpetuum cessauerunt: sententia verò his cessat & aboletur, qui permanent in officio consecuto.

Ibidem. Circumcisio & sabbatum vsq; ad illud tempus valuit, quo nouæ legis prædicaretur mandatum: sic enim data sunt, vt adueniente lege fidei cessarent, vnde dicit apostolus: Finis legis Christus. Nam & Dauid significat hoc, cum de aduentu Domini, & temporibus hebdomadam prophetat, quia & christi, & sacrificium, & ipsa ciuitas cessatura erant. Spirituali enim lege adueniente, necesse erat cessare carnalia.

DE ANTINORMVM

Item lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 7. Alioqui quantum diu legitur Moses, velamen super corda eorum positum est: cum autem quisque inde transierit ad Christum, auferetur velamen.

Item in Euangelium Iohannis tractatu 3. Ecce ad hoc venit Christus, vt eos redimeret, qui sub lege erant, quod non amplius sub lege, sed sub gratia esse mus.

Item in lib. 83. Quæst. Quæstione 66. Lex autem Spiritus vitæ, quæ pertinet ad gratiam, & redimit à lege peccati & mortis, efficit, ne concupiscamus aduersus legem, sed illius mandata impleamus.

Item ad Simplicianum lib. 1. Quæst. 1. Ab eius ergo dominatione liberantur, qui per spiritum innovantur.

Item Quæst. noui & veteris Testamenti, Quæst. 44. Post hæc misericors Deus, promisit se esse datum nouum Testamentum, in quo post abbreviationem legis, credentes iustos faceret. Quemadmodum Abraham iustificatus est, vt cessarent neomenia, & nos iusti efficeremur. Quia post renouationem fidei Abrahæ, voluit omnia cessare, vt tale tempus esset, quale fuit, cum Abraham crederet.

Item contra aduersarium legis & Prophetarum, lib. 2. cap. 7. Lex multum iubebat, sed iustitiam dare non poterat.

Ex præcedenti doctrina de vero intellectu abrogatæ legis, facile est, nunc iudicare, quid non sit abrogatum vel sublatum. Primum non est sublatus Decalogus, seu lex moralis, idque loco obedientiæ erga voluntatem Dei, secundum quam Deus vult coli: neque

nec tamen falsum est & ipsam legem moralem esse abrogatam, nec cogamur per illam querere iustitiam coram Deo, sicut & cetera partes legis in hanc conditionem abrogatae sunt.

Retinemus autem & observamus legem moralem, non propter Moysen, sed quia fundata est etiam in lege naturae, nec aliud est, quam clarior & manifestior legum naturalium declaratio. Ideo & Christus & Apostoli Decalogum in suis concionibus & scriptis repetunt, non utique eam ob causam, ut nos ad Moysen, & ad politiam Mosaicam alligent, sed propter obedientiam diuinitus praecipiam secundum leges naturae nobis insitas.

Augustinus super Quaestiones novi & veteris Testamenti, Quaest. 44. Neomenia, Sabbathata, circuncisio, & aliae res similes sunt abrogatae: sed abrogatae non sunt, quae sunt legis naturalis.

Ibidem. Quaest. 69. Non facies tibi idolum, nec adoraueris, quae in caelo sursum sunt, & quae in terra deorsum: non peierabis. Nunquid haec cessasse dicenda sunt? Absit.

Item in 3. cap. Epistolae ad Galatas. Nam nunc quamuis primitias habentes spiritus, qui vita est, propter iustitiam fidei, tamen quia adhuc mortuum est corpus propter peccatum, differentia ista vel gentium, vel conditionis, vel sexus, iam quidem ablata est ab unitate fidei, sed manet in conuersatione mortali, eiusque ordinem in huius vitae itinere seruandum esse & Apostoli praecipiant.

Item de fide & operibus ad Petrum, cap. 24. Nos ad nouum testamentum pertinentes, non ancillae  
 R 3 liberi

## DE ANTI-NOMORVM

liberi sumus, sed liberae, qua libertate Christus nos liberauit. Inde quidam putauerunt, hoc esse liberè viuere, vt tanq̃ de tanta redemptione securi, quicquid liberet, licere sibi arbitrarentur, non intuentes quòd dictum est: Vos in libertatem vocati estis fratres, tan tùmne libertatem in occasionem carnis detis, vnde & ipse: Petrus dicit Liberi, non sicut velamentum ma- litia habentes libertatem.

### QVAESTIO.

*Possumus ne seruire decalogum seu legem moralem, quo ad obe- dientiam?*

### RESPONSIO.

Possumus, etsi in magna infirmitate & imperfe- ctione: tamen eiusmodi res non adferunt nobis dam- nationem, ad Rom. 8. modò maneamus in Christo, id est, in vera fide Christi, qua repugnamus malis cu- piditatibus, affectibus & cogitationibus, ne erumpant verbis vel factis in peccata mortalia.

Vt autem, quo ad obedientiam, voluntati Dei aliquo modo, quia integrè non possumus, obtempe- remus: nobis quidem iustificatis donatur spiritus san- ctus, qui regenerat nos, & facultatem tribuit recta- faciendi iuxta voluntatem Dei: quamuis, vt dictum est, in magna imbecillitate & imperfectione. Qua- propter vtrunq; verum est, quod dici solet: Deus præ- cepit impossibilia, & Deus præcepit possibilia: im- possibilia, quo ad perfectam obedientiam ad iustiti- am coram Deo: possibilia, post regenerationem loco obedientia & gratiarum actionis.

Augustinus in euangelium Iohannis, tractatu  
74. Cum hoc dicat de spiritu sancto, quem nisi habea-  
mus

mus, nec diligere Deum possumus, nec eius mandata seruare.

Item ad Asellinum epistola 200. Vt autem sit spiritalis, qui legem impleat spiritalem, non fit ipsa lege sed gratia, hoc non imperio, sed beneficio, non iubente litera, sed adiuuante spiritu.

Item de spiritu & litera ad Marcellinum, cap. 3. Digtus Dei spiritus est, per quem sanctificamur, vt ex fide viuamus, ad faciendum id quod bonum est.

Secundo super sunt nobis à lege Mosaica omnes constitutiones forenses, quæ in iudicio forensi cum naturali lege conueniunt. Eius generis sunt leges de gradibus cognationum & affinitatum. Verum has non propter Mosen obseruamus, sed quòd legi naturæ consentaneas esse reperimus. In hanc sententiam docet etiam Augustinus in quæst. noui testamenti & veteris, questione 44.

Tertiò tota lex & totum vetus testamentum adhuc vsurpari à nobis potest ad stabiliendum nouum. De hoc vsu docet Augustinus lib. 10. contra Faustum, cap. 2. & quatenus vetus testamentum siue lex adhuc seruiat populo noui testamenti, copiosè tradit Lutherus in præfatione veteris testamenti.

Quartò, Quoniam, vt ante diximus, lex non est omnibus sublata, sed ijs tantum, qui sunt sub gratia, & beneficia Christi per fidem agnoscunt & amplectuntur, imò iustis est abrogata, sicut Paulus dicit in priore ad Timotheum capite primo: sequitur inde, quòd iniusti & nondum conuersi, quiq; beneficia Christi per fidem non agnoscunt & apprehendunt, atque alioquin malam atque inhonestam vitam ducunt, adhuc



DE ANTI NOMORVM.

adhuc sint sub lege, idq; toto tempore impietatis suae, ita vt lex assiduò officium suum in eos exercent, ostensione peccati, irae Dei & poenarum consequentium: deinde etiam ostensione imbecillitatis & impossibilitatis nostrae in seruanda lege diuina, ad obtinendam iustitiam: praeterea per terrefactione, accusatione, condemnatione & mortificatione, vt ipsi iniusti tyrannidem legis & dominationem, maledictionem & condemnationem eius sentiant atq; experiantur. Hoc significat priore ad Timo. i. Lex data est iniustis, contumacibus, i. n. p. peccatoribus, irreuerentibus, profanis. Et in huius generis peccatores lex Paedagogus adhuc animaduertit, ad Galatas 3. Atq; ita lex est Paedagogus noster vsq; ad Christum.

Augustinus contra Adamantium Manichaei discipulum, cap. 16. Iniustus meritò vtitur lege, donec iustus fiat, & postea non amplius eget paedagogo.

Item Quaest. noui & veteris Testa. Quaest. 69. Sententia vero legis his cessat & aboletur, qui permanent in beneficio consecuto: his autem, qui redeunt ad hominem veterem, refricatur legis autoritas, quia immemores beneficiorum redeunt sub sententiam legis.

Item. Quaestionum 83. Quaest. 66. Apostolus tandiu viuít peccato: quemadmodum tandiu mulier sub lege viri est, quandiu vir viuít.

Quintò, spiritus sanctus adhuc perpetuò vtitur lege, sicut inde vsq; ab initio post lapsum primorum parentum vsus est, tanq; medio, quo conuertit peccatores per poenitentiam à vitæ suae prauitate, in occasionem perueniendi per praedicationem Euangelij ad

ad regnum Christi, & ad iustitiam eius. Eodem legis adminiculo lapsos peccatores seu eos qui exciderunt regno Christi per peccata mortalia, reuocat ad poenitentiam & corrigit. Igitur neq; in hac parte lex sublata est.

Porrò de conuersione impiorum, qui antea nunquam fuerunt conuersi, multa nobis exempla proponuntur in Actis Apostolicis. Sic Petrus in eius libri capite secundo, Iudæis quos vult conuertere, concionatur etiam legem, vt ad agnitionem peccatorum suorum eos deducat, iram & pœnas diuinas eis ostendat, & ad contritionem & veros dolores seu tristitiam prouocet. Idem postea facit in multis alijs concionibus, sicut & ceteri Apostoli eandem formam prædicandi legem obtinent.

De conuersione autem lapsorum, illustre exemplum nobis describitur in Dauide, qui cum adulter & homicida factus esset, misit ad eum dominus prophetam Nathan, qui legem ei proponit, vt per eam conuertitur, secundo libro Samuelis capite 12. Tu es vir ille, dicit dominus Deus Israel. Quare contempsisti Verbum meum faciens quod malum est in oculis meis? Viriam Hethæum percussisti gladio, vxorem eius tibi rapuisti, ipsum porrò sustulisti gladio filiorum Ammon.

Etiam si autem plures causæ retinendę legis non essent, tamen hæc vna sufficeret, vt ex vna parte certum habeamus medium vocandi ad poenitentiam, tum eos qui primum conuertuntur, tum ceteros qui lapsi sunt. Quæ igitur dicta sunt hæcenus, de certis quibusdam partibus & vsibus legis, nondum abro-

DE ANTINOMORVM  
gatis, illa omnia manifestè redarguunt doctrinam  
Antinomicam.

QVAESTIO.

*Qui sunt ergo errores & falsa dogmata Antinomorum?*

RESPONSIO.

Hæc sequentia, horrenda scilicet & blasphema  
mendacia.

PRIMVS ERROR

Antinomorum.

*Lex non est digna, ut uocetur uerbum Dei.*

CONFVTATIO.

**H**Orribile est auditu, legem esse indignam quæ  
Happelletur uerbum Dei. Nam scriptura dicit  
Exodi 31. Deum legem seu decalogum suo scripsisse  
digito: quidni ergo uerbum Dei appellabimus? Deu-  
tero. 18. dicit Dominus, se positurum uerba sua in os  
prophetae, ut loquatur quæcunq; præceperit ei. Ac  
ita deinceps in omnibus prophetis lex uocatur lex  
Domini: quæ res argumento est, legem uerè esse uer-  
bum Dei. Si uerè est uerbum Dei, certè meretur eti-  
am uocari. Quæ uerò de dignitate legis Paulus scri-  
bit, petenda sunt ex tertio cap. secundæ ad Corinth.  
epistolæ: quam legis dignitatem Antinomi plane  
contemnunt & derident.

Augustinus in 2. lib. Mosis, Quæst. lib. 2. quæst.  
166. Inde uocatur lex opus Dei, quia ipse eam ordi-  
nauit, Deus hanc descripsit.

Item in Iohan. Tractatu 3. Qui legem dedit, dedit  
quoq; gratiam.

SECUNDVS ET TERTIVS ERROR.

*Si meretrix es, si scortator, si adulter, uel quicumq; alius peccator,  
tantum crede, & es in uia salutis.*

Cum

*Cum in medio peccati penitus heres, tantum crede, & es in medio salutis.*

## CONFUTATIO.

**H**I duo errores amplissimam fenestram patefaciunt manifestis sceleribus & flagitijs, & spoli-  
ant pœnitentiam magna quadam sua parte, videlicet  
bono proposito de emendatione vitæ. Pœnitentes  
enim non solum per prædicationem legis peccata  
sua agnoscere, iram ac pœnas diuinas aduersus pec-  
cata considerare, expauescere, metuere, contremis-  
cere & dolere debent: sed etiam bonum propositum  
de emendandis Deo iuuante, moribus & impijs  
vitæ actibus, semper eos comitari debet. Porrò tale  
propositum non oritur ex lege, sed ex euangelio, ita  
quando accipimus consolationem, aduersus despera-  
tionem in peccatis, & simul ope diuina respiscere  
cogitamus, & maiorem iam æstimamus gratiam &  
misericordiam Dei nostris peccatis, atq; credimus  
Deum patrem propter filium dilectum nobis remitti-  
tere peccata.

Et hæc noua voluntas siue bonum propositum,  
si absit hypocrisis, donum Dei est, sicut & alia res in  
pœnitentia sunt dona Dei, veluti verè agnoscere pec-  
catum, iram & pœnas diuinas cum fructu conside-  
rare, veram habere contritionem. Ieremiæ .31. Postq;  
ostendisti mihi Domine, percussi femur meum. 2. Tim.  
2. Si forte largiatur eis Deus pœnitentiam.

Augustinus lib. de prædest. sanctorum, cap. ii. vo-  
cat mortificationem carnis, donum Dei.

Item ad Petrum de fide cap. 31. Firmissimè tene, &  
nullatenus dubita, neminem hîc hominum posse pœ-  
nitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, &  
gratuita sua miseratione conuerterit. Item

Item in libro de gratia & libero arbitrio. Nisi donum Dei ipsa conuersio esset, non diceretur: Domine Deus virtutum conuerte nos. Et alius Prophe-  
ta: Conuerte me Domine.

Et quemadmodum nunc tota poenitentia seu con-  
uersio donum Dei est, ita etiam partes ipsius, &  
opera.

Deinde qualis ibi fides esse potest, vbi non est sa-  
num propositum, de corrigenda ratione vitæ? Item  
vbi remanent peccata mortalia, sicut remanent sine  
vlla dubitatione in omnibus non conuersis, ibi certe  
fides constare nequit. Quomodo porrò in media sa-  
lute est, qui veram fidem non habet, neq; habere po-  
test? Si ergo his in rebus doctrinam & præmonstra-  
tionem Antinomorum sequeremur, Deum immor-  
talem, quàm turpiter impingeremus, ruentes in sce-  
lera & peccata, ac per securitatem vitæ in æternas  
pænas nos præcipitantes, & æternam salutem ipsi  
nobis amputantes.

#### QVARTVS ERROR.

*Decalogus ad curiam pertinet, & non ad suggestum.*

#### CONFV TATIO.

Verum est decalogum partim ad aulam & cur-  
riam pertinere. Nam civilis magistratus cus-  
tos esse debet vtriusq; tabulæ legis: quamobrem  
Deuteronom. cap. 17. Deus præcipit, vt reges seden-  
tes in solio seu ad gubernacula Reip. librum legis  
diuinæ sibi literis notari curent: vt præcepta domini  
& pro se faciant ipsi, & apud subditos regnorum suo-  
rum fieri curent. Item ad Romanos decimo tertio  
scrip-

scriptum: est Magistratus est minister Dei in tuum emolumentum: sin autem malè feceris, metues eum: non enim frustra gerit gladium.

Quòd autem idcirco decalogus etiam à concione remouendus sit, non est ferendum: nam & spirituales & politici magistratus custodes decalogi & promotores ipsius esse debent.

Item, si doctores verbi decalogum pro concione tractare non deberent, quomodò perducerent homines ad agnitionem peccatorum, quomodò metuirè Dei & pœnarum à peccatis deterrent, quomodo inuitarent ad pœnitentiã & dolores animi de peccato? Neesse esset eos principalem in prædicatione pœnitentiæ partem omittere. Quid autem postremò fieret de conuersione? quomodò Deus posset nobiscum conferre rationem, iuxta parabolam Matthæi 18, propter debitum ex violatine diuinæ voluntatis, si concio legis ab Ecclesijs releganda esset? Deniq; si concio decalogi in Ecclesia intercedat, simul cadit prædicatio pœnitentiæ, perit omnis disciplina, & nemo per ordinaria media ad salutem conuertitur.

### QVINTVS ERROR.

*Quibuscunq; cum Mose res est, recta uia tenunt ad diabolum: imò ad malam rem cum Mose?*

### CONFUTATIO.

Quicunq; cum Mose seu lege ita res est, ut per eam iusti, id est, accepti coram Deo fieri uelint: hi quidem omnes recta uia eunt ad inferos, nec eorum quisq; beatitudinem æternæ uitæ adipiscitur.

## DE ANTIMOMORVM

citur. Scriptum est enim ad Romanos tertio, quod per opera legis non iustificetur coram Deo omnis caro: & Iohannis tertio solis credentibus vita aeterna promittitur. Ad Rom. decimo Paulus dicit: Si confessus fueris ore tuo Iesum, quod ipse sit Dominus, & credideris in corde tuo, quod ipsum resuscitauerit Deus ex mortuis, saluus eris.

Qui autem cum Mose seu lege ita agunt, sicut supra iuxta consensum scripturae tradidimus, in doctrina de lege, quid in ea nobis reliquum sit, & quatenus ea possimus adhuc uti: hi non tendunt ad diabolum, neque damnantur, sed magnum & amplum legis divinae fructum & utilitatem experiuntur.

Ad malam rem neque Moses neque lex ipsa amandari debet, sed ijs qui secundum leges & praecipua decalogi non viuunt, sapissime ad malam rem seu ad relictam res redit: cui malo ipsi Antimomi praebent occasionem, cum suis hominibus autores sunt, ut legem ac decem praecipua Dei secure contemnant, & prohibitu omittant: his inquam clamoribus multos adiungunt ad malam crucem & variorum suppliciorum tormenta.

## SEXTVS ERROR.

*Non sunt praeparandi homines ad euangelium per praedicationem legis, Deum autem hoc facere necesse est, cuius id opus est proprium.*

## CONFVTATIO.

**S**I nobis ignotum esset, qua ratione Deus per Iohannem Baptistam primum illum publicum euangelij concionatorem & praecursorem Christi, homines ad Euangelium praeparauerit: noua iam praeparationis

rationis forma nobis ab Antinomis discenda esset. Scimus autem Dei beneficio, Iohannem non neglexisse priorem poenitentiae partem, hoc est, doctrinam legis, ad præparandos homines euangelio. Huiusmodi conciones legales duræ & vehementes extant Esaiæ quadragesimo, Malachi e tertio, Matthæi tertio, Marci primo, Lucæ tertio.

Eadem forma præparandi homines ad euangelium etiam Christus usus est & apostoli, & sancti patres, quemadmodum porrò demonstrabimus: propterea æquum esse censemus, ut & nos eam retineamus, relicta impijs Antinomis sua illa peruersa & falsa forma.

Deinde & hoc est officium præcursoris, ut removeat omnia impedimenta, quæ venientem dominum offendere, vel ab instituto remorari possunt. Porrò hæc præparatio per nullum aliud medium commodius fieri potest, nisi per prædicationem legis, quæ deducit homines ad agnitionem omnium rerum, quæ Christum seruatorem nostrum offendere possunt, ut sunt, propria dignitas, probitas, sanctitas, fiducia nostrorum operum, merita, aut è contrario, impia vita, delectatio & gloriatio in malitia.

Nec ulla est melior præparatio ad euangelium, quam ipsa prædicatio legis. Hæc enim perterrefacit, angit, faciat homines, ut postea magnitudinem consolationis, lætitiæ, & salutis euangelicæ, tantò iucundius experiantur. Contemnit enim etiam auxiliij magnitudinem, qui periculi magnitudinem non agnoscit.



## DE ANTIMORVM

Insuper etiam prædicatione legis ad præparationem Euangelij, nihil Deo adimitur. Nihilominus enim à Deo dari oportet veram agnitionem peccati, & salutarem cognitionem iræ Dei & pœnarum, reclusos pauores, & veram contritionem & dolores.

### SEPTIMVS ERROR,

*In Euangelio non debet agi de violatione legis, sed de violatione filij:*

### CONFVTATIO.

SEptimus error excusari potest, si ea est sententia Antinomorum, transgressiones legis non esse admiscendas doctrinæ Euangelicæ. Atque ita Euangelium tantum est doctrina de passione & morte Christi filij Dei, & de beneficijs, quæ suo sanguine nobis peperit. Tunc autem excusari non potest, sed vere est error, cum sentiunt, circa Euangelium non esse faciendam transgressionum legis mentionem. Si enim hoc fieret, nunquam satis momenti esset, pro dignitate considerandi magnitudinem passionis & meritorum Christi. Vbi enim magnitudo periculi non agnosceretur, ibi demum nec beneficij magnitudo satis splendet. Hinc Petrus priore Epistola cap. i. exaggerat necessitates & pericula eorum ad quos scribit, vt beneficia Christi postea maiori alacritate amplectantur.

### OCTAVVS ERROR.

*Audire uerbum & sentire in corde, est propria Euangelij consequentia.*

### CONFVTATIO.

VERum est, hanc esse consequentiam legis, Hoc fac et uiues: scriptum est enim ad Rom. 2. obseruatores

uatores legis iustificari. Iacobi primo dicitur: Estote factores legis, & non tantum auditores.

Verum & hoc est, propriam esse consequentiam euangelij, audire verbum, & sentire in corde.

Sed non idcirco concluditur in sententiam Antinomorum, quod satis sit audire verbum, & sentire in corde, etiam si non faciamus. Contrarium enim docet parabola Christi Lucae octauo: in qua damnantur hi auditores verbi, qui audiunt quidem, sed transeunt sub curis, opibus & voluptatibus huius mundi, & in eis suffocantur, nec maturescunt, & ad frugem perueniunt. Imò Christus in eo loco illos duntaxat auditores verbi commendat, qui audiunt illud, & in bono & honesto corde tenent, & fructum faciunt per patientiam, sicut & postea cap. ii. repetitur hoc epiphonema Christi: Beati qui audiunt sermones meos & seruant: cui consentit & Psalmus i. Beatus vir qui non ambulat in consilio impiorum: sed delectatur in lege Domini, & de lege eius loquitur die ac nocte. Hic est tanquam arbor plantata iuxta riuos aquarum, quae dat fructum suum in tempore suo. Iuxta hunc errorem, quidam Antinomi scelerate discitare soliti sunt: non esse peccatum, supplantari à meretricula.

### NON VSE ERROR.

*Petrus non intellexit Christianam libertatem.*

### CONFUTATIO.

**S**I Petrus libertatem Christianam non intellexit, scertè multò minus eam intelligunt Antinomi. Legimus enim de Petro Actorum capite decimo quinto, quid pro conseruatione libertatis Christianae

**T** respon-

## DE ANTINOMORVM

responderit fratribus quibusdam ex Iudea, qui doce-  
bant: Nisi quis circumcideretur iuxta legem Moſis,  
eum non poſſe ſaluari. Nam cum apoſtoli & ſenio-  
res coneniffent, vt diſputarent de hac propoſitione,  
Petruſ poſt longam contentionem hiſ verbis exor-  
tus, totam controuerſiã diſſoluit: Viri fratres inquit,  
quid tentatiſ Deum imponendo iugo in collum diſ-  
cipulorum, quod neq; patres noſtri, neq; nos portare  
potuimus: ſed credimus nos ſaluari per gratiam Do-  
mini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut & ipſi. Et in priore ſua  
epiſtola cap. 2. ſic intellexit Chriſtianam libertatem,  
quod ad palliandam malitiã ea non ſit abutendum.  
Similiter in ſecunda epiftoſa cap. 2. damnat liberta-  
tem, quam falſi doctores hominibus fruſtrã promita-  
tunt. Quod autem aliquandõ metu Iudæorum abſti-  
nuit Chriſtiana libertate in veſcendiſ carnibus apud  
gentileſ, de quo ad Galatas ſecundo narrat Pauluſ,  
id non inſcitã, ſed inſirmitati eiùſ tribuendum eſt.

Optandum igitur erat, Antinomos Chriſtianam  
libertatem æquẽ intelligere, vt Petruſ olim intel-  
lexit: ſic futurum eſſet, vt libertaſ illa ſpiritaliſ non  
conuerteretur in carnalem.

## DECIMVS ERROR.

*Dictum Petri, Certam facite uocationem ueſtram per bona opera,  
eſt inutile.*

## CONFUTATIO.

**N**eque hoc dictum ex ſecundæ epiftoſe capite pri-  
mo ſuffragatur Antinomis de inſcitã Petri cla-  
mantibus, qualiſ doctrinam de Chriſtiana libertate  
non

non satis intellexerit. Quod enim hortatur Petrus, ut certam faciamus vocationem nostram per bona opera, satis declarat, se intelligere rationem libertatis Evangelicæ, quod non sit similis libertati carnali, neque vestiendam esse malitiam specie libertatis. Tum autem Christiana libertas non trahitur in carnalem, si per bona opera vocationem nostram constabiliamus, hoc est, bonis operibus testamur, quod vocatio nostra ad regnum Christi & vitam æternam sit certa. Vbi enim mala opera exercentur contra voluntatem Dei, ibi non possumus esse certi de vocatione nostra, sed dubitare oportet, num verè simus vocati ad hereditatem regni Christi & vitæ æternæ. Hanc vocationis certitudinem labefactantes Antinomi, quod neque mala opera curant, neque bona magnopere exigunt, satis ostendunt, se de libertate Evangelicâ nihil sani habere iudicij.

Deinde & hoc manifestum est ex proxime præmissis erroribus, quod Antinomi sint hostes bonorum operum, & quod hominibus occasiones præbeant, horribili quadam securitate faciendi quicquid allibuerit animo. Et quamvis palàm profiteri non audent, vitam malam esse bonam, tamen extenuant peccata, tegunt, paruis faciunt, & usque adeò contemnunt, ut facili momento liberari nos ab eis posse dicant, si modò credamus, omisso interim proposito de referenda in melius antea factæ vitæ ratione.

### VNDECIMVS ERROR.

*Quando cumq; tibi talis incidit cogitatio, hoc vel illo modo rem gerere in Ecclesia debere, ut homines sint boni, honesti, modesti, sancti & castissimi aberrasti ab Evangelio.*

DE ANTINOMORVM,  
CONFVTATIO.

**E**T hic error enormis est, & supra modum horribilis. Si enim aberrare est ab Euangelio, expectere apud animum suum, vt tales sint in coetibus Christianis homines, honesti, modesti, sancti, & casti: praestabilius erat, nos Iudaicis vel ethnicis religionibus initiatos esse, apud quos populos tamen aliqua disciplina & virtutis atq; sanctimoniae ratio habetur. Si ergo Euangelium patrocinetur sceleribus & alijs flagitijs, Christus frustra ad facienda bona opera hortatus est: aut fortasse lusit, cum diceret ad discipulos Matthaei 28. Docete eos seruire omnia quae praecipimus vobis. Sic etiam omnes apostolorum cohortationes ad instituendam nouam vitam essent irritae: tum etiam inutilis esset tota doctrina ecclesiae de iustitia inchoata. Et quid opus est pluribus? vitam agentes sceleratam & inhonestam, adhuc sunt sub lege, necdum esse sub euangelio coeperunt. Lex enim posita est iniustis, contumacibus, impijs, adulteris, & id genus alijs peccatoribus, sicut in priore ad Timotheum capite primo scriptum est. Et quid est, si pertinacem esse in delictis, est esse Euangelicum? Nec defuerunt igitur rationes Porphyrio, Libanio Sophistae, Iuliano Apostatae & alijs, qui abiecerunt euangelium, quod in speciem videretur abolere omnem disciplinam, virtutem & obedientiam: quod idem nostri Papistae hodieq; nobis obijciunt in tanta corruptione disciplinae & morum, apud eos videlicet, qui titulum gerunt euangelij, necq; rebus ipsis professionem euangelicam imitantur.

PRAE

## PRAECIPVVS ET GENERALIS

error Antinomorum, è septimo Tomo li-  
brorum Lutheri.

Pœnitentia docenda est, non ex decalogo, aut  
vlla lege Mosis, sed ex violatione filij per euange-  
lium.

## PROBATIONES HVIVS

erroris.

## PRIMA.

Nam Christus Lucae ultimo ait: Sic oportuit Chri-  
stum mori, & hoc modo intrare in suam gloriam, vt  
prædicetur in nomine eius pœnitentia, & remissio  
peccatorum.

## SECUNDA.

Et Christus apud Iohannem ait, spiritum arguere  
mundum de peccato, non legem.

## TERTIA.

Idem docet vltima concio Christi, Ite, prædicate  
Euangelium omni creaturæ.

## QVARTA.

Paulus cum ad Philip. ait, Hoc sentite in vobis,  
quòd & in Christo Iesu, vt in timore & tremore salu-  
tem vestram operemini: præclare statuit, docendam  
esse pœnitentiam, quam vocat timorem & tremo-  
rem, ex memoria Christi, non ex lege.

## QVINTA.

Ex concionibus Pauli & Barnabæ satis manife-  
stum est, non esse opus lege ad vllam partem iustifi-  
cationis.

## DE ANTI NOMORVM SEXTA.

Sine quacunque re datur spiritus sanctus, & homines iustificantur, ea res non est necessaria, quæ doceatur neque pro principio, neque medio, neque fine iustificationis. At datus est olim, & adhuc datur perpetuo spiritus sanctus, & iustificantur homines sine lege, per solum euangelium de Christo. Ergo lex Moïsis non est necessaria, quæ doceatur neque pro principio, neque medio, neque fine iustificationis. Maior ab expectantia quam afferunt Paulus & Barnabas, certa est. Idem iudicabimus de minore: nam spiritus sanctus cecidit visibili specie super gentes. Et quid igitur quidam sine verbo, imò contra verbum Christi & contra exemplum apostolorum, faciunt legem primam partem, & quidem necessariam ad doctrinam iustificationis?

## SEPTIMA.

Quare pro conseruanda puritate doctrinæ, resistendum est ijs, qui docent, euangelium non predicandum, nisi animis prius quassatis & contritis per legem.

## OCTAVA.

Qui affingunt verbis Christi improprium hunc sermonem, & dicunt, primum legem, deinde euangelium docendum esse: hi sunt verborum Christi contortores. non enim consistunt in simplicitate verborum Christi.

## NONA.

Vt consistendum est in simplici sensu verborum illorum, Hoc est corpus meum: ita consistendum est nobis in simplicitate verborum illorum, Ite, predicate euangelium, baptisate.

Lex tantum arguit peccata, & quidem sine spiritu  
sancto; ergo arguit ad damnationem.

VNDECIMA.

Opus est autem doctrina, quæ magna efficacia  
non tantum damnat, sed & saluat simul. ea autem est  
euangelium, quæ coniunctim docet pœnitentiam, &  
remissionem peccatorum.

DVODECIMA.

Nam euangelium Christi docet iram Dei de  
cælo, & simul iustitiam Dei, Rom. I. Est enim prædi-  
catio pœnitentiæ coniuncta promissioni, quam ra-  
tio non tenet naturaliter, sed tantum per reuelatio-  
nem diuinam.

Principio autem hos errores cum annexis pro-  
bationibus refellamus, prius in genere tam ex scrip-  
turæ testimonijs, quam alijs certis & firmis argumen-  
tis docebimus, quod euangelium non excludat le-  
gem propter eas, quæ Antinomis videntur commo-  
ditates: sed quod prædicatio Euangelij parum sit  
utilis, nisi præcedat prædicatio legis, & quod utraq;  
prædicatio legis & euangelij inde vsq; ab initio sint  
& fuerint commune medium, per quod Deus con-  
uertit homines.

Negari non potest, spiritum sanctum inde vsq;  
ab initio post lapsum primorum parentum, & in pri-  
ma impiorum, & in succedenti conuersione lapsorū,  
duplici verbo vsum fuisse, legis & euangelij; altero de-  
duxit homines ad agnitionem peccati, & ostendit  
eis iram Dei & pœnas tam corporales, q̄q; æternas, &  
amplius dehinc perterrefecit, accusauit, execratus est  
damnauit, coegit, vexauit, mortificauit, conscientias



## DE ANTINOMORVM

turbauit & quassauit, impotentiam implendæ legis ad obtinendam iustitiam proposuit, & ad veros dolores de admissio peccato permouit: altero autem mentes hominum perterrefactas lege rursus erexit, ne desponderent animum propter suos lapsus, neue exaggerarent eos supra gratiam et misericordiam Dei, sed sustentarent se fiducia promissi saluatoris in remissionem peccatorum.

Genesis tertio, cum Adam & Heua lapsi essent, & Deus restituere ipsos vellet, certè orditur hanc actionem per prædicationem legis, dicitq; ad Adam: Quis indicauit tibi, quòd nudus esses? Nonne comedisti de arbore, de qua præcepi tibi, ne comedires de ea? quasi dicat: lex tibi ostendit peccatum & transgressionem tuam. Item ad mulierem dicit: Quare hoc fecisti? Hi sermone nihil aliud sunt, quàm concio legalis ad primos parentes, in qua simul ostendit Deus iram suam, & ob delictum pœnas tam temporales, quàm æternas comminatur. Et ipsi primi parentes tunc officium legis senserunt, vt testatur vox Adæ ad Dominum, cum inquit: Audieram vocem tuam & timui.

Sed non acquiescit Deus in hac concione, sed ne inciderent illi in desperationem, consolatur eos iterum per promissionem euangelicam: Faciam, inquit, inimicitias inter te, & mulierem & inter semen tuum & semen illius, ipse conteret caput tuum, & tu mordebis calcaneum eius.

Numerorum cap. 21. cum populus Israeliticus itinere murmurasset aduersus Dominum, & ad iram eum prouocasset, agnito demum peccato per legem, dicit

dicit ad Mosen: Peccauimus. Moses rursus eos consolatur per aneum serpentem, tanq̄ per imaginem Christi, ostendens illum esse liberatorem à peccato & pœnis.

Alibi etiam in libris Mosis, & vniuersus populus, & quidam priuati arguuntur lege, ac postea rursus eriguntur: quæ res vtiq̄ admonet nos, quòd lex & euangelium in salutariconuersione hominum semper sint coniuncta.

Secundo Samuel. cap. 24. Nathan per legem arguit Dauidem adulterum & homicidam, vt sentiat officium legis, quo vrgetur vt clamet: Peccaui in Dominum. Statim verò etiam consolatur eum propheta per concionem euangelij: Dominus abstulit peccatum tuum, non morieris.

Iosua cap. 7. sentit dolorem de peccato, qui oritur ex cognitione legis: per fidem autem sustentat se, ac nititur promissione euangelij, de qua etiam commonefacit Deum.

Ita si complectamur omnium prophetarum scripta, principaliter has duas partes reperiemus, quòd legem docuerint ad agnoscendum peccatum, ad perterrefaciendum, & ad excitandos & acuendos dolores & cruciatus conscientie: deinde rursus crexerint animos hominum dulci ac consolatoria prædicatione euangelij.

Secundo Regum 20. hæc oratio Dei ad Ezechiam regem, vim habet concionis legalis: Morieris, inquit, & non viues. Euangelica verò consolatio sequitur cum dicit: Quindecim deinceps annos viues.

Postremò, anteq̄ veniret Christus assumpta hu-

V mana

## DE ANTIMOMORVM

mana natura, Deus præmittere voluit Iohannem Baptistam præcursorem Christi, qui simul legem & euangelium traderet. Integra enim doctrina pœnitentiæ nihil est aliud, quàm vt principio deducantur homines per legem ad agnitionem suorum peccatorum, denunciatur eis ira & pœnæ diuinæ, excitatur in eis causa doloris & pauorū conscientie de admissis peccatis: postea vicissim erigantur voce euangelij, ne abiciant animum per desperationem, sed vt sustentent se fiducia saluatoris, illius videlicet agni, qui sustinet ac tollit peccata mundi, sic enim fore ostendit, vt Deus pater illis sit propitius, & omnia peccata clementer ignoscat.

Idem præstant nobis conciones Iohannis Baptistæ, de quibus Esaias propheta cap. 40. vaticinatur: Omnes, inquit, valles extollentur, & omnes colles deiciantur: hoc fit per officium legis, illud per officium euangelij. Similiter de eo in Malachia cap. 3. scriptum est: Dies autem aduentus eius quis sustinebit? Hæc pars prædicationis Iohannis, est vox legis. Quod autem subiicitur, homines oblaturus Deo sacrificia in iusticia, ea vox est euangelij.

At hic Iohannes fuit doctor euangelij, vt pote præcursor, qui præparauit viam Christo, imò digitis monstrauit eum, dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: quam ob causam Iohannes etiam plus est quàm propheta Marth. ii. quo in loco simul Christus testatur de eo, quod fuerit doctor euangelij, cum inquit: Omnes prophetae & lex vsq; ad Iohannem prædicauerunt.

Quid autem Iohannes ille: Baptista & euangelicus

licus Doct̃or concionatus est: Agite, inquit, pœnitentiam, quia prope est regnum cœlorum. Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. Iohannis 1. Nequis porro ex Antinomorum applausoribus obijciat, hanc esse concionem Euangelij: tenendum est, Iohannem in hoc dicto distincte loqui. Cum inquit: Agite pœnitentiam, diserte concionatur legem, vt per eam agnoscant homines impietatem suam, iram pœnasq; diuinas extimescant, dolores & veram contritiõnem habeant. Quod verò addit: Prope est regnum cœlorum, rursum cõsolatur homines per prædicationem euangelij, ne desperent propter peccata sua, sed credant euangelio, quod est doctrina de regno cœlesti, & de condonatiõne peccatorum. Quod autem vtrancq; doctrinam hoc loco Iohannes coniunxerit, manifestum est. Si enim solam legem prædicasset: tantum pœnitentiam ex parte & mancam flagitasset, vnde facile in desperationem incidere homines potuissent. Si solum euangelium prædicasset, nemo potuisset peruenire ad veram agnitiõnem peccatorum suorum, neq; magnitudine iræ Dei ac horribilium pœnarum expauescere potuisset, neq; dolores & angorem conscientie fuisset expertus, nec vulnera sua cognouisset, quibus non cognitis, multò minus Christum medicum vocasset, & salutem animæ suæ ab eo expetiuisset.

Et sicut Iohannes Baptista in conuertendis hominibus vtracq; doctrina, legis & euangelij simul vsus est: ita etiam distinxit suum officium ab officio Christi. Suum enim baptismum vocat baptismum: quæ ad pœnitentiam, Christi baptismum vocat baptismum spiritus & ignis.

Hanc docendi formã per legem & euangelium,

## DE ANTI NOMORVM

approbat & confirmat Christus in Iohanne, Matth.  
 ii. Nec approbat solum & confirmat, sed ipse simili  
 prorsus ratione eam seruauit, & ipsa verba quibus  
 antea Iohannes vsus fuerat, assumpsit. Sic enim Mat  
 thæi capite 4. dicit: Agite pœnitentiam, & credite  
 Euangelio. In altero est concio legis, in altero euan  
 gelij. Et vtrancq; concionem complectitur nunc do  
 ctрина de pœnitentia, vt salutaris esse possit. Primum  
 enim inculcanda est vox legis, vt peccator agnoscat  
 deformitatem suam, & inopiam virium suarum, &  
 dissolutionem omnium partium naturæ, & cohorres  
 cat toto pectore cogitans horribilem iram Dei &  
 pœnas aduersus peccatum, & idcirco veros crucia  
 tus conscientia perferat. Deinde addenda est  
 vox euangelij, vt peccator erigatur, tristitiaque cor  
 dis ei detrahatur, & confirmetur de remissione pecca  
 torum. Ita ẽ diuerso pœnitentia per se non est inte  
 gra & salutaris, si tantum terreantur homines minis  
 & tonitruis legis: sed tum demum est vera, integra,  
 & salutaris, quando simul recreantur consolatione  
 Euangelij quod docet nemini esse desperandũ de salu  
 te, neq; gratiam & misericordiam Dei infra nostras  
 iniquitates ponendam, sed retinendam esse fiduciam  
 in mediatore Christo, propter quem æternus pater  
 omnia peccata condonat. Huius veræ pœnitentia  
 exempla nobis proponuntur in Dauide, Petro, Ma  
 ria Magdalena & alijs: alterius mutilæ & exitialis  
 pœnitentia exempla sunt Cain, Ahitophel, Iudas &  
 alij.

Præterea Lucæ 24. vult Christum in nomine suo  
 prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum:

quomodo

quorum alterum fit per legem, alterum per euangelium. Ac discernit Christus in hoc dicto signate vtranque doctrinam, sicut omnino fieri necesse est, vt nequaquam inter se confundantur.

## OBIECTIO.

Nostri theologi ex his & similibus uerbis Christi occasionem ceperunt, ut definitionem euangelij huiusmodi constituerent: Euangelium est prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Hoc si fit, nonne uerum est confundi legem & euangelium?

## RESPONSIO.

Nequaquam. Ibi enim euangelium improprie sumitur pro tota doctrina Christiana, quæ consistit in prædicatione legis & euangelij, sicut & Christus sumit Matth. 10 & Marci 16. nec propterea miscet legem & euangelium: quas doctrinas alias satis perspicue discernit, vt Matth. 4. Agite pœnitentiã, quia prope est regnum coelorum. Et Marci primo: Agite pœnitentiã, & credite Euangelio. Et ad eam sententiã respexerunt nostri theologi, ac nos, qui hanc definitionem Euangelij tradidimus atque usurpauimus. In quo ergo Christus peccare non potuit, in eo peccare ceteros, dum studiosè illum imitantur, quomodo dicemus?

Porrò si quis ex ijsdem uerbis Christi sic definiat Euangelium, quod sit necessaria doctrina de utili ac salutaripœnitentiã ad remissionem peccatorum: cum eo pertinaciter litigare non possumus, cum certum sit, prædicationem solius legis in pœnitentiã hominibus, magis impellere animos ad desperationem, quam eis quicquam proponere solatiij de remissione peccatorum: deinde discrimen legis & euangelij hoc modo

V i manet

## DE ANTINOMORVM

manet inconuulsum. Ceterum has definitiones ita intelligi oportet, vt sciamus agnitionem peccati & iræ diuinæ aduersus peccatum, dolores item & cruciatus conscientiæ ex euangelio non existere, sed tantum ex lege: qua de re diligenter & fideliter docet Lutherus in prima disputatione contra Antinomos. Verum siqui sunt ita dementes, vt his definitionibus doctrinam legis & euangelij confundere nitantur, ijs hac nostra excusatione prodesse non volumus.

### QVAESTIO.

*Quid si dictum illud Lucae 24. ad definiendam ueram & salutarem doctrinam poenitentiae referatur, an etiam tolerari possit ea definitio?*

### RESPONSIO.

Possit. Tota enim & integra descriptio veræ & salutaris poenitentiae nihil est aliud, quam concio legis & concio euangelij. Et propter hanc utranque concionem Iohannes Baptista proprie vocatur doctor poenitentiae,

### QVAESTIO.

*Quomodo igitur in eo loco Lucae 24. sumitur uocabulum poenitentiae?*

### RESPONSIO.

Pro concione legis. At uocabulum remissionis peccatorum sumitur pro concione euangelij.

Quod autem Christus ipse docuit, id sine dubio etiam discipulis suis, & ad eorum exemplum, etiam nobis docendum praecipit. Ipse porro docuit, quod Iohannis percursor docebat, uidelicet doctrinam de vera poenitentia, in qua & vox euangelij comprehenditur. Cum ergo nobis & illis annunciandum euangelium

gelium commendat, simul commendat vocem legis & euangelij. Tota enim doctrina Christiana, quam præcepit Christus doceri, consistit in lege & euangelio: quare etiam euangelium appellatur doctrina de regno Dei, in quo regno sunt lex & euangelium. Ac vltatum est sub vocabulo rei communis ac magis præcipuæ comprehendere alias inferiores & angustiores, sicut dici solet: A potiori fit denominatio. Ita Christus euangelium ponit pro tota doctrina Christiana legis & euangelij, non vt confundat genera doctrinarum, vel vt doctrinam legis stirpitus eruat, sicuti faciunt Antinomi. Iam quod Christus mandauit discipulis suis, vt ad suum exemplum legem & euangelium annunciarent hominibus, id eos summa fide præstitisse, neminem dubitare credimus. Et satis habemus eius rei documenta ex Actis Apostolorum & ipsorum scriptis.

Apostolorum exemplum fideliter secuti sunt & patres: legem enim & euangelium simul tractauerunt, sicut ex eorum monumentis patet.

Atque ita manifestum est, hanc rationem prædicandæ legis & euangelij ad conuersionem hominum, vltatam fuisse inde vsq; ab initio: & nos eam rationem docendæ quasi hæreditario iure possidemus, tanq; certum medium spiritus sancti, destinatum ad salutem hominum, qui conuertuntur. Ne p;vllæ dissensiones hac de re in ecclesia fuerunt, donec venirent Antinomi, qui nostris temporibus hanc nobis perniciosam doctrinam excitauerunt, quam tamen primo eorum autor & choragus viuente adhuc Luthe- ro voce & scriptis retrastauit, & licet is publica reuocatione errorem confessus est: tamen aliqui eius discipuli remanserunt.



DE ANTIMORVM.  
GRAVES QVAEDAM CAUSAE  
quamobrem in praedicatione poenitentiae  
legem & euangelium coniungi  
oporteat.

Primum ipse ordo rei hoc postulat. Nam peccatum & mors prius sunt in natura hominis, quam iustitia & vita.

Deinde nisi peccatum & mors prius ostendatur per legem, ibi iustitia & vita sequi non potest.

Adam etiam, & omnes alij peccatores prius increpationem legis audierunt, postea demum consolationem acceperunt.

Iohannes Baptista ad eundem modum docuit, atq; ita praecursor domino suo sequenti viam & hospitium praeparauit.

Nemo potest sanari, nisi prius sit vulneratus.

Nemo indiget consolatione, nisi qui perterrefactus est.

Intemperiem aeris sequitur serenitas. Post nubila Phoebus.

Post amarum dulce.

Ac impossibile est, quenquam agnoscere magnitudinem beneficij, nisi prius magnitudinem periculi senserit.

CONFUTATIO PRAECIPVI

& communis erroris Antinomorum.

Primam poenitentiae partem ex decalogo seu ipsa lege docendam esse, supra conuicimus. Ex eadem enim Iohannes Baptista priorem partem poenitentiae docuit, sicut & Christus deinceps, & idem postea discipulis suis tradidit, Lucæ 24. Vt autem deducantur

cantur homines ad agnitionem suorum peccatorum, quò præsentem iram Dei & pœnas aduersus peccata agnoscant, minas & terrores legis extimescant, & vere pœniteat eos antea actæ vitæ: opus est lege decem præceptorum. Hæc enim expresse nobis proponunt doctrinam de bonis moribus, & quomodò voluntati diuinæ obediendum sit. Ac ipse Deus æternam ac immotam suam voluntatem in decalogum inclusit.

Docemus autem priorem pœnitentiæ partem ex decalogo, non propter Mosen, qui nihil ad nos pertinet, neq; noster est legislator: sed quia decalogus est ipsa series legum naturalium, quas Deus omnium hominem mentibus inseuit.

Alteram pœnitentiæ partem concedimus doceri ex violatione seu passione filij per euangelium. Bonum enim propositum concipere de redigenda in melius vita, non succumbere desperationi, non extollere peccatum super gratiam, erigi per fidem in Christum ad remissionem peccatorum, nouam vitam incoare, & ipso mentis habitu & actis exprimere hominem Christianum: hæc inquam, omnia sunt beneficia euangelij.

Item hic error mutilat veram definitionem salutis doctrinæ de pœnitentiâ, quæ nihil est aliud, quàm prædicatio legis & euangelij.

Postremò, incommode tribuitur euangelio, quod est legis proprium.

### CONFUTATIO PRIMÆ PRO-

bationis, qua suum errorem Antinomi  
stabilire conantur.

X

Anti

## DE ANTINOMORVM

Antinomi deprauant verum intellectum dicti  
Lucæ 24. Christus enim ibi verè & propriè intelli-  
gendo, iubet in nomine suo legem & euangelium si-  
mul prædicare: & ita prædicationem pœnitentiæ vo-  
cat prædicationem legis, prædicationem remissionis  
peccatorum vocat prædicationem euangelij. Neq̃  
vult Christus pœnitentiam, hoc est, agnitionem pec-  
cati, & iræ diuinæ, & ipsam contritionem doceri ex  
euangelio. Hæc enim ex sola lege depromenda sunt,  
sicut etiam Lutherus testatur in prima disputatione  
contra Antinomos.

Confutatio secundæ probationis.

Secunda probatio præter rem excludit legem  
tanq̃ commune medium, per quod spiritus sanctus  
in prædicatione pœnitentiæ arguit peccata, sicut  
idem spiritus sanctus vtitur voce euangelij, tanq̃ me-  
dio quo rursus consolator pectora. Qua de re supra  
demonstratum est, spiritum sanctum inde vsq̃ ab ini-  
tio, & adhuc perpetuò in conuersione hominum vti  
his duobus medijs, prædicatione legis & euangelij.

### OBIECTIO.

*Atqui omnes ferè docti huius ætatis, dictum Iohan. 16. sic intelli-  
gunt, quod spiritus sanctus arguat mundum per Euangelium?*

### RESPONSIO.

Verum: sed in his casibus, vbi non creditur Chri-  
sto, & ignoratur quid sit fides in Christum, quid vera  
iustitia, quid verum iudicium. De his enim, lex do-  
cere mundum non potest, sed solum euangelium do-  
cet, quid sit verè credere in Christum, & quantum sit  
peccatum non credere in Christum, deinde quæ sit  
vera

vera iustitia, veniens ex fide per solam gratiam, sine ullis meritis: quod denique sit verum iudicium, quo Christus principem huius mundi cum suis manipularibus iudicauit. Sed propterea commune illud medium, quo spiritus sanctus arguit peccatum, non tollitur. Proinde recte scribit Lutherus in tertia disputatione contra Antinomos: Ponatur casus, quod peccatum aliunde quam per legem possit agnosci (quod tamen est impossibile) cur legem abijci oportet, quæ idem agit? Dehinc esto, euangelium sit illud medium, quo spiritus sanctus arguit mundum de peccato, iustitia, & iudicio: tamen etiam sine lege hoc fieri nequit. Vnde amplius dicit Lutherus in quodam scripto ad Vuolfgangum Salhusium, quod extat in secundo Tomo, pagina 450. Christus dicit Iohannis 16. spiritus sanctus arguet mundum de peccato: id quod sine declaratione legis fieri nequit. In summa, magis necessaria est prædicatio legis, quàm euangelij: quia plurimi sunt mali, qui per legis coactionem retinendi sunt in officio: & e contra paucissimi sunt boni, qui euangelium recte excipiunt, soli Deo noti.

## CONFUTATIO TERTIÆ

probationis.

**Q**UOD Christus Marci decimo sexto iubet prædicari euangelium omni creaturæ, in genere intelligit totam doctrinam Christianam, nempe legis & euangelij prædicationem. Et hanc doctrinam in Iohanne Baptista confirmauit, Matth. 11. & ipse similiter suam doctrinam à prædicatione penitentia exorsus est, Matthæi capite quarto, & Marci 1.

## DE ANTI NOMORVM

Integra autem & salutaris doctrina poenitentiae, vt supra monuimus saepe, consistit in doctrina legis & euangelij. Ac vsitatum est Christo, vt alicubi solam poenitentiam accipiat pro doctrinalegis, ne villo modo confundat genera doctrinarum, sed diligentissime vtrancq; doctrinam discernat, sicut testantur haec dicta: Agite poenitentiam, & credite euangelio. Et Lucae 14. Oportet in nomine meo praedicari poenitentiam & remissionem peccatorum.

### OBIECTIO.

*Hac ratione Christus fit Mosaiicus legis doctor.*

### RESPONSIO.

Non idcirco Christus erit Mosaiicus doctor, et si legem decem praepceptorum tanq; legem naturalem retinet, vt medium conuersionis, quo spiritus sanctus semper ab initio in ecclesia vsus est, etiam antequam lex scripta Mosis promulgata fuit, id quod testatur exemplum primorum parentum, Genes. 2. Neq; etiam Iohannes Baptista propter geminam concionem legis & euangelij Mosaiicus doctor fuit: & ita neq; nos sumus.

### CONFUTATIO QVARTAE

probationis.

Paulus in dicto ad Philipp. 2. nihil de poenitentia loquitur, sed tantum eos hortatur, vt in timore & tremore salutem suam operentur, hoc est, non sint securi in quaerenda salute, ne per illam securitatem eam amittant. Ac ne syllaba quidem glossae Antinomice hoc loco reperitur, quod videlicet solummodo ex memoria Christi docenda sit poenitentia, & non simul ex lege.

*Timor*

Timor & tremor in pœnitentia sunt fructus legis: aduersus hunc timorem & tremorem euangelium consolatur corda.

Confutatio quintæ probationis.

Hæc probatio non facit contra nos. nam & nos docemus, legem ad iustificationem non esse necessariam & vtilem. Sed inde non sequitur, quòd neq; ad pœnitentiam vtilis sit & necessaria: imò ad pœnitentiam est necessaria, quia sine ea pœnitentes non possunt peruenire ad agnitionem suorum lapsuum.

Deinde quòd Antinomi constituunt partes iustificationis, in eo conveniunt cum Suencofeltio: de quo candidus lector consulere potest, quæ infra in confutatione errorum Suencofeltij dicentur.

Confutatio sextæ probationis.

Verum est spiritum sanctum dari sine lege, sicut etiam iustitia coram Deo datur credentibus sine lege. Sed hinc nemo potest rectè ratiocinari, quòd spiritus sanctus instrumento legis in conuersione non vtatur. Ac simul verum est, legem neq; pro principio, neq; pro medio, neq; pro fine iustificationis necessariam esse. Hoc enim principium, medium, & finem ex euangelio peti oportet. Porrò inepta & ridicula sunt huiusmodi argumēta, cum dicitur res que ad hunc vel illum vsum non est necessaria & vtilis, plane in vniuersum necessaria & vtilis non esse. Etsi enim lex ad iustificationem non est necessaria tamen ad alias res maximè est necessaria & vtilis.

Præterea distinguendum est hoc loco inter necessitatem præsentis, & necessitatem cause. Necessariò adsunt in conuersione agnitio peccati, iræ Dei

## DE ANTI N O M O R V M

ac pœnarum, tristitia, & dolores. Et hæc oriuntur ex lege: tamen illi simul cum sunt veri & non simulati dolores, sunt dona spiritus sancti, qui si non excitat veros, tantum illi sunt in animo falsa quædam simulatio, quæ si maneat sola, impellit animos ad desperationem, sicut declarant exempla Cain, Saulis, Ahithophelis, & Iudæ. Sed iidem dolores non sunt ita necessarii, ut mereantur vel agant aliquid ad iustificationem, quæ oritur ex euangelio: multo minus ut sint causæ partiales iustificationis. Adsunt autem necessarii ratione ordinis diuini in conversione, seu ratione mediæ, quæ Deus ad conversionem instituit.

### CONFUTATIO VII. probationis.

Quicumque docent euangelium tantum ihs proponendum esse, quorum animi iam sunt preterrefacti & consternati per legem: ihs sane non est repugnandum. Quoniam spiritus sanctus ab initio post lapsum primorum parentum usque in hodiernum diem, usus est hac ratione conuertendi homines ad pœnitentiam, etiam ante leges positivas seu scriptas, sicut in exemplo primorum parentum conspicitur, Ge. 3. Et eandem formam iuuante Deo, Antinomi nobis non eripient.

Attamen hoc concedimus, fieri aliquando, ut prudens minister ab euangelio incipere cogatur, quo consolatur conscientias, quæ agnitione suorum peccatorum, & cogitatione iræ ac pœnarum diuinorum, maximusque doloribus de peccato ita consternatae sunt, ut periculum sit desperationis. Si enim talibus conscientijs acuat lex, exaggerentur peccata, amplificetur magnitudo iræ ac iudicij diuini, maximum augebitur. Verum hæc species non tollit generalem modum agendi cum conscientijs. Quod

Quòd autem vera & communis forma sit circa  
conuersionem hominis, vrgerè legem & euangelium,  
superius cum ex veteri tum ex nouo testamento sa-  
tis declaratum est.

### CONFVTATIO VIII. probationis.

**Q**ui verba Christi, quibus iussit in suo nomine  
prædicare pœnitentiam & remissionem pec-  
catorum, eo quo diximus, modo intelligunt, hi rati-  
nant simplicem intellectum verborum: imò faciunt  
quòd Christus ipse fecit & iteri mandauit, cum primò  
terrent conscientias, deinde erigunt rursus. Ita Chri-  
stus ipse conuertit Saulum Act. 6. quem his verbis  
proffernit: Saule, Saule, quid me persequeris? Postea  
consolatur eum, ac remittit ad Ananiam.

### CONFVTATIO IX. probationis.

**V**era sententia mandati Christi de prædicando  
euangelio, ambabus, quòd aiunt, manibus, imò  
toto pectore retinenda est. Porrò ea est sententia  
mandati, vt hæc veluti forma conuertendorum homi-  
num, qua etiam spiritus sanctus ab initio vsus est, re-  
tineatur, quæ consistit in prædicatione legis & euan-  
gelij, in terrendo & consolando.

Miramur autem Antinomos, qui cum ipsi fatean-  
tur, in vera pœnitentia inesse timorem & horrorem,  
& hos effectus esse proprietatem legis, non tamen ab  
hoc tetra errore se expedunt: imò non cogitant timo-  
rem & honorem nullo modo tribui euangelio posse,  
nisi confundantur inter se genera doctrinarum. Sed  
mirandum non est, falsos doctores esse pertinaces:  
puniuntur enim cæcitate intantum, vt ne videntes  
quidam videant, nec audientes audiant. Con-



## DE ANTIMORVM

Confutatio decimæ probationis.

Lutherus in secunda disputatione contra Antinomos: Falsum est, inquit, quòd sine spiritu sancto arguit lex peccatum, cum lex sit scripta digito Dei. Videmus ergo efficacem esse increpationem legis per spiritum sanctum, ad veram agnitionem peccati, & ad veram agnitionem iræ ac iudicij diuini aduersus peccatum, & ad prouocandam contritionem & dolores, vt hæc omnia fiant saluta riter, & absq; hypocrisis.

Verum & hoc est, quod lex arguat ad æternam damnationem eos, qui non eriguntur per euangelium, neq; consolationem euangelicam fide apprehendunt. Ita lex arguit ad æternam damnationem Cain, Saulem, Ahitophelum, Iudam.

In cæteris autem qui eriguntur voce euangelij, vt apprehendant consolationem eius fide, increpatione illa legis, propter euangelium, & per efficaciam euangelij, in salutarem finem conuertitur: sicut in exemplis Dauidis, Petri, Magdalene manifestum est.

Confutatio vndecimæ probationis.

Quòd euangelium sit doctrina condemnationis, quæ accuset homines & condēnet, ex scriptura nunquam didicimus. Neq; etiam de vocabulo ambigitur: euangelium enim non significat triste nuncium ad condemnationem hominum, sed lætum nuncium ad salutem & vitam æternam. Hinc & in scriptura euangelium vocatur verbum salutis & vitæ, & potentia Dei ad salutem omnium credentium. Rom. i. Et Christus expressè dicit Iohannis tertio & quinto, eos qui credunt per euangelium, non venire in iudicium seu damnationem. Neq;

Neque satis propriè & perspicuè dicitur euangelium simul docere pœnitentiam & remissionem peccatorum, sed ita dicendum erat: euangelium est pars veræ doctrinæ de pœnitentia. Prior enim pars doctrinæ pœnitentialis est concio legis, altera eius pars est concio euangelii. Et vt summatim dicamus, lex & euangelium non debent confundi, sicut fit ab Antinomis, qui affirmant, euangelium simul docere pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Vt autem concedamus, euangelium alicubi pro tota doctrina Christiana, quæ consistit in lege & euangelio accipi: tamen melius est loqui propriè & dilucidè, vt vitentur errores.

#### CONFUTATIO XII. PROBATIONIS.

Paulus ad Romanos primo, non dicit euangelium iram Dei de cœlo docere: sed iram Dei per euangelium de cœlo manifestari super omnem iniustitiam, & impietatem: quod nihil aliud est, quàm si dicat: vbicunque docetur euangelium, ilicò ibi pereunt omnes doctrinæ iniustæ & impiæ, quibus & ipse Christus Matth. decimoquinto exitium minatur. Omnis, inquit, plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, radicatus euelletur. Et hæc manifestatio iræ Dei de cœlo per euangelium, intelligenda est principaliter de iis rebus, quæ ibi nominantur, de iniustitia & impietate, quas iudicare euangelium potest ad extremam perniciem. Nulla enim falsa doctrina aciem euangelii sustinere potest: cuius rei manifestissimum exemplum vidimus nostro tempore in Papatu.

Sed hoc dictio apostoli doctrina legis à conuersione non remouetur: multò minus tribuuntur euangelio

## DE ANTI NOMORVM

gello opera legis, qualia sunt, deducere corda ad agnitionem peccatorum, ostendere iram & iudicium Dei super peccata, terrere, angere, excitare veros doctores.

Deinde non negamus iustitiam coram Deo per euangelium manifestari, sicut clarè docet Paulus.

Sed hoc negamus, euangelium esse prædicationem pœnitentiæ, cui promissio annexa sit. Hic enim rursus confunduntur inter se lex & euangelium. Aliàs autem verum est, euangelium esse partem veræ & salutaris doctrinæ de pœnitentiâ, ac nisi illud accedat, vera & salutaris pœnitentiâ esse nequit.

Item si propriè & perspicuè loquamur, euangelium non est prædicationis pœnitentiæ, cui annexa est promissio: sed est doctrina, que veræ continet in se promissionem gratiæ.

### APPENDIX.

Ex his omnibus satis demonstratum esse arbitramur, quòd Antinomi pessimè faciant, excludentes legem à conuersione hominis, ac docentes, pœnitentiam ex euangelio docendam esse. Probamus autem sententiam Lutheri, quam ex tertiâ disputatione contra Antinomos antea allegauimus in hunc modum:

Ponatur casus, quòd peccatum aliunde quam per legem possit cognosci, quod tamen

est impossibile: cur legem abijci oportet, quæ idem

agit.

¶

DE

# DE SVENCO<sup>82</sup> FELTIANIS



ASPAR SVENCOFEL-  
tius natione Silesius, & ho-  
mo equestris ordinis, non  
procul à Lignicio oppido  
natus, veteranus nunc hæ-  
reticus, vltra triginta an-  
nos, non tantum in Silesia,  
sed etiam in alijs prouincijs  
varias domagtum suorum

absurditates sparsit, ex quibus nonnullę prorsus sunt  
execrabiles & detestandę. Propterea multos iam an-  
nos lucem fugit, & recipit se in quosdam angulos, in  
quibus in morem lucifuge portenta opinionum com-  
miniscitur & euulgat. Quamuis autem ferè omnes  
eius errores pijs auribus sunt horrendi, tamen inuē-  
nit discipulos & applausores, neq; sane illos infimę  
sortis homines, qui eum fouent, & officinas literarias  
operiunt: tametsi nec ipse scriptor, neque patronus  
eius, neq; librarius profiteri se publicè audent.

Porrò hic Suencofeltius suo exemplo docet, que-  
madmodum falli doctores, qui pertinaciter in errori-  
bus perseverant, iusto iudicio Dei, errorem ex erro-  
re gignant: & quomodo Deus in hominibus fanati-  
cis mendacium mendacio puniat.

Libri Suencofeltiani in his regionibus rarò con-  
spiciuntur, quia non vbiuis venales esse permittun-  
tur. Sed aliqui ex nostris præcipuos eius errores con-  
traxerunt breuiter, & partem ipsi eos confutarunt,

## DE SVENCO.

partim ad ampliorem aliis confutationem dederunt occasionem. Quod si ipsa librorum Suencofeltii exempla habuiffemus, simul & argumenta ipsius repetere, & pro virili parte refellere potuiffemus.

### PRIMVS ERROR.

*Filium docet esse eandem personam quæ est pater. Hæc enim eius sunt uerba, in libro de uerbo Dei pag. 32. Filius est uita seu hypostasis patris.*

### CONFUTATIO.

**A**Duersus hunc errorem tenenda sunt dicta scripturæ, de tribus distinctis personis in vna essentia diuina, quæ supra in refutatione primi erroris Seruetiani allegauimus. Et hic est vetus error Sabellianorum, quem extruxerunt illi è dicto Iohannis decimoquarto: Ego & pater vnum sumus. Hæc uerba Sabellius intellexit de vna persona patris & filii sed verus intellectus est de vnitæte essentia.

Augustinus lib. de quinque hæresibus cap. 7. Christus non dicit: Ego & pater vnum sum, sed ego & pater vnū sumus. Quod dico Vnum, Arrianus audiat: quod dico Sumus, audiat Sabellianus: non diuidat Arrianus Vnum: non debeat Sabellianus Sumus.

Item lib. 10. de Trinit. cap. 9. Reuera cum pater non sit filius, & filius non sit pater, & spiritus sanctus ille, qui etiam donum Dei vocatur, nec pater sit, nec filius, tres vtique sunt: ideo pluraliter dictum est: Ego & pater vnum sumus. Non enim dixit: vnum est, sicut Sabelliani dicunt.

Videtur autem hoc agitare Suencofeltius, vt patri tantum tribuat diuinitatem & essentiam diuinam, & in locum trium distinctarum personarum, vnā tantum surroget, quæ simul tres sustineat appellationes, patris, & filij, & spiritus sancti. Ful.

Fulgentius libro tertio ad Trasimundum. Pater per se est vnum subsistens. Similiter & filius per se est vnum subsistens. Et spiritus sanctus est per se vnum subsistens.

Si ergo Suencofeltius cum Samosateno & Serueto filium Dei tantum esse putat verbum & cogitationem, non personam distinctam: copiose hic error sublatu est in refutatione secundi erroris Seruetiani.

### SECUNDVS ERROR.

*Pater non est locutus hæc verba, Matth. 17. Hic est filius meus dilectus: sed tantum e nubibus eiusmodi vox facta est.*

### CONFUTATIO.

**H**ic error breuiter asserit, quod hæc verba, *Hic est filius meus dilectus*: non sint verba Dei patris.

Aduersus hunc principio demonstrandum est, quod hæc verba, *Hic est filius meus dilectus*: vere sint verba Dei patris. Similia verba extant etiam Matth. cap. 3. quo quidem loco manifestè discernuntur tres distinctæ personæ trinitatis in vna essentia diuina. Spiritus sanctus apparet in specie columbæ, filius tingitur in Iordane, & vox patris de cælo innotat, *Hic est filius meus dilectus*. Et sicut Matth. 17. dicitur vox patris sonuisse ex nube, ita Matth. 3. dicitur facta de cælo. Et Petrus 2. epist. cap. 1. inquit: *Ipsi spectatores fuimus maiestatis eius: acceperat enim à patre honorem & gloriam, cum hæc magnifica & gloriosa vox de eo proclamaret: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est.*

Augustinus in lib. de fide ad Petrum: *Quamuis*

Y 3 pater,

## DE SVENCO.

pater, & filius, & spiritus sanctus vnus naturæ sint: tamen firmiter tene, tres esse personas, & quod solus pater dixerit: Hic est filius meus dilectus.

Chrysoſtomus: Neq; Moſes, neq; Elias loquitur Hic est filius meus dilectus: sed solus pater.

Hieron. Vox dicentis patris de cœlo auditur.

### TERITVS ERROR.

Pater nihil loquitur, quàm eſſentiam filij, & filius ſuam eſſentiam loquitur. De Euangelio pag 31. & alibi in pluribus locis.

### CONFVTATIO.

**P**Erinde vt omnes hæreticorum sermones, ita & hæc Suencofeltij deliria, sunt obscura nec intellectui obuia. Sed tamen hæc est eius ſententia, vt ſignificet, patrem intus in pectoribus hominum loqui de filio, deque actionibus & eſſentia filij, cum pater facit voluntatem ſuam: ſimiliter & filium de ſuis actionibus & eſſentia. Qua re amplius ſignificari vult Suencofeltius, ſcripturam veteris & noui teſtamenti non eſſe Verbum Dei, neq; illud medium, quo vterq; pater & filius nos erudiunt de ſua voluntate ad veram conuerſionem & ſalutem.

Interim nos non negamus, Deum eſſe omnipotentem, ita vt ſuam etiam voluntatem ſine externo verbo manifeſtare poſſit. Item & ſpiritus ſanctus intus in cordibus ſine ſcriptura docere nos poteſt. Sed ruruſum & hoc ſciendum eſt, quòd Deus ſeruet ordinem docendi nos per certa media, qui ordo nequeſcerandus eſt neq; tollendus in vniuerſum, & conſiſtit in prædicatione verbi diuini: qua de re poſtea dicitur copioſius.

Duo igitur probanda ſunt, vt hunc errorem diſſolu-

soluamus; primum quod scriptura veteris & noui testamenti sit verbum Dei. Secundo, quod hæc eadem sit illud medium, quo Deus patefecit nobis voluntatem suam ad conuersionem & salutem.

### TESTIMONIA QVOD SCRIPTVRA

veteris & noui testamenti sit verbum Dei.

Exodi 32. dicit historia, legem scriptam esse digito Dei.

Deutoronom 18. Ponam verba mea in ore prophetae, & loquetur ad eos, quæcunque ego præcepi.

Ibidem cap. 5. Quæ verba locutus est Dominus ad omnem populum.

Numer 12. Si quis erit inter uos propheta, per visionem apparebo ei, & in somno loquar ad eum: sed non ita seruus meus Moses, qui in tota domo mea fidelis est, sed præsens & ipso ore loquar cum eo.

P sal. 119. lex vocatur lex Dei, & testimonium, mandatum, verbum Dei.

Iohannis 14. Sermones quos loquor, non sunt mei, sed patris mei qui misit me.

Posteriore Petri 1. Hoc in primis scitote, quod nulla prophetia scripturæ, priuatæ sit interpretatio: non enim voluntate hominis tradita est prophetia, sed spiritu sancto moti, tradiderunt eam sancti Dei homines.

Posteriore Corinth. 2. apostolus scripturam vocat verbum Dei, ac dicit, se non esse de illorū grege, qui cauponantur seu quæstui habent verbum Dei.

Rom. 1. euangelium vocatur virtus Dei.

In priore ad Thessalonicenses, apostolus vocat aliquoties euangelium verbum Dei.

Denique scriptura passim ac sæpissimè appellatur verbum Dei.

TESTI=



DE SVENCO.

TESTIMONIA PATRVM.

Augustinus lib.1. de peccatorum remiss. cap. 22.  
Scriptura sacra est, in qua quicquid est, altum est &  
diuinum.

Item lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 5, vocat  
scripturam, diuinam scripturam.

Ibidem: Nos tradimus, scriptores sacræ scripturæ  
secundum voluntatem Dei locutos esse.

Item in euangelium Iohannis tractatu 30. Quicquid  
quid preciosum scriptum est de ore Domini, hoc  
propter nos scriptum est.

Item lib. 11. de ciuitate Dei, capite. 1. Christus pri-  
mum per Prophetas, postea per seipsum, & tandem  
per apostolos locutus est.

Item in Psal. 118. Verbum tuum lucerna pedibus  
meis: Hæc verba intelligit Dauid, de verbo prophe-  
tarum & apostolorum.

Ibidem: Qualis est hæc lucerna Domini, de qua  
loquitur Dauid? Verbum quod ad prophetas factum  
est, & per Apostolos annunciatum: non Verbum  
quod Christus est, sed verbum Christi.

Item super Iohannem, tractatu 109. Inde verbum  
fidei, dictum est verbum apostolorum, quod ipsi prin-  
cipaliter, & primum publicè prædicarunt. Ex hoc au-  
tem non sequitur, quod propterea non sit verbum  
Dei.

Item lib. 10. De Ciuitate Dei, cap. 7. & 17. & lib. 18.  
cap. 4. multis firmissimis argumentis testatur, quod  
Deus per prophetas locutus sit, & quod diuina scrip-  
tura de cælo descenderit, per ministerium angelo-  
rum.

Item

Item ad Orosium contra Priscillianistas: Sit aliquis quantumuis doctus, tamen inueniet, quòd adhuc discipulus scripturæ sit, quam Deus veluti firmitermentum posuit super corda hominum.

Quòd autem scriptura atq; adeò verbum Dei vocale, quòd prædicatur & auditur, sit illud medium ordinarium, quo Deus patefecit nobis se & voluntatem suam ad conuersionem & salutem, certum est ex sequentibus scripturæ dictis.

Rom. 10. Omnis enim, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodò autem inuocabunt, in quem non credunt? Quomodò credent in eum, de quo non audierunt? quomodò audient sine prædicante? quomodò denique prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes prædicantium pacem, prædicantium bona.

Matthæi vicesimo octauo, Christus iubet docere & baptizare.

Marci decimo sexto, Christus mandat prædicari euangelium ad fidem & ad salutem.

Luca 24. vult Christus, vt in nomine suo poenitentia & remissio peccatorum annuncietur.

Sic apostoli secundum visionem profecti sunt in Macedoniam, vt eam prouinciã per prædicationem euangelij conuerterent, quam tamen potuisset Deus alio modo per arcanas reuelationes conuerture. Act. 16.

Actuum cap. 9. Paulus ab ipso Christo vocatur, & tamen remittitur postea ad Ananiam, vt porrò ab eo instituat per verbum Dei.

Ibidem cap. 10. Petrus mittitur ad Cornelium, vt per verbum penitus eum conuertat. **Z** Pri

## DE SVENCO

Priore Cor. 3. appellamur templa Dei, quo significatur, Deum ex nobis tanq̄ suis templis loqui.

Act. 8. eunuchus reginæ ex Aethiopia conuertitur ad regnum per lectionem Esaiæ, & interpretationem Philippi.

Ibidem cap. 16. apostoli referunt custodi carceris & toti eius familiæ verbum Dei, & ipsi credunt ad salutem.

Propter prædicationem verbi doctores vocantur synergî Dei 1. Cor. 3. & spirituales parentes Christianæ sobolis, quam generant per euangelium 1. Cor. 4. item plantantes & rigantes, vt Deus verbo audito det incrementum. 1. Cor. 3. item dispensatores mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. Tribuitur etiã illis, quòd aperiant hominibus oculos ad conuersionem, sicut patet ab exemplo Pauli, Act. 26.

Luc. 1. de Iohanne legitur, quòd per suam prædicationem corda patrum ad filios conuersurus sit.

**TESTIMONIA PATRVM QVOD**  
verbum sit illud mediũ, quo Deus patefacit nobis  
seipsum & voluntatem suam ad conuersionem ac salutem.

August. in præfatione librorum de doctrina Christiana: Imò verò quod per hominem discendum est, sine superbâ discat, & per quem docetur alius, sine inuidiâ tradat quod accepit. Nec tentemus eum, cui credimus, ne tales inimici versutijs & peruersitate decepti, ad ipsum quoque euangelium audiendum atq̄ discendum, malimus ire in Ecclesias, aut codicem legere, aut legentem prædicandemq̄ hominem audire, et expectemus rapi usq̄ in tertium cœlum, siue in corpore,

pore, sive extra corpus, sicut dixit apostolus, & ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet hominem loqui, aut ibi videre Dominum Iesum Christum, & ab alio potius, quam ab hominibus audire euangelium. Caueamus tales tentationes superbissimas & periculossimas, magisq; cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum licet diuina & cœlesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse, vt sacramenta perciperet, copulareturque ecclesiæ.

Item super euangelium Iohan. tractatu 24. Hic comparat verbum Dei cum hamo, per quem homines capiuntur ad salutem.

Item ad Circenses in epist. 130. Hoc agit & efficit ille, qui per ministros suos, signis rerum extrinsecus admonet, rebus autem ipsis intrinsecus per seipsum docet.

Item ad Hieronymum, epist. 23. Non alius Deus docuit Moſen per Ietro, nec Cornelium per Petrum, nec Petrum per Paulum.

Item super euangelium Iohan. tract. 30. Ideò audiamus euangelium veluti Deum præsentem: nec dicamus: O beati sunt illi, qui dominum videre potuerunt.

Quòd autem scripturam, atq; adeò verbum Dei pro medio, quo Deus seipsum nobis & voluntatem suam vult reuelare ad conuersionem salutis, etiam nos amplecti debeamus: sequentia scripturæ testimonia confirmant.

Malachiæ 2. Labia sacerdotis custodiunt doctrinam, & ex ore eius lex quærat.

Ezech. cap. 29. In præceptis patrum vestrorum non ambulabitis, & iudicia eorum non custodietis, sed tantum in præceptis meis ambulate, iudiciaq; mea custodite & facite.

DE SVENCIO.

Christus ubique allegat dicta prophetarum, vt doceat nos, scripturam à nobis retinendam esse. Matthæi 5. 6. 7. 11. & alibi.

Iohan. 5. Scrutamini scripturam, hæc enim est, quæ testatur de me.

Marci 1. Christus ipse concionatur euangelium de regno Dei, & postulat vt huic euangelio credatur.

Luc. 16. Habent Mosen & prophetas, audiant eos.

Thessalonicenses Act. 17. laudantur, quod benigno animo acceperint verbum, & quotidie inquisierint in scriptura, num sic res se haberet.

Ibidem cap. 18. Apollo commendatur ab eloquentia & peritia scripturæ.

Petrus in posteriore epist. cap. 1. deducit nos ad verbum Dei, seu ad scripturam his verbis: Habemus certius verbum propheticam, quod cum obseruetis, bene facitis, ut pote lucernam in loco tenebricoso lucentem, donec effulgeat dies, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

Posteriore Petri 4. Memores estote verborum, quæ dicta sunt à sanctis Prophetis, & mandati Domini, cuius sumus apostoli.

August. super verba Domini, homelia 20. à Matthæo conscripta: Dilecti fratres rogo vos, ut attendatis in sacram scripturam.

Item ad Iulianum epist. iii. vult, vt scripturam magna reuerentiam cognoscamus, & accipiamus, non aliter atque magni alicuius regis legatos.

Item de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 19. Puto salubriter præcipi ingeniosis & studiosis adolescentibus, qui Deum timent, & uitam beatam quærunt, vt nullis

nullis doctrinis, exceptis illis, quas ecclesia exercet, ad consequendam beatam vitam adhareant.

Item de nuptijs & concup. ad Valer. lib. 2. cap. 29.

Nulla modo sinamus nos abduci à canonicis script.

Item ad Paulinam, epist. 112. Sine dubitatione credendum est rebus, quæ per diuinam scripturam sunt confirmatæ.

Item ad Cresconium lib. 2. cap. 32. Ego huius epistolæ autoritate non teneor, quia literas Cypriani non vt canonicas habet, sed eas ex canonicis confidero: & quod in eis diuinarum scripturarum auctoritati congruit, cum laude eius accipio, quod autem non congruit, cum pace eius respuo.

Ad Vincentium epist. 48. non vult vt ex hominum scriptis aliquid introducamus contra diuinam scripturam.

### OBIECTIO.

*Si per scripturam vel per externum uerbum Dei doceri nos oportet ad conuersionem salutis: sequitur quod spiritus sanctus nihil ad eam sit efficax: sequitur item, quod in arbitrio & potestate sit ministrorum, conuertere homines, & corda ipso. um mouere.*

### RESPONSIO.

Non sequitur. Ministri enim docent foris per uerbum in aures auditorum, sed spiritus sanctus docet corda. Sic nos qui docemus, testamur in aures hominum, spiritus sanctus testatur in corda hominum: & tamen utrunque testimonium necessarium est secundum doctrinam Christi, Iohannis 15. Item nos do. fores plantamus & rigamus, Deus autem dat incrementum posteriore Corint. 3. Et ad hoc internum incrementum seu fructificationem Christus toties discipulis suis promittit spiritum sanctum Ioan. 14. 15. 16.

## DE SVENCO.

Augustinus in 26. tractatu super Iohannem: Omnes homines illius regni erunt à Deo docti, & non solum ab hominibus illud audient, etsi ab eis audiant: verum ut intelligant, intus dabitur, ibi apparet, & manifestatur. Quid autem homines faciunt, qui foris prædicant? Hoc quod ego nunc factum, dum loquor. Ego in aures vestras ingero verborum fontem: & cum ille qui intus est, non manifestat, quid loquor? Foris est curator arboris, intus creator. Qui plantat & rigat, foris operantur, & hoc nos facimus. Verum is qui plantat, nihil est, nec qui rigat, aliquid est: sed Deus qui dat incrementum. Et hoc sibi vult illud dictum: Et omnes erunt à Deo docti.

Chrysostomus in verba Iohan. Quibuscumque peccata solueritis. homelia 85. Nemo gloriatur in hominibus, sed in Deo qui dat incrementum, & operatur omnia in omnibus. Et contra nemo contemnat ministros Dei, de quibus Dominus dicit: Qui vos audit, me audit, & qui vos contemnit, me contemnit.

### QVAESTIO.

*Quid igitur Suenoseltius sentit de scriptura seu verbo Dei?*

### RESPONSIO.

Sentit esse mortuam literam, in qua neque vita est, neque salus. Quod si verè sic se habeat, verbum Dei & scriptura sancta apud multos homines trahetur in extremum contemptum.

Repugnant autem huic deliramento multi scripturæ loci.

Iohannis quinto: Qui verbum meum audit, habet vitam æternam.

Iohan. 8. Qui ex Deo est, verbum Dei audit.

Luce 11. Beati qui verbum Dei audiunt & custodiunt.

Ad Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Rom. 10. Hoc est verbum fidei quod predicamus. Nam si ore confessus fueris Iesum, quod ipse sit Dominus, & credideris corde tuo, quod resuscitauerit Deus eum à mortuis, saluus eris.

Rom. 15. Quaecunque scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

Priore Corinth. 1. Verbum crucis est stultitia ijs qui pereunt: nobis verò qui saluamur, Dei potentia est.

Et ibidem: Cum mundus per suam sapientiam, Deum in sua sapientia non agnosceret, placuit Deo per stultam predicationem saluos facere credentes.

Ad Philipp. 2. Ut custodiatis verbum vitæ.

Acto. 13. verbum Dei vocatur verbum salutis.

Porrò & alias insignes utilitates scripturæ commemorat Paulus in 2. ad Timoth. epistola cap. 3.

Augustinus in euang. lium Iohan. tract. 24. Homines rapiuntur per verbum ad salutem.

Item de vera innocentia, cap. 31. Euangelium est bonus odor, & predicatio veritatis, per quem odorem nos vitam accipimus.

Item lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 22. Scriptura reficit & instaurat animos.

Item ad Iulianum, epistola III. Sacrorum librorum series scripta est ad nostram salutem.

### QVAESTIO.

At unde concepit Suenofoletius hanc erroneam opinionem, quod scripturam uocat literam mortuam?

RE-



DE SVENCO.  
RESPONSIO.

Ex falso intellectu paulinæ sententiæ, in 2. epist. ad Corinthios cap. 3. Litera occidit, spiritus autem vivificat. Iam non est dubium, quin scriptura, nisi per spiritum sanctum intelligatur, parum sit utilis, & magis occidat, quam vivificet. Vbi autem per spiritum sanctum intelligitur, ibi affert vitam.

QUARTVS ERROR.

*Fides est essentia & natura Dei, item essentia filij. in libro de euang. gelio, pagina 61. & 62. Verum hæc fides non est Deus, neq; persona diuinitatis, in libro de uerbo, pagina 193,*

CONFUTATIO.

ET verba & res huius erroris in ecclesia sunt inaudita. Ita hæreticos oportet & verba noua & res nouas gignere, vt aliqua ex parte etiam per hanc notam agnoscantur. Ac certò scimus, nescire Suencoseltium quid loquatur. Quomodo enim illa congruunt, vt hoc quod habet essentiam & naturam diuinam, non sit simul Deus? Ita Deus cœcitate punit in petulantibus hæreticis, & immitit eis reprobum sensum, vt veritatem aspicere nequeant.

Quamobrem autem in hunc modum insanat Suencoseltius, non est facile iudicare. Fortasse fidem propterea nuncupat essentiam, & naturam diuinam, quia veluti donum Dei perpetuò durat in quibusdam hominibus, sicut & essentia naturaque diuina perpetuò durant.

Sin ille fidem accipit pro constantia in verbis & factis, & per essentiam & naturam hoc loco significat, quòd hæc fides in Deo sit virtus naturalis: micius hoc erit, sed tamen inconueniens. Nemo enim dixit  
vnq̃

vnquam de Deo, constantiam in verbis & factis essentiam esse & naturam ipsius. de hominibus autem multò minus dici potest. Aut fortassis hoc sibi vult Suencofeltius his verbis: fides est essentia naturaq; Dei, id est, donum illius Dei, qui habet essentiam naturamq; diuinam: quæ si maximè sit eius sententia, tamen non ita periculose loqui deberet, vt homines imperiti causam haberent, fingendi Deum ex fide.

Postremò neq; scriptura neq; patres in hunc modo loquuntur de fide. Et si scripturam vel patres de hac fide in Deo & in nobis loqui, ac fidem in Deo pro constantia in verbis & factis accipere necesse esset: sic loquerentur, quòd sit in Deo virtus naturalis, in nobis autem qualitas seu habitus longo usù comparatus.

Si uero theologicè fides intelligenda est, rursùm error Suencofeltij subsistere nequit. Deus enim neminem habet superiorem, in quo credat vel confidat. Et fidem quantum ad nos, sic describit epistola ad Ebraeos cap. ii. Fides est certa expectatio eorum quæ sperantur, & argumentum rerum, quæ non videntur: quam definitionem confirmat Christus loh. 20. cum inquit ad Thomam: Beati qui non vident, & tamen credunt. Neque verò hîc neque alibi scriptura docet, fidem in nobis esse de essentia naturaq; diuina.

Eodem modo neque sanctorum patrum monumentis hæc definitio Suencofeltij reperitur.

Amplius, si fidem Suencofeltius accipit pro notitia seu scientia omnium rerum in Deo: nihilominus falsum est, quòd fides sit essentia & natura Dei. Si uero ita dicatur, hanc notitiam seu scientiam in Deo esse

DE SVENCO.

se naturalem: alia res est. Quicquid enim nos scimus & cognoscimus in rebus quæ rationi subiectæ sunt, id longo tempore & vsu percipimus: in rebus diuinis id omne ex gratia nobis inest. Neutrius igitur rei scientia in nobis est essentia & natura Dei.

QVINTVS ERROR.

Omnia dona spiritualia sunt partes essentia Dei. In lib: de euangelio.

CONFVATIO.

Si quis diceret omnia dona spiritualia esse opera diuinitatis, seu Dei ipsius, qui habet essentiam & naturam diuinam, acquiescere possemus: quod autem partes essentia diuinæ vocantur, id antehac in ecclesia nunquam est auditum.

Si verò ad opinionem Suencofeltij dona spiritualia sint partes essentia diuinæ: necesse est vnumquodque esse Deum. Hoc enim solum Deus est, quod habet essentiam diuinam.

Præterea dona spiritualia in nobis incrementum & decrementum accipiunt, quod ipsum de diuina natura asserere turpe esset. Quod autem in nobis crescant & decrescant dona, manifestum est ex dicto Matth. 25. Vnicuique dabitur, vt habeat amplius: sed à non habente, etiam quod habet auferetur. Idem testatur parabola de fide, quæ confertur grano sinapis. Matth. 17. Et magna est absurditas, partiri diuinitatem in multas partes. Tum etiam essentia diuina est æterna, sed dona in nobis aliquando planè desinant: quapropter essentia diuina esse nequeunt.

SEXTVS ERROR.

Omnes Christianos esse naturales filios Dei, quos gignat Deus ex seipso, de sua natura & essentia diuina: inter quos Christus sanctissimus & p. inno

et primogenitus, naturalis sit filius et haeres, ad cuius imaginem omnes alij filij adoptiui formari et absolui debent. In lib. contra Coccium, pag. 17. Et de euangelio, pag. 61. et 63.

## CONFUTATIO.

Etsi uidetur hic error Suencofeltii inter Christum essentialem & naturalem Dei filium, & inter nos, qui gratuito adoptati sumus, nonnihil distingueret: tamen re ipsa nullafit distinctio. Si enim & nos adoptiui filii, essentialiam habemus & naturam diuinam, nihil reliquum est, quin simus naturales filii Dei, sicut ipse est. Ex quo efficitur, ut & singuli Christiani sint Dij.

## OBIECTIO.

At iuxta sententiam Suencofeltij, haec manet differentia, quod Christus filius Dei, non sit filius adoptiuus, nos autem sumus.

## RESPONSIO.

Ergo neque nos adoptiui sumus: quia cum diuinam habeamus naturam, similes Christo filio Dei sumus.

Sciendum est autem hoc loco, scripturam quam maxime inter Christum essentialem Dei filium, & inter nos adoptiuos filios discernere. Ad Ephe. i. Sicut elegit nos in seipso ante foundationem mundi, ut esse mus sancti coram ipso in dilectione: & destinauit nos in adoptionem filiorum sibi ipsi, secundum placitum & voluntatem suam.

Quemadmodum autem Deus hos adoptionis filios gignat, ex alijs scripturae dictis satis liquet. Ioannis primo: Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Nusq̄ hic mentio fit, quòd filij adoptionis naturam habeant & essentiam diuinam, sed quòd Christus potestatem eis dederit, vt fierent filij Dei. Iohannis cap. 3. cum Christus loqueretur de regeneratione spiritali, meminit duorum mediõrum, per quæ fiat illa regeneratio, aquæ id est, baptismi & spiritus. Et amplius dicit nos tantum per hanc nouam regenerationem videre regnum Dei: non dicit, infundi in nos essentiam & naturam diuinam.

Ad Titum cap. 3. mentio fit baptismi tanq̄ mediõ regenerationis nostræ & renouationis per spiritum sanctum. Sed quòd in hac regeneratione & renouatione nascamur ex diuina essentia & natura, ibi non potest animaduerti.

Neq̄ huius rei mentionem faciunt dicta Iohannis in 1. epistola, vbi aliquot notas recenset eorum, qui ex Deo nati sunt.

### QVAESTIO.

*Quid uerò significat, ex Deo nasci?*

### RESPONSIO.

Nihil aliud, quàm per baptismum & spiritum sanctum nouam fieri creaturam, & filium adoptionis, qui iam rectè videat ac intelligat verbum Dei, & uerus sit ciuis regni Christi. Iohan. cap. 3. Deum patrem inuocet in spiritu & ueritate, Iohan. 4. Voluntatem diuinam rectè faciat, & vt hoc quod facit, gratum sit Deo, sit iustus & sanctus, ad Ephe. 4. faciat opera spiritus ad Galatas 5. In hac descriptione formæ regenerationis iterum nihil apparet eorum, de quibus Suencofelius contendit, fieri oportere, vt nos adoptiui habeamus naturam & essentiam diuinam.

Imò

Imò per hunc errorem Suencofeltij penitus tollitur discrimen inter generationem æterni filij Dei, & inter nos homines renascentes. Filius Dei genitus est ab æterno ad æqualem essentiam, & naturam cum patre. Nos autem renascimur, vt tantum simus nouæ creaturæ, & filij adoptionis, vt recte agnoscamus Deum, diligamus eum, piè uiuamus, secundum voluntatem eius.

Ad eundem modum Paulus scribit ad Rom. 8. quòd in regeneratione nostra tantum accipiamus spiritum adoptionis filiorum, non dicit, quòd ex essentia & natura diuina nascamur.

Regeneramur item filij adoptiui tantum ad hæreditatem, ad Rom. 8. & ad Gal. 4. non vt habeamus essentiam & naturam diuinam, atq; adeò simus Diij.

Quòd autem Apostolus ad Coloss. 1. Christum æternum Dei filium vocat primogenitum, non ideo facit, vt & nos adoptiuos ostendat illi essentia & natura similes esse oportere, vel simili modo à patre gigni: sed quia ipse est primogenitus ante omnes creaturas, vnde etiam per illum omnia facta sunt, quæ sunt in cælo & terra. Ac discernit hoc loco Paulus æternum illum & essentialem ac naturalem filium Dei, à nobis adoptiuis.

Ac si nos adoptiuos filios, vt vult Suencofeltius, necesse sit ad imaginem illius æterni, essentialis & naturalis filij Dei formari & absolui; iam æquales fieremus Christo, quòd nullo modo fieri potest. Aequum est enim, vt creator sit excellentior sua creatura æternus & natiuus Dei filius, amplius sit quam filij adoptiui.

## DE SVENCO

### OBIECTIO.

*Si nos filij adoptiui non debeamus firmari & absolui, secundum imaginem æterni, essentialis, & naturalis filij Dei, & in hoc ei similes fieri: cur ergo scriptum est ad Rom. 8. Quos prædestinavit, hos etiam ordinavit, ut sint conformes imaginis filij sue*

### RESPONSIO.

Hæc conformitas non est intelligenda de personarum æqualitate, quod adoptiuos filios, Christo æterno, naturali & essentiali filio Dei, nato de ea essentia & natura diuina, quam habet pater, similes fieri oporteat: sed de conformitate passionis, vt & nos similiter patiamur sicut Christus æternus, naturalis & essentialis Dei filius passus est: & sicut pater non deseruit filium suum Iesum Christum in passione, ita neq; nos adoptiuos deserturum. Et hoc modo Apostolos atq; simul alios Christianos consolari voluit, aduersus difficultatem crucis & afflictionum. Et cum multas consolationes percensuisset ordine, tandem & hanc subiecit, quod sit voluntas patris, vt suo filio in passione conformes fiamus: nequaquam autem nos adoptiuos æterno illi & naturali filio æquiparare voluit.

De hac conformitate nostra cum Christo, dominus ipse loquitur, cum dicit: Seruus non est super dominum suum: discipulus non est super Magistrum, sed vterque contenti esse debent, vt sint similes inter se. Lucæ cap. 6.

### OBIECTIO.

*Esto, filij adoptiui hic in terra non fiant per omnia similes æterno, naturali & essentiali filio Dei, in diuina essentia & natura, tamen finaliter fient.*

### RESPONSIO.

Neq; hoc possibile est. Oportet enim & in hac &

& in illa perenni vita manere discrimen inter æternum, naturalem & essentialē Dei filium, qui diuinam habet essentiā & naturam ab æterno, & inter nos filios adoptiuos. Non enim efficimur Dii, sicut Christus est Deus.

## SEPTIMVS ERROR.

*Quod essentialis & unigenitus Dei filius sit etiam creatura seu res creata. In libris proxime citatis.*

## CONFUTATIO.

**H**ic error renouat Arianam hæresin, iam pridem in ecclesia damnatam. Nam & Arius docebat, verbum esse creaturam: & quamuis non loquebatur de natura assumpta, tamen hæc erat opinio, quam defendebat, aliam quandam naturam, quæ fuisset ante humanam, è nihilo esse creatam, & eam non esse imaginem æterni patris, natam de diuina ipsius essentiā, neq; similem patri neq; coæternam.

Quod autem verbum non sit creatura, ex i. cap. Iohan. Euangelistæ & epistolæ ad Colossenses manifestum est. Per ipsum enim omnes creaturæ sunt conditæ: & ipse est primogenitus ante omnes creaturas.

Præterea nulla essentiā quæ est Deus, potest esse creatura: & nihil quod est creatura, potest esse Deus.

Insuper si verbum est creatura Dei, per ipsum aliæ res creari non potuerunt.

Augustinus in libro octuaginta trium quæstionum: Hoc omne dicitur creatura, quod pater per filium creauit, qui nulla creatura dici potest, quia per illum omnes creaturæ conditæ sunt.

Ambrosius in primo libro de Trinitate: Facile  
testa



## DE SVENCO.

testari possumus, quòd filius non sit creatura. Dominus enim dicit ad Discipulos suos. Ite & prædicate euangelium omni creaturæ: & cum nunc ipse esset creatura, sibi ipsi mandaret euangelij prædicationem.

Absursum est denicq; Christum filium Dei nominari creaturam, quia creaturæ subiectæ sunt vanitati, ad Rom. 8. Hinc sequeretur & Christum vanitati subiectum esse.

## OCTAVVS ERROR.

*Christus Iesus Dominus & Saluator noster non tantum secundum humanitatem, sed etiam secundum diuinitatem passus est & mortuus. In confessione pagina G & H.*

## CONFUTATIO.

**H**unc errorem. Suencofeltij mediocri prolixitate supra confutauimus in hæresi Stancariana, ubi quædam exempla recensuimus, in quibus videtur, quomodo quid vni naturæ perperam tribuitur, quod est alterius.

Hoc loco tantum adiungemus duo testimonia, alterum Augustini, alterum Ambrosij.

Augustinus in Homelia de Fide. Si quis dixerit & crediderit, filium Dei Deum passum esse, anathema sit.

Ibidem. Si quis dixerit, quòd in passione aliquid doloris senserit filius Dei Deus, & non caro tantum cum anima quam assumpsit, anathema sit.

Ambrosius. Generalis ista est fides, quòd Christus est Dei filius & natus ex virgine, quem quasi Gigantem propheta describit, eò quod biformis geminæque naturæ vnus sit, consors diuinitatis & corporis.

Idem

Idem ergo patiebatur, & non patiebatur, moriebatur  
& non moriebatur, sepeliebatur & non sepeliebatur,  
resurgebat, & non resurgebat, resurgebat secundum  
carnem, quæ mortua erat, non secundum verbum,  
quod semper apud Deum manebat.

## NONVS ERROR.

*Quod omnes sermones & conciones Christi sint essentia Dei, iunò  
filius ipse Dei, in iudicio. pag. A. in fine.*

## CONFVTATIO.

**H**ic error confundit æternum verbum cum exter-  
no & vocali verbo, quod filius pronunciauit &  
docuit.

Neq; tenet Suencofeltius discrimen inter filium  
Dei, qui est æternū verbum, & inter eius doctrinam  
& prædicationem.

Amplius negat æternum verbum fuisse ante vo-  
cale & externum verbum, quod Christus locutus est  
& docuit.

Aduersus hanc impiam opinionem tenendum  
est, quòd æternum verbum, quod est filius Dei, non  
possit esse illud externum & vocale verbum, quod  
docuit Christus, secuturum enim esset, quòd & vocale  
verbum sit Deus: & sic amplius quod pater duos ha-  
beat filios: quod si concederetur, iam non esset perso-  
narum trinitas, sed quaternitas.

Super hæc, vocale verbum Christi multis expo-  
situm est defectibus: vbi enim scribitur, signatur, ex-  
cluditur, fieri potest, vt laceretur, vratur, consumatur,  
computrescat: quarum rerum nihil ad æternum ver-  
bum congruit.

Vocale item verbum Christi, non potest esse  
b pera

## DE SVENCO.

persona, nec igitur ipsa persona est filij Dei. Quam minimè enim vox alicuius ex nobis, eiusdem esse persona potest: ita neq; vox Christi, persona Christi esse potest.

### OBIECTIO.

*Ergo nec æternum uerbum potest esse persona?*

### RESPONSIO.

Hic alia est ratio. De hac parte videnda sunt quæ supra diximus in refutatione secundi articuli Seruentiani, in quo negat æternum uerbum esse personam trinitatis.

Ac necesse est, esse & manere discrimen inter filium Dei personam mediatricam, & inter ipsum medium, quo Deus pater suam voluntatē patefecit.

Neq; congruum est, cum Ioh. cap. 8. 12 & 13. scriptum sit, Christum accepisse sermones suos à patre: quod seipsum à patre acceperit.

Cumq; Christus ipse significet, se à patre suos accepisse sermones: necesse est aliud esse personam accipientem, aliud sermonem ipsum qui accipitur.

Præterea tam inepta est hæc oratio Suencofeltij, ut per eam necessario dicere cogatur, æternum uerbum tum primum cœpisse, cum Christus uocales lingue sonos edidit: & nihil in Christo essentia diuinæ fuisse, anteq; docere incepit, ac si maximè non tunc primum cœperit in Christo essentia diuina, tamen ad auctiam fuisse uerbo uocali, & incrementum accepisse, ostendit: imò quoties Christus locutus est, seipsum locutus esse à Suencofeltio existimatur.

At per ipsum uerbum omnia facta sunt, omnia gubernantur atq; conseruantur, sicut probat 1. caput Ioh. & epist. ad Coloss, & ad Ebraeos.

Et

Et sanè inter hoc verbum, & illud vocate verbum Christi, oportet discrimen esse, quod quidem eiusmodi est: Verbum æternum est persona diuinæ essentiæ & naturæ cum patre, per quod omnia sunt condita, & naturæ cum patre, per quod omnia sunt condita, omnia reguntur, & sustentantur. Vocale autem verbum non est persona, neq; habet essentiã Dei patris, neq; condidit omnia: sed externum duntaxat est medium, quo voluntatem suam Deus manifestauit: Et hoc appellatur verbũ Dei, non quòd sit ipse Deus, sed quòd Deus ipsum prolocutus, sit per sanctos prophetas, & postremò per filium, Apostolos, Euangelistas, & alios doctores ecclesiæ hoc etiã tempore loquatur.

Iuxta hunc errorem Suencofeltij, vbicunq; in scriptura occurrit vocabulum verbi, intelligit filium Dei: quæ res multis alijs erroribus manum porrigit.

Lucæ 10. dicitur Maria sedisse ad pedes Iesu, & auscultasse eius sermonem. Quòd si non esset discrimen inter Iesum filium Dei, & verbum eius vocale, satis fuisset dici ab Euangelista, eam auscultasse Christo.

Item scriptura est verbum patris, filij & spiritus sancti. Est enim opus totius trinitatis. Si ergo filius Dei simul esset verbum vocale, sequeretur & patrem & spiritum sanctum illud esse.

Porrò experientia vniuersalis docet, differre inter se res & personas, à quibus causæ siue res ipsæ dicuntur & geruntur.

Deinde si sermo Christi naturalis illius filij, simul est eius persona, necesse est & discipulos Christi naturales esse DE I filios: suum enim verbum &

## DE SVENCO.

illorum verbum vocat. Iohan. 17. Non tantùm rogo pro his, sed etiam pro ijs, qui in me credituri sunt per verbum ipsorum.

### OBIECTIO.

*Nonnunquàm tamen fit, ut ponatur persona pro rebus, ut cum dicit Christus. Qui nos audit, me audit.*

### RESPONSIO.

Fatemur fieri: sed hoc non potest inferri, quòd persona & res sint idem. Est igitur aliud quiddam persona loquens, aliud ipsa locutio seu sermo.

### OBIECTIO.

*Verbum Christi manet in æternum, & nunquàm præterit. Esa. 40. cap. & Matth. 24. Potest ergo esse ipse filius Dei: quia est æternum, sicut & filius est æternus.*

### RESPONSIO.

Verbum Christi durat in æternum, respectu contrarij, videlicet traditionum humanarum, quæ facili momento vertuntur. Cum enim auditur sonus verbi Dei, & spiritus Domini per euangelium eas afflare incipit: tum dissipantur & sparguntur, sicut quisquiliæ & stipulæ, & eò respexit Esaias. Deinde verbum Christi iterum durat in æternum, respectu inclusarum promissionum, quæ sunt certissimæ. Cæterum aliquando desinet verbum & ministerium externum, nempe in nouissimo die, cum Christus regnum tradet patri, sicut in epist. ad Cor. 1. cap. 15. scriptum est.

Superest vt hoc moneamus, Suencofeltium, quæ natura est falsorum doctorum, sibi ipsi non constare: docet enim in hunc errorem contraria, in confutatione sua, dist. 5. Ita malum semper destructiuum est sui ipsius.

DECI.

*Humanitas Christi, post resurrectionem uersa est in diuinitatem, seu in essentiam Dei suscepta. in confessione. Et in lib. de uerbo, parte 3.*

CONFUTATIO.

**P**ropemodum hic eadem uia incedens delirat cum Serueto, & occultat alias insignes hæreses, uidelicet quòd Christus demum post resurrectionem factus sit Deus, nec antea fuerit ab æterno.

Et huius erroris illi patrocinium quærunt, ex i. ad Rom. cap. ubi dicit Apost: Quod euangelium Deus prænuñciauit per suos prophetas in scripturis sanctis, de filio suo, qui natus est ex semine Dauidis secundum carnem, qui declaratus est filius Dei cum potentia, secundum spiritum sanctificantem, ex eo quod resurrexit à mortuis, Iesus Christus Dominus noster.

Hoc dictum perperam intelligunt Seruetus & Suencofeltius, ac si Christus post resurrectionem tantum factus sit omnipotens Dei filius, qui antea ab æterno non fuerit. Sed falsa est hæc interpretatio. Hoc enim loco non dicitur post resurrectionem demum factus esse Deus, sed post resurrectionem declaratus, & clarissima luce manifestatus, quod semper & ab æterno fuerit omnipotens filius Dei. Contra hunc duorum sophistarum errorem prolixè disputauimus supra in refutatione 1. & secundi erroris Seruetiani.

Sed aduersus hunc errorem quem Suencofeltius nominatim hoc loco exprimit, testantur sequentia scripturæ scripta: Iohannis uicesimo, Christus monstrat Thomæ manus suas, & latus suum palpari finit post resurrectionem, ut testetur, etiam tum se uerum esse hominem.

## DE SVENC Oꝝ

Ibidem cap. 21. Discipuli viderunt Christum post resurrectionem suam, locuti sunt cum eo, & ipse inuicem cum illis: quæ omnia testabantur, quod tunc etiam verus esset homo. Lucæ 24. cum Christus accedit ad discipulos, illi tanq̃ attoniti refugiunt eum, ac videntur sibi spectrum videre. Respondet ergo Christus. Quid ita estis attoniti? Videte manus meas, & pedes meos, nam ipse ego sum. Tangite me & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me habere videtis.

Actiorum cap. 1. Christus per integros quadraginta dies post resurrectionem conspicendum se præbuit discipulis, & postea, sicut ibidem dicit historia, visibiliter in conspectu discipulorū in cælū assumptus est. Porro sicut assumptus est ad cælum, ita sedet ad dexteram patris, & ita redibit ad externū iudicium.

### OBIECTIO.

*Nonne Paulus ad Philipp. cap. 3. dicit, Christum iam habere corpus glorificatum, hoc est, non amplius corporeum?*

### RESPONSIO.

Corpus habere glorificatum apud Paulum in eo loco non significat incorporeum esse, sed tali vestitum esse corpore, quod amplius nullis sit obnoxium accidentibus & defectibus naturalibus, vt sunt febres, sitis, æstus, frigora.

Augustinus de agone Christiano capite 24. Si enim tale non fuisset corpus, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis: *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Item de præsentia Dei ad Dardanum, cap. 11. *No-  
li itaq̃ dubitare, ibi nunc esse hominem Iesum Christi-  
stum,*

rum, unde venturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde quàm inde venturus est, ad viuos mortuosque iudicandos.

Item ad Consentium, epistola 146. Ego proinde Domini corpus in cœlo esse credo, vt erat quando ascendit in cœlum. Dixerat autem discipulis, vt in euangelio legimus, de resurrectione sua dubitantibus, & illud quod videbant corpus, spiritum esse putantibus: Videte manus meas.

Porro humanitas in diuinitatē verti non potest: alia est enim essentia humanitatis, alia diuinitatis.

Atque hic error Suencofeltij doctrinam de duabus Christi naturis tollit, ac vult Christum nunc sedentem ad dexteram patris, vnus tantum esse naturæ, nempe diuinæ, nec sedere ibi verum Deum & hominem. Hisce fallis speculationibus satis responsum est supra in refutatione Stancari, qui & ipse in eodem luto hæsitans duas naturas in Christo diuellere conatur.

### VNDECIMVS ERROR.

*Humanitas Christi est de natura, substantia, & essentia Dei sumta. Et est nunc post resurrectionem, iterum uersa indiuitatem. Item, quod humanitas Christi nunquam fuerit creatura, & quod ex Adamo & Eva non habeat suam originem. Item, quod Christus secundum humanitatem suam non per omnia sit nobis similis, excepto peccato.*

### CONFUTATIO.

**N**ihil dicere facilius, ô Suencofelti, quàm Christum de natura & substantia diuina humanitatem suam sumsisse: sed impossibile est, hanc sententiam ex scripturis probare: quia humanitatis alia est



## DE SVENCO.

est natura & substantia quàm diuinitatis. Imò Deus est spiritus, & vocatur ideo spiritus, quia non est homo, neq; habet corpus, id est, carnem & sanguinem, Iohan. 4. & 20. Si ergo Deus non est homo secundum suam naturam & substantiam, quomodo Christus potuit suam ab eo assumere humanitatem: ab hominibus autem, qui verè habent naturam ac substantiam hominum, humanitas assumi potest.

Ac si Christus humanitatem suam à Deo patre assumere debuisset, frustra fuissent omnes promissiones de semine mulieris, Abrahæ, Davidis: sed potuisset Deus creare Christum hominem, sine natiuitate ex Maria, nec fuisset opus partu virgineo.

Scribit autem Iohan. cap. 1. Et verbum caro factum est, hoc est, assumpsit humanam naturam. Neque villo modo dicit, Verbum assumpsisse humanitatem suam de natura & substantia Dei.

Præter hæc, æternum Verbum antea ab æterno fuit de natura & substantia patris. Si ergo hoc Verbum, quod gestat humanam naturam, secundum illam humanam naturam eiusdem esset naturæ & substantiæ cum Deo, assumpsisset hoc quod habebat antea. Porro quod habuit antea, quomodo id assumere potuit?

Item ex opinione Suencofeltij necesse est naturam & substantiam Dei in humanitatem Christi transiisse: quæ opinio manifestè pugnat cum vero intellectu verborum Iohannis: Et Verbum caro factum est.

Et ad Philip. 2. dicit Paulus Verbum quod erat Deus formam serui assumpsisse: non dicit diuinitatem eius in humanam naturam esse transmutatam.

Chrysosto.

Chrysoſtomus. Hæc impia opinio eſt, dicere, Verbum vertit ſubſtantiam ſuam in carnem.

Auguſtinus lib. 15. de Trinit. Et ſicut verbum noſtrum fit vox, neque mutatur in vocem: ita verbum Dei caro quidem factum eſt, ſed abſit vt mutaretur in carnem, aſſumendo quidem illam, non in illam ſe conſumendo.

Concilium Ephelinum hoc concluſit, quòd Verbum ſine corpore ſit ſermo incorporeus.

Si ergo humanitas Chriſti eſt de natura & ſubſtantia Dei: neceſſe eſt & verbum ſeu filium Dei ſecundum diuinitatem ſuam non eſſe ſpiritum, ſed corpus & ſubſtantiam corpoream.

Quid multis? Neque humanum eſt neque corporeum, quicquid habet naturam & ſubſtantiam diuinam. Sed illud fieri poteſt, vt hoc quod habet naturam & ſubſtantiam Dei, corpus humanum aſſumat. Et tali conditione verbum caro factum eſt, id eſt, hominis naturam aſſumſit. Ac Moſes dicit Numer. 23. Non eſt Deus, vt filius hominis, fallax & mutabilis.

Auguſtinus de ſpeculo cap. 2. Deus eſt incomprehenſibilis ſpiritus, ſine corpore.

Item in Pſalmo 85. Quicquid eſt homo & animal, non eſt Deus.

Item ad Dardanum, de præſ. Dei, cap. 8. Deus non eſt res corporea.

Item lib. 15. de trinitate cap. 4. Deus non eſt corpus, ſed omnipotens ſpiritus.

Præter hæc omnia, ſi humanitas Chriſti eſt de natura & ſubſtantia Dei, tantum ergo diuinam habet & non humanam naturam: & ſic erit Chriſtus Deus

DE SVENCO.

secundum diuinam naturam, & iterum Deus secundum humanam.

Si etiam humanitas Christi post resurrectionem rursus in diuinam naturam transmutata est, sequitur hinc, ipsam humanitatem, etsi de natura & substantia diuina fuerat, tamen tempore passionis esse deesse: quod quidem manifestè impium & falsum est. Nam diuinitas non desinit esse.

Sed commentum illud de metamorphósi humane nature in diuinam post resurrectionem, iam ante refutauimus in decimo errore.

Quòd humana natura Christi non fuerit unquam creatura, perpetuum est figmentum Suencofelii. In quantum enim natus ex Maria secundum suam humanitatem, iníitium habet quare rectè potest appellari creatura.

Ambrosius lib. I. de Trin. Etsi ergo Christus secundum hominem dicitur creatura, non tamen simpliciter prædicandus est creatura. Nec ex eo quòd Christus secundum hominem dicitur esse creatura.

Inde non licet dicere: Verbum est creatura. **Christus iste eine Creatur.** Christus cœpit, Christus factus est.

Quòd humanitas Christi ex Adamo & Eua originem habeat, manifestum est ex dicto Genes. cap. 3. Semen mulieris conteret caput serpentis. Similiter Christus propter humanitatem suam, quam postea ex Adamo & Eua eorumq; posteris assumpturus erat, vocatur semen & filius Abrahamæ & Dauidis: item & filius Mariæ.

Augustinus de fide ad Petrum: Verbum de patre genitum est, Sed de muliere Verbum caro factum est. Ideo vnicus

unicus filius Dei pro mundo, & in mundo natus est. Et utraq; natiuitas est unius filij, diuina & humana.

Item alibi: Deus potuisset aliunde hominem assumere, quàm de genere Adæ. Sed melius iudicauit, hominem assumere, de genere, quod uictum erat, per quem inimicum hominis uinceret.

Porrò quemadmodum Christus secundum humanam naturam nobis similis factus sit: de hoc confundenda sunt, quæ supra in refutatione septimi erroris Seruetiani docuimus.

### ERROR XII.

*Quòd mors Christi, & omnia facta ipsius, una cum passione & meritis, quæ in hac uita perfecit, omnia uersa sint in diuinitatem, uel suscepta & transmutata in sanctam trinitatem. In lib. de uerbo, pa. 13. & 136.*

### CONFUTATIO.

Suencofeltius delectatur fingendis multis Dijs. Ita & hîc magnum Deorum numerum nobis parat. Et quis dubitat, quin hoc modo etiam asellus, qui gestauit Christum, factus sit Deus?

Sed ô miseros Deos, qui mendacijs astruuntur? Bone Deus, quomodo congruunt humana illa & transitoria, quæ post glorificationem Christi deserunt, cum diuinitate? uel quomodo fieri potest Deus, quod non fuit ab æterno? Quid porrò passio Christi, mors, actiones, usus cibi potus agunt in essentia trinitatis? an uerò & Deus patitur, moritur, comedit, bibit? Aut an hæc corporalia possunt induere diuinitatem?

Verùm ut ad pauca redeamus, hic error Suencofeltii inde nascitur, quòd non distinguit inter opera Christi, quæ iam deserunt, et inter cætera illa, quibus etiam nunc ad dexteram patris fungitur. Deinde quòd glorificatum corpus Christi, de quo Paulus ad

## DE SVENCO.

Philip. 2. scribit, de corpore transmutato in diuinam naturam intelligit, quod corpus nunc factum sit Deus. Et amplius, quod diuellit duas in Christo naturas, secundum quas sedet ad dexteram patris, verus Deus & homo. Sed horribile est auditu, sic ludere Suencofeltium in re maxima, quippe quæ ad honorem diuinitatis pertinet.

### ERROR XIII.

*Doctrina de communicatione idiomatum, de formis loquendi, quomodo natura Christo sint unitæ, est falsa & damnata. In lib. de uerbo Dei pagina 136.*

### CONFUTATIO.

Nisi haberemus doctrinam de communicatione idiomatum in vnione duarum naturarum, multi existerent tetri & horrendi errores. Ex vno Christo alicubi fingerentur duo, ex trinitate fieret quaternitas: vel tribueretur Christo vna natura, cum habeat duas: vel vni naturæ assignaretur, quod est alterius proprium: vel duæ in Christo naturæ confunderentur: vel vni tribueretur quod est vtriusque: vel vtrique quod vnius. De quo videat lector, quæ supra de duabus naturis contra Stancarum docuimus.

Prodit etiam hoc loco Suencofeltius, quid de duabus in Christo naturis sentiat, & quantum in hac doctrina intelligat.

### ERROR XIII.

*Humanitatem Christi etiam in patribus veteris testamenti habuisse. In lib. de uerbo pagina 129.*

### CONFUTATIO.

Hic error affirmat humanitatem Christi etiam fuisse ante natiuitatem, quod quidem abhorrent pie aures

ares. Verum est autem, Christum secundum humanitatem suam ex patribus & eorum semine natum esse. Si hoc vult Suencofeltius, transeat: sed poterat tamen dilucidius eam sententiam proferre, ne hominibus præheret causam ad suspicandum aliquid mali.

Verum hic hæreticus ita incaute loquitur, ut in errorem ipse incidat, quia prius dixit, humanitatem Christi essentiam habere diuinam: quod si verum sit, necesse est humanam naturam fuisse ante natiuitatem Christi.

## ERROR XV.

*Quod Christus in hac vita duplicem doctrinam seu duplex uerbum tradiderit, sicut duplicem habet naturam, uerbum humanum, iuxta naturam humanam, & uerbum diuinum iuxta naturam diuinam. In lib. quem Valde nominat pag. 91. Et in lib. de Verbo pag. 99. 100. 101.*

## CONFUTATIO.

Rursum confitetur Suencofeltius duas in Christo naturas, quas ante aliquoties negauit: etsi autem confitetur eas ore, tamen ipsa sententia eas mox dirumpit, cum affirmat quamlibet naturam habere suam quandam doctrinam.

Aduersus hanc imaginationem sciendum est, etsi duæ sunt in Christo naturæ, vnã tamen esse personam, quæ persona habet vnum uerbum, & eandem ac perpetuam doctrinam, quam nobis tradidit.

Quia verò Suencofeltius non discernit, quæ nam doctrina sit diuinitatis, quæ humanitatis: in dubium vocat totum euangelium, & conatur incertam reddere doctrinam: & quod inde sequitur, sic etiam salus nostra sit incerta. Petrus verò i. epist. i. ita planè certam facit doctrinam euangelicam, ut ausit eam per spiritum sanctum de cælo prolatam dicere, quapropter non esse vocem humanam manifestum est. Nos

## DE SVENCO.

Nos autem statuere & confiteri debemus euangelium esse diuinam Christi doctrinam, quæ certos nos facit de salute nostra.

Plura de hac re supra monuimus in refutatione tertij erroris, cum ostenderemus scripturam verè esse verbum Dei. Si est verbum Dei, non potest esse verbum hominis.

### ERROR. XVI.

*Nihil externum & uisibile, aliquid internum, nihil temporale, aliquid aeternum causari potest. In lib. de uerbo Dei.*

### CONFUTATIO.

**H**Oc errore tollit Suencofeltius omnia externa & uisibilia media, quæ Deus ad salutem nostram destinauit, passionem ac mortem Christi non uult esse media nostræ salutis, neque item uerbum uocale, neque sacramenta.

Repugnant autem huic fanatico errori hæc & similia dicta. Esaiæ cap. 53. Cum dederit vitam suam pro oblatione peccati, uidebit semen, & prolongabit dies suos: & notitia sui seruus meus iustus, iustificabit multos. Ad Rom. 3. Quem Deus proposuit propitiatorium per fidem in sanguine eius: Et postea cap. 4. Qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram. Et capite 5. Commendat Deus erga nos suam caritatem, quod Christus pro nobis traditus est cum adhuc peccatores essemus, multo ergo magis, per ipsum seruabimur ab ira, postquam iustificati sumus, per sanguinem eius: & ibidem reconciliationem dicit esse opus passionis ac mortis Christi. Et rursum ibi iustificatio uitæ recensetur pro fructu obedientiæ, atque adeo passionis ac mortis Christi. Priore Petri 1. Scitote, uos non coram

ruptibili argento vel auro redemptos esse à vana conuersatione vestra, quam ex patrum traditionibus accepistis, sed precioso sanguine, vtpote agni immaculati & incontaminati Christi. Ad Ebraeos 9. Christus semel oblatus est, vt multorum peccata tolleret. Et cap. 10. Vna oblatione consummauit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Marci 16. Christus iubet prædicare euangelium, & baptizare homines ad salutem. Ad Rom. 10. Paulus signatè scribit, per auscultationem verbi diuini ad salutem perueniri. Act. 2. Petrus vult baptisari homines in remissionem peccatorum. Ac si id ita esset, vt ait Suencofeltius, Christus secundum humanitatè suam in qua potuit conspici & tangi, nihil internum ac perpetuum efficere potuisset.

Et vt breuissimè dicamus, omnia externa media ad salutem pertinentia, frustra essent instituta: & proinde iuxta hanc opinionem Deus sine passione filij salutem nobis donasset.

## ERROR XVII.

*Christum nullam externam doctrinam apostolis prædicandam tradidisse, sed suam tantum æternam essentiam. In lib. de sacra scriptura pag. 27. 28. 29. Deum non agere nobiscum per scripturam. de Verbo pag. 24. Deum non esse alligatum suo uerbo. In præfatione Iudicij.*

## CONFUTATIO.

Quòd Christus apostolis externam vocem doctrinæ prædicandam tradiderit, ex sequentibus diuinitatis manifestum est. Mat. 10. Euntes prædicare & dicite, prope est regnum cælorum. Porro doctrina quæ nunc prædicatur, non potest esse æterna essentia Christi, quæ neque doceri, neque proferri potest. Mat. 28. Ite, in vigesimo octauo capite: Docete omnes gentes.

Quid



DE SVENCO.

Quid autem? Externum & vocale verbum euangelij. Marci 16. Prædicate euangelium omnibus creaturis. Quod autem prædicatur, id est externum, vocale & auditu perceptibile. Eodem modo scilicet per verbum externum & vocale, in nomine Christi oportet prædicari poenitentiam, & remissionem peccatorum. Lucæ 24. Et de eodem externo & vocali sermone loquitur Paulus in priore ad Cor. cap. 1. Et Iohannes Apostolus 1. epist. 1. Quæ vidimus & audiuius, nunciamus vobis. Quid est autem hoc quod videtur & auditur, nisi externum?

Aeterna Christi essentia non conspicitur neque auditur; ergo prædicari non potest, imò magis vult apprehendi fide, quàm peruestigari. Et licet peruestigare eam quis velit, tamen propter sublimitatem non potest. Quod autem peruestigari nequit, id ignoratur: quod ignoratur, quomodo potest prædicari?

Augustinus ad Circenses, epistola 130. scribit, Deum monere nos per externa signa rerum.

Item tract. 36. super Iohan. docet nos prædicatores extrinsecus prædicare & docere, quemadmodum aliquis extrinsecus arborem curat, & sicut extrinsecus plantamus & rigamus. Et hoc docere & prædicare, quod fit extrinsecus, discernit à docendo & prædicando, quod intus fit per spiritum sanctum, & sic per Deum qui dat incrementum.

Porrò si Christus discipulis non mandauit externi verbi prædicationem, non possunt esse externi testes Christi, Iohan. 15.

Item nulla est differentia inter concionatores, & spiritum sanctum, & inter vtriusque testimonium. Et

Et certè satis manifestum est, quid prædicauerint discipuli, ex actis apostolorum. Et quemadmodum tunc discipuli vocale verbum sonuerunt, ita auditores eorum illud audiuerunt, & per gratiam Dei crediderunt.

Aeterna essentia filij est imperuestigabilis, sicut in vniuersum tota diuinitas. Siquid scimus de ea, non nisi ex scripto verbo Dei scimus, quod quidem vtpote externum, loqui & prædicare possumus. Cæcus Ierichuntinus apprehendit Christum filium Dauidis, videlicet qui sit factus filius Dauidis, vt conspici, audiri, & contrectari manibus, & ab eo verbum Dei foris doceri posset. Quod autem Christus ipse docuit, id docendum apostolis reliquit. Docuit autem externum verbum & vocale, & quod audiri potuit.

Sicut pater misit filium, ita Christus mittit discipulos suos. Ioh. 20. hoc est, vt idem doceant quod docuit ipse.

Paulus in priore ad Corinth. cap. 11. se à Domino accepisse dicit, quod tradiderit Corinthijs.

Tertullianus in lib. de præscriptionibus hæreticorum. Habemus nunc Apostolos antecessores nostros, qui nec ipsi, id quod fecerunt, ex suo arbitrio elegerunt; sed doctrinam à Christo acceptam, hominibus fideliter proposuerunt.

Ecce autem candide lector, quid molitur diabolus: Conatur nos abducere ab externa voce doctrinæ & deducere ad æternam Christi essentiam, quæ inscrutabilis est, & incomprehensibilis: in quo si acquiescamus illi, actum erit de salute nostra, & omnis consolationis erimus expertes.

d Si

Si autem & hoc verum est, Deum non agere nobiscum per sacram scripturam, fatemur sanè ignorare nos, quæ sit eius utilitas. Nonne per scripturam aperit nobis voluntatem suam? Christus remittit nos ad Mosen & prophetas, & iubet nos scrutari, ac diligenter excutere scripturas. Per euangelium spiritus sanctus arguit mundum de incredulitate, & iniustitia, & iudicio Iohan. 16. Nec absq; prædicatione euangelij sciremus, quid verè sit iniustitia & impietas, ad Romanos 1. Tum etiã scriptura utilis est ad patientiam, consolationem & spem, ad Rom. 15. Atq; erudire nos potest ad salutem, estq; utilis ad docendum, arguendum, & corrigendum in ipsa iustitia, sicut scribit Paulus ad Timoth. Et hæc omnia frustra essent, nisi Deus per scripturam nobiscum ageret. Nullius ergo momenti sunt tam magnæ utilitates.

Falsum & hoc est, quòd Deus non sit alligatus suo verbo. Is enim est æterna veritas, & quicquid pollicetur, id certissimè ipsa re comprobatur: nam cælum prius terræ miscebitur, quàm verbum Dei nos fallat, Matth. 24. Et vt maximè à nobis accusetur Deus mendacij, tamen manet verax, & vincit cum iudicatur, Psal. 51. Inter homines honestum est & bonum, seruire quæ quis promissit, quanto magis apud Deum.

Hoc quidem verum est, cum Deus sit omnipotens, non ita strictè est alligatus externo verbo, vt sine eo nihil efficere queat. Sed quòd non sit ita alligatus, vt seruet quæ promissit, id falsum est.

#### ERROR XVIII.

*Scriptura est humana vox, sonitus, strepitus, & mortua litera. In lib. de sacra scriptura. Item, humanum uerbum. In initio de Euangelio.*

#### CONFUTATIO.

Hunc errorem quantum opus fuit, refellimus fa

pra, in refutatione tertij.

### ERROR XIX.

Conscripta do. Trin. a san. & i. Euangelij, est humanum euangelium. Item quòd scriptura sit incerta & flexibilis doctrina, quæ patitur se in varios sensus trahi. In lib. de Euangelio, pag. 17. & 33.

Item quòd fides nostra non oriatur ex auditu diuini uerbi, nec eti- am per illud confirmetur & conseruetur. Item quòd nostra fides non de- beat se regere iuxta sacram scripturam: sed scriptura sacra regatur se- cundum fidem nostram. De sacra scriptura pag. 12.

### CONFUTATIO.

Euangelium non est scriptura humana, licet sit ab hominibus collecta. Christus enim dicit suum ver- bum esse uerbum patris, qui miserat eum. Porro uer- bum Christi est Euangelium. Item ad Rom. i. Paulus uocat euangelium uirtutem Dei. Quomodo ergo po- test esse humanum inuentum? Petrus i. cap. i. scribit euangelium prolatum esse de cælo per spiritum san- ctum. Et ad Ephes. 3. dicit Apostolus, Euangelium apostolis & prophetis per spiritum sanctum reuela- tum esse. Et amplius dicit ad Gal. i. se esse doctorem euangelij, à Deo & non ab hominibus uocatum. De hoc uide supra refutationem tertij erroris.

Origenes super præfationē euangelij Lucae facit discrimen inter scriptores euangelicos, ac dicit mul- tos quidem euangelia scribere conatos, sed alios id sine gratia spiritus sancti suscepisse: alios per grati- am spiritus sancti. Idem super Matth. tract. 35. signifi- cat Euangelistas qui ex vno spiritu scripserint, ne- quaquam sibi esse contrarios, ut ostendat, quòd euan- gelia non sint dogmata seu decreta hominum, quæ sæpenumerò inter se collidunt.

Augustinus ad Hieronymum, Epistola 19. Ego fateor charitati tuæ, solis iis scripturarum libris,

DE SVENCO.

qui iam canonici appellantur, didici hunc honorem & timorem deferre, vt nullum eorum autorum scribendo aliquid errasse, firmissimè credam. Ac si in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non affectum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam.

Idem lib.ii. contra Faustum Manichæum, cap.5. excusat scriptores sacræ scripturæ, quòd nihil inepti, nihilq; falsi scripserint, sed solam veritatem.

Si ergo euangelium est humana doctrina, necesse est vt per mixtos habeat errores. Homines enim facile prolabantur in errores.

Quòd autem profitetur Suencofeltius, sacras literas esse incertam & flexibilem doctrinam, id manifestissimum est mendacium. Quid enim est, si non doctrina patris cœlestis certa & constans est, qui ipse neq; mutabilis est, neq; inconstans? Iohan.14. Sermo nes quos ego loquor vobis, non sunt mei, sed patris mei qui misit me. Ioh.8. Christus dicit, se à patre accepisse suam doctrinam. Quì ergo incerta & inconstans esse arguetur? Petrus in priore epist. cap.1. dicit Euangelium de cœlo prolatum esse per spiritum sanctum. Nullo igitur modo hæc doctrina versibilis aut inconstans esse potest. Idem in 2. epistola cap.1. scripturam vocat verbum stabile seu firmum, & addit scriptores huius verbi spiritu sancto agitados ad scribendum fuisse. Quod autem a spiritu sancto prouenit, quomodo potest esse varium & anceps? Idem Paulus testatur, priore ad Timoth. 1. in dicto: Certus est sermo, & omni approbatione dignus.

Ireneus lib. 2, cap. 56. Scripturis diuinis niti, quæ certa & indubitata est veritas, firma & valida petra est domum suam super illam ædificare: hac verò de relicta, alijs niti quibuscuncq; doctrinis, est in effusam arenam, vnde facilis est eversio, ad ruinam struere.

Hieronymus super epistolam ad Galatas cap. 5. Nemini credendum est sine verbo Dei: quoniam hæc sola doctrina spiritus sancti est, quæ in libris Canonicis comprehensa est, contra quos vbi concilia aliquid statuerint, iudico illud iniustum esse.

Augustinus ad Vincentium Donatistam epist. 48. Noli frater, contra diuinam tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia, colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum siue Hilarij.

Et magna est inscitia in Suencofeltio, cum audet dicere, quod scriptura in alios atq; alios sensus retorqueri se patiatur. Minime id enim in scriptura est. Quod autem magna est petulantia ingeniorum in ijs, qui interpretantur scripturam, quam quidem sæpe attemperant suis cupiditatibus, num hoc scripturæ imputari debet? Nunquid absurdum est sic argumentari? Scriptura ab aliquibus distortis vel superbis ingenijs falso accommodatur ad alienum sensum: ergo scriptura est incerta & flexiloqua. Imò sic erat asserendum. Scriptura perpetuo est certa & vera, sed interpretes eius hallucinantur & errant sæpe numero.

Quid ergo ad scripturam, quod aliqui extant eius interpretes stupidi & deliri, & ita malè Deo conciliati, vt scripturæ sensum corrumpant & deprauent? Tandem tamen scriptura certa & indubitata manet.

DE SVENCO.

Augustinus in libro de Genesi ad litteram cap. 8. acerbissimè arguit interpretes scripturæ, qui pro sua interpretatione pugnant, & hanc pro vero intellectu scripturæ obtrudunt, cum merito sensum scripturæ præ suo amplecti deberent.

Ad Hieronymum epist. 19. Alias autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinæque præpolleant, non ideo verum esse putem, quòd ipsi ita senserunt, sed quia mihi per illos autores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorrent, persuadere potuerunt.

Ad Vincentium Donatistam, epist. 48. Hoc genus literarum, ab autoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur vt contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerint, quam veritas postulat.

Ad Vincentium Victorem libro 2. Negare nec possum, nec debeo, quemamodum in meorum antecessorum libris, sic etiam in meis multa insunt, quæ iusto iudicio sine temeritate carpi possunt.

Ex his omnibus constat, interpretes scripturæ errare, incertaque docere, & mutare sententiam posse. Scripturam autem per se esse certissimam.

Similiter & hoc falsum est, fidem ex auscultatione verbi non oriri, nec etiam confirmari ac retineri. Paulus enim disertè dicit ad Rom. 10. fidem esse ex auditu, auditum verò ex verbo Dei. Et propter hanc ipsam causam in eadem epistola verbum vocat Apostolus verbum fidei. Ioh. 16. Non autem pro his rogo tantum, sed etiam pro ijs, qui credituri sunt per verbum eorum. Ioh. 14. Christus præcipit Philippo, vt credat huic verbo, quòd ipse sit in patre, & pater in ipso. Et

Et Marci. Christus vult, vt suo euangelio credatur.

QVAESTIO.

Quomodo fides oritur ex uerbo Dei?

RESPONSIO.

Sic, vt verbum Dei sit medium illud, quo spiritus sanctus fidem in nobis operatur: quemadmodum etiam visibilia sacramenta sunt externa media, per quae spiritus sanctus exuscitat & operatur fidem in nobis. Vnde & Augustinus dixit, sacramentum esse verbum visibile, significans videlicet, sicut spiritus sanctus per verbum vocale fidem in nobis operatur, ita dem eandem operari per visibilia sacramenta.

Veruntamen etiam sine externis mediis spiritus sanctus fidem donare pro sua omnipotentia potest.

August. lib. 19. de ciuitate Dei cap. 18. Credit etiam scripturis sanctis, & veteribus & nouis, quas canonicas appellamus, vnde fides ipsa concepta est, ex qua iustus viuit.

Super Psalms. De quo verbo Christi scriptum est: Fides ex auditu est, auditus per verbum Christi.

De ciuitate Dei lib. 13. capite 2. Etsi fides in nobis oriatur ex auditu, tamen non pertinet ad sensum corporis, qui auditus appellatur.

Ibidem. Verissimè dicimus, quod fides ex doctrina in corda imprimatur.

Si ergo fides est ex auditu verbi Dei, sequitur amplius per hoc verbum fidem corroborari & retineri. Vtiq; enim rectè dicitur: causa retinet effectum. Nunc vt progrediamur ultra, pessimè dictū est à Suenofeltio, quod scriptura iuxta nostram fidem dirigen- da sit. Imò effectus dirigi debet iuxta suam causam.

Ac



## DE SVENCO.

Ac si obtemperare Suencofeltio necesse esset, scriptura horribilem lacerationem & ingens interpretatio-  
num chaos sustineret. Multorum enim hominum fi-  
des perturbatissimis opinionibus implexa est, quod  
& ipse Suencofeltius suo exemplo huius dogmatis  
magister, perspicue demonstrat. Non enim dubita-  
mus, quin ipse quid credat incertus sit: quo fit, vt mi-  
serissime vim faciat scripturae, eamque sua sophistica pes-  
simè dilaceret. Et vt ad rem redeamus, fides se-  
cundum scripturam, non scriptura secundum fidem  
regi debet, ne videlicet illa propter humanorum in-  
geniorum in credendo varietatem, in suspicionem  
& dubitationem trahatur.

Christus cum vult Marci i. vt credamus euangelio  
simul vult, vt fides nostra ad normam euangelii diri-  
gatur.

Et Iohan. 5. iubet exquirere scripturas, quas de se  
testari confirmat. Postea Luc. 16. remittit nos ad Mo-  
sen & prophetas, vt ostendat velle se, vt fides ad nor-  
mam scripturae accommodetur.

Petrus in priore epist. iubet nos attendere scrip-  
turae ad doctrinam, ut videlicet scriptura sit norma  
secundum quam dirigere nostram fidem debemus.

Paulus praecipit Timotheo, vt attendat lectioni  
scripturae, significans, quod scripturam sequi debeat.

Augustinus lib. 15. de doctrina Christiana cap. 10.  
O veritas lumen cordis. Non loquentur mihi tene-  
brae meae.

Contra Faustum lib. 22. cap. 17. Cedendum est di-  
uinis mandatis cum obedientia. Non dicit diuina  
mandata nobis vel nostrae fidei cedere debent.

Ad

Ad Cresconium lib. 2. cap. 32. breuissimè decernit episcoporum scripta diuinis testimoniis cedere debere. Et eandem sententiam tuetur aduersus Maximum Arianorum episcopum lib. 3. cap. 14.

In conciliis pontificum vsitatum fuit, vt scriptura fidei pontificum cederet: sed non fuerat hoc probandum.

Panormitanus super canonem Significasti, de electione: Magis credendum est simplici laico, qui scripturam allegat, quam toti concilio.

Gerson: Præeminenti in sacra scriptura, & qui catholicam autoritatem allegat, & præ se habet, magis credendum est quam vniuersali concilio.

### ERROR XX.

Apostoli non prædicauerunt ex sacra scriptura, sed ex magno libro creationis & creaturarum. Imò Christus ipse mandauit prædicationem Euangelij ex creaturis: ideo prædicatores non ex scriptura, sed ex creaturis pulchras parabolas & similitudines excogitare, & populo proponere debent. In lib. de sacra scriptura cap. 45. & 46.

### CONFUTATIO.

Apostolos ex sacra scriptura non prædicasse falsum est, diuersum enim testantur eorum libri. Passim enim prophetarum testimonia vsurpant pro confirmatione suæ doctrinæ.

Et Christus Mar. 13. mandauit eis prædicationem euangelij, hoc est, illius scripturæ seu doctrinæ, quam ipse antea docuerat & prædicauerat.

Similiter & Christus ipse prophetica testimonia passim allegauit, vt discipuli haberent, quod imitarentur.

Quid autem velit sibi Suencofeltius per librum  
e creatio-

## DE SVENCO

creationis, & ipsarum creaturarum, aduertit potest ex sequentibus verbis cum dicit, fingendas esse pulcras parabolas ex creaturis. Hæc ratio docendi non reprehenditur, cum deducere homines ad naturalem cognitionem Dei volumus, videlicet quod sit Deus, quod creauerit, regat & seruet omnia, puniat scelera, & remuneret benefacta. De hac ratione loquitur Paulus ad Rom. i. Lucas in actis cap. 17. Iob. cap. 12. cum dicit: Et quidem interrogati iumenta, docebunt te.

Sed hæc naturalis cognitio Dei per se & sola nequaquam saluat hominem: fit enim extra agnitionem Christi, sine qua nemo ad salutem peruenire potest. Ac si assentiamur Suencofeltio, & simus contenti illa naturali cognitione Dei, quæ sumitur ex creaturis, nemo nostrum fieret saluus. Vt autem fiamus salui, necesse est & patrem & filium recte agnoscamus: Sed nemo nouit Patrem nisi filius, & cui filius vult reuelare, Matth. vndecimo. Filius autem porro sine euangelio recte agnosci non potest: nisi ergo per euangelium recte agnoscatur filius, nec pater agnosci recte potest. Et hoc euangelium ignorat natura, & multo magis ignorant creaturæ. Ad Ephesios tertio: Quod cum legitis, intelligentiam in mysterio Christi meam aduertere potestis, quod quidem mysterium nulla alia ætate ita notum fuit hominibus vt nunc reuelatum est sanctis apostolis eius, & prophetis per spiritum.

Propterea inutilis & vana est doctrina Sacramentariorum, quod Aristides, Pomponius Atticus & alij

& alij honesti homines inter Ethnicos sine agnitione Christi, per naturæ lucem saluati sint.

Neque vnquam demonstrare Suencofeltius poterit Christum præcepisse, vt euangelium ex creaturis prædicetur. Quòd autem Marci decimo sexto scriptum est: Ite prædicare Euangelium omnibus creaturis, nihil ibi aliud præcipit Christus, quàm vt Apostoli prædicent Euangelium omni creaturæ rationali: hæc enim est doctrinæ, quæ tantum ad homines ratione præditos pertinet.

Et hoc modo Petrus vtitur vocabulo creaturæ in priore epistola capite secundo: Subiecti estote omni creaturæ: quod Lutherus ita interpretatus est: Subiecti estote omni ordinationi humanæ.

Auertat etiam Deus, ne iuxta sententiam Suencofeltij dogmata fingamus, quæ proponantur populo ad suam salutem. Contrarium præcipiunt multa scripturæ dicta: Christus enim prædicauit Euangelium, meritò igitur & nos prædicamus. Et ipse mandauit nobis prædicationem euangelij, ne vnusquisque propriam doctrinam effingat. Lucae vicesimo quarto: Christus generali catalogo complexus est, quid prædicare debeamus, videlicet pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo, non autem mandauit, vt nostras imaginationes, figmenta venusta & fabellas traderemus. Priore Petri capite quarto: Si quis loquitur, loquatur verbum DEI. Et posteriori epistola capite primo, attendere nos iubet verbo prophetico. Ad Gala. primo:

## DE SVENCO.

Maledictus qui aliud euangelium docet, quàm quod accepistis. Item & Christus vult Lucæ 16. vt audiamus Mosen & Prophetas, non humani figmenti elegantias Esaia 8. Ad legem & testimonium dicant: quod nisi fecerint, non erit eis lux matutina. Huc etiam congruunt dicta sanctorum patrum, qui ad scripturam nos deducunt, & sua quoq; scripta diligenter à Canonicis scripturæ sanctæ libris discernunt.

Augustinus libro duodecimo de doctrina Christi, cap. 10. O veritas, lumen cordis. Non loquantur mihi tenebræ meæ.

Ibidem in capite trigesimo nono, remittit omnes ad scripturam, qui salutem quærunt.

Ad Paulinam epist. 12. ligat nos ad scripturam, ita quòd illi soli adhærere debeamus. Reliquorum autem scriptorum libris, potest quis liberè credere, vel non credere.

Ad Vincentium epistola quadragesima octaua, non vult, vt Episcoporum scripta, contra diuinam scripturam allegemus.

In Maximum Arianorum Episcopum libro tertio capite decimo quarto, inuehitur acerrimè, quòd Episcoporum & conciliorum scripta, contra scripturam produceret.

## ERROR XXI.

*Lex est Christus: similiter & euangelium est Christus.*

## CONFUTATIO.

Hic error valde perniciosus est, & causam præbet multis alijs falsis dogmatibus. Prorsus enim tollit discrimen legis & euangelij. Sed refragantur ei sequentes scripturæ loci. Matthæi quinto: Non veni sol-

soluere legem, sed implere: quo dicto offendit Christus legem nunquam impleri sine euangelio. Item sub lege nullam aliam iustitiam acquiri posse, quam iustitiam Phariseorum & scribarum. Euangelium autem afferre meliorem iustitiam, quam illa sit. Ergo lex & euangelium non possunt esse idem. Similiter Lucæ 24. cum Christus in nomine suo iubet prædicari poenitentiam & remissionem peccatorum, certè distinguit inter legem & euangelium. Altera enim pars prædicationis est lex: altera euangelium. Item in epistola ad Romanos fermè nihil aliud agit apostolus, quam ut legem ab euangelio secernat. Sic etiam ad Corinth. posteriore cap. 3. tractatur amplissimum discrimen legis & euangelij. Similiter etiam in tota ad Galatas epistola, & præsertim capite quarto.

### ERROR XXII.

*Tota sacra scriptura habet duplicem intellectum: literalem, qui sumitur ex uerbis seu contextu, & hic nullius momenti est: & spirituales seu mysticum, quem soli spirituales capiunt. In libro cui titulus, Valet pag. 85.*

### CONFUTATIO.

De vero intellectu scripturæ certam habemus regulam ad Rom. 12. Si quis habet prophetiam, respondeat analogiæ fidei. Ut autem prophetia respondeat analogiæ fidei, necesse est, eam congruere cum verbo Dei, ex quo fides oritur: & hoc uerbum certis elementis ac literis inclusum est, ut sit certus textus, cuius verus intellectus, ex proprietate uerborum, seu cuiusque uocabuli notione eruendus est: quod idem, & in alijs profanis scriptis fieri oportet. Nam si unusquisque pro suo arbitratu spirituales intellectus

## DE SVENCO

Scripturis affingere vellet, contra perpetuam sententiam seu vniuersalem eorum consensum; hac ratione verus intellectus retineri non posset, & scriptura traheretur in dubium. Exemplum huius rei conspicitur in Origene, qui totam scripturam transformauit in Allegorias & tropos, neque sine magna veritatis iactura.

### Dicta Scripturae huius loco Seruientia.

Psalmo centesimo sexagesimo nono: Da mihi intellectum secundum verbum tuum. Psalmo nonagesimo tertio: Beatus quem erudieris Domine, & quod docueris de lege tua. Et Petrus posteriore epist. cap. 1. iubet nos obseruare scripturam tanquam lucernam lucem in tenebris, donec oriatur lucifer in cordibus nostris. Psalmo 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Augustinus lib. 1. de trinitate, cap. 1. Scriptura nullius generis rerum verba vitauit, quibus graduatim ad diuina siue sublimia noster intellectus velut nutritus assurgeret.

Super Iohannem tract. 9. Lege propheticos libros omnes, non intellecto Christo, quid insipidum & factuum inuenies. Inde liquet, multum conducere ad verum intellectum scripturae, Christum nouisse.

Ad Honoratum cap. 3. enumerat varias formas exponendi scripturam: historiam, quando fit explicatio per historias; allegoricam, qua figurate & allegorice explicatur scriptura; analogicam, quando nouum & vetus Testamentum inter se conferimus; &

& Etymologicam, quando damus rationem verborum & factorum, & causas inquirimus.

De Christiana doctrina libro secundo capite sexto: Nihil est ita obscurum in scriptura, in vno loco, quod alibi non plenariè explicetur.

Ibidem capite vndecimo docet, quòd cognitio linguarum multum faciat ad verum intellectum scripturæ.

Ibidem lib. 3. cap. 26. & 28. monet, quomodo scripturam scriptura explicare debeamus, obscuriora loca per apertiora.

Chrysoftomus sermone vndecimo, super quintum caput Genesis: Vt scriptura intelligatur, opus habet reuelatione spiritus sancti.

Ibidem sermone vicefimo primo scribit, quomodo scriptura seipsam exponat, nec sinat lectorem errare.

Hieronymus ad Demetriaden vult, vt scripturam diligenter legamus, quòd huius beneficio ad verum illius intellectum pertingamus.

Idem in Esaiam: Qui sacram scripturam non ita intelligit, prout veritas docet, is edit vvas acerbas.

In Psalmum octuagesimum sextum: Dominus locutus est per euangelia sua, non vt pauci, sed vt multi intelligant.

Gregorius libro primo moralium: Scriptura interdum est nobis cibus, interdum potus. Cibus in locis obscuris, vbi quis illa tanquàm proposita vtitur, & veluti masticata deuoratur. Potus vero in locis apertis. Ita enim imbibitur, sicut inuenitur.



*Pœnitentiam seu conuersionem non ex lege, sed ex euangelio docenda esse. In libro de sacra scriptura.*

## CONFUTATIO.

De hac controuersia diximus copiosè, supra in refutatione falsi dogmatis Antinomorum.

## ERROR XXIII.

*Quòd post regenerationem possit homo toto animo legem Dei seruare & implere. In libro de euangelio pag. 75. 76. 77.*

## CONFUTATIO.

Non est dubium, quòd homo regeneratus aliquo modo legem atq; voluntatem Dei seruare possit: quòd autem toto animo & sic perfectè possit, nemo affirmabit. Nam Luca 17. Christus inquit: Cùm omnia feceritis, quæ præcepta sunt uobis, dicite: inutiles serui sumus, quæ debuimus fecimus. Ad Rom. 7. Paulus dudum regeneratus, lamentabiliter queritur, de sua infirmitate, quòd non faciat bonum, quod utiq; facere optet & velit. Item solius Christi est, perfectam legi præstare obedientiam, Matth. 5. Si autem solius Christi est, nostrum non est. Præterea si legem seruamus perfectè, tum acquirimus ex ea iustitiam. Matthæi quinto flagitat Christus talem tanque accuratam legis obseruationem, ut ne apex quidem vel punctulus prætereatur. Sed talem quis habet? In parabola qua describitur Matth. 18. debitum serui, quod exoluedum est domino, manent residua decem millia talentorum. Et ut simul complectamur omnia, communis experientia conuincit nos, quòd secundum legem & voluntatem Dei perfectè nullo modo uere possimus. Nam in hac uita, ut in priore epistola ad

ad Corinth. cap. 13. dicitur, ex parte cognoscimus omnia, sed in altera vita perfecte gerentur omnia.

## OBIECTIO.

*Adhuc ergo damnamur, cum legem Dei non posimus perfecte seruare post regenerationem.*

## RESPONSIO.

Minimè, quia nulla reliqua est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu, hoc est, etsi iustificati & regenerati sunt adhuc imbecilles & infirmi, neque perfecte legem Dei præstare possunt: tamen vult Deus infirmitatem eorum tegere & ferre, si modò in fide Christi perseuerent.

Augustinus lib. 1. Retractionum cap. 19. Omnia præcepta Dei implentur, dum nobis dimittuntur, quæ non fiunt à nobis.

## ERROR XXV.

*Lex postulat tantum figuratam, externam, & umbratam iustitiam. Item, quod perfecta obedientia erga legem, nulla sit iustitia. In lib. de triplici uita, cap. 13. Et in lib. de uerbo Dei, pag. 135.*

## CONFUTATIO.

Hic error sequentibus scripturæ locis destruitur. Exodi 18. Qui fecerit præcepta mea, uiuet in eis. Vita autem habet annexam sibi iustitiam. Deutero. capite 27. Maledictus omnis qui non seruarit omnia, quæ scripta sunt in libro legis. Hoc dictum requirit utique perfectam obedientiam ad veram iustitiam. Matth. 5. etiam Christus de perfecta obedientia ad iustitiam loquitur, cum dicit, ne apicem quidem vel punctulum de lege præteriturum esse, donec impleantur omnia. Requirit item Christus perfectam obedientiam,  
f. cui

DE SVENCO.

cui annexa est iustitia, iuxta parabolam Matthæi 18.  
cum vult dominus, vt vendatur seruus debitor ipse,  
& vxor, & liberi, & omnia quæ habet.

Præterea si lex tantùm externam, figuratam & vmbra-  
tilem iustitiam postularet, quare diceret Moses:  
Diliges dominum Deum tuum toto corde, & tota  
anima tua? Quare item Christus interpretaretur le-  
gem spiritualiter & de externis verbis & factis, & de  
internis cupiditatibus & affectibus, Matthæi quinto?  
Quare Paulus legem diceret spiritualem, ad Rom. 7?  
Atq; hoc pacto, non possemus condemnari à lege.  
Item possemus satisfacere legi. Deinde necesse non  
fuisset impleri legem à Christo. Et Christus minime  
postulasset à Phariseis & scribis maiorem iustitiam  
quàm externam illam Matthæi quinto. Neque con-  
sentaneum est Christum illum perfectum, legem im-  
perfectè impleuisse. Insuper certissimum est Deum  
veram iustitiam integræ legis obedientiæ annexu-  
isse. Ac Paulus ad Romanos quinto, haud dubiè non  
loquitur de mutila quadam vel imperfecta Christi  
obedientia, multò minus de ficta & vmbra-  
tili iustitia. Item ad Romanos octauo expressè dicitur, cum non  
potuissemus perfectè legi satisfacere, Deum misisse  
suum filium, vt iustitia legis impleretur in nobis. De-  
hinc est ne vmbra-tilis iustitia, quam Christus præter  
illam Phariseorum & scribarum efflagitat? Aut eâ  
ne vmbra-tilis est iustitia, quam ipse nobis peperit,  
sicut ad Romanos octauo dicitur?

Verum est quidem propriè loquendo, perfectam  
Christi obedientiam non esse iustitiam: iustitia enim

est

est fructus perfectæ obedientiæ Christi. Sed quid est vilitatius, quàm causam ponere pro effectu? Quomobrem non est error dicere, quòd perfectia Christi obedientia sit iustitia nostra. Imò magna est blasphemia in Christum, dicere, quòd perfecta eius obedientia non sit vera iustitia.

## ERROR XXVI.

Quòd non iustificemur sola fide. De euangelio pag. 66. Et de uerbo pag. 118.

## CONFUTATIO.

Hic error, Dei beneficio, adeò ex ecclesiis nostris est repudiatus & explosus, vt hoc loco non sit necesse, nouam confutationem instituire.

## ERROR XXVII.

Nostra iustitia coram Deo, est interna & externa o: edientia erga legem Dei, uel in bona nostra opera. In lib. de triplici uita capite. 7. Et in euangelium Matthæi capite sexto, super locum. Nisi abundauerit iustitia uestra.

## CONFUTATIO.

Refellunt hanc opinionem uocabula, quibus utitur Paulus in epistola ad Romanos: Gratis, & absq; operibus legis: quibus uocabulis excludit nostram obedientiam, & opera tanquam causas cooperantes, partiales & meritorias iustitiæ Dei. Item, exemplum Abrahæ, ad Romanos quarto, qui est imago omnium qui iustificantur gratis absque meritis operum. Item, si iustitia est ex operibus, incerta est promissio, ad Romanos quarto. Ac si operibus iustificamur, Christus frustra est mortuus, ad Gal. 2. Præterea si iustificamur ex operibus, nostra iustitia non est maior iustitia Pharisæorum & scribarum, de qua Mat. 5.

## DE SVENCO

Item Paulus ad Rom. 5. scribit obedientiam Christi attulisse nobis iustificationem vitæ. Quomodo ergo nostra id præstet obedientia? Denique si propter opera nostra iustificamur, ergo Deus iustitiam donat propter languidam, mutilam, & imperfectam obedientiam? cum quidem manifestum sit, Deum requirere perfectam obedientiam pro impetranda iustitia, quam perfectam obedientiam nos serui inutiles nullo modo præstare valemus. Quapropter etiam nostrum nemo potest saluari, si operibus petenda est iustitia. Sed quid opus est in hoc articulo prolixiori aduersus Suencofeltium commemoratione vti, cum Dei beneficio in nostris ecclesiis doctrina de gratuita illa iustitia fidei firmissimis argumentis stabilita & defensa sit?

### ERROR XXVIII.

*Quod per fidem et bona opera ingrediamur in vitam æternam. De Evangelio pag. 58. Et quod renouatio cordis sit iustitia nostra. In lib. de sacra scriptura pag. 33. Et in lib. de uerbo pag. 134.*

### CONFUTATIO.

Iohannis 17. Christus dicit: Ego vitam æternam do eis. Est ergo vita æterna donum gratiæ. Ad Romanos 6. vita æterna vocatur donum Dei. Iohannis tertio Christus dicit, se dare vitam æternam credentibus.

Augustinus super Psalmum 31. in præfatione: Et si tu manus laueris in bonis operibus, & opinaris, te nauim optime regere, tamen properas in Scyllam: quia dum speras, quod sperandum est, scilicet vitam æternam, non assequeris hanc sine domino Deo per Iesum Christum, per quem solum datur vita æterna.

Porro

Porro renouatio cordis neque ipsa potest esse iustitia nostra: non enim prius renouamur quam accepta gratuita iustitia fidei, iustificati enim accipiunt spiritum sanctum qui renouat corda eorum ad facienda bona opera, & præterea largitur eis robur & vires, vt ea facere possint. Hinc ergo vocantur bona opera etiã fructus spiritus. Ad Gal. 5. Cum ergo sitis filij, Deus misit spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba pater. Ac idem ille spiritus, qui nobis iustificatis Dei filiis largitur vires, vt recte inuocemus patrem, donat etiam nobis facultatem præstandi alia bona opera. De hoc vide amplius caput octauum ad Romanos.

Augustinus de fide & bonis operibus cap. 14. Bona opera non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum.

Item alibi: Quomodo quis potest iusta opera facere, qui nondum iustus est? Quomodo bona, qui nondum bonus est? Quomodo sancta opera, qui nondum sanctus est?

### ERROR XXIX.

Quod nihil sit iustitia nostra, nisi quod simul est uerus Deus, & essentia diuina. In lib. de uerbo, pag. 102, & 109.

### CONFUTATIO.

De his dicitur infra in confutatione doctrinæ Osiandricæ, de essentiali iustitia Dei.

### ERROR XXX.

Quod nostra renouatio sit spiritus sanctus, imò Christus ipse. In lib. de uerbo, pag. 127.

### CONFUTATIO.

Suencofeltius neq; proprie loquitur, neq; uere,

## DE SVENCO.

cum dicit, spiritum sanctum seu etiam Christum esse renouationem nostram, sed sic loqui debebat. Renouatio nostra est opus spiritus sancti, & meritum Christi. Alioquin enim sequitur amplius, Christum & spiritum sanctum initium habere & finem, prout in nobis est renouatio.

## ERROR XXXI.

*Iustificatio nostra complectitur totum negotium conuersi hominis. In lib. de Verbo pag. 119. Et ibidem pag. 134. in margine. Ordo iustificationis: regeneratio, uiuificatio, inuouatio, iustificatio, & diuine naturae participatio.*

## CONFUTATIO.

Hæ partes iustificationis vtiliter seruiunt negotio Suencofelii: prius enim dixit, renouationem & bona opera esse iustitiam nostram. Item iustitiam esse ipsum Deum seu essentiam diuinam. Verum ex scriptura has iustificationis partes demonstrare non poterit, neque etiam e sacris monumentis patrum.

Regeneratio non potest esse iustificatio: huic enim illa cohæret eamque sequitur, sicut in refutatione vicesimi sexti erroris demonstratum est. Neque potest esse pars iustificationis: eos enim, qui sunt regenerandi, oportet prius esse iustos & filios Dei: & talibus datur spiritus sanctus per quem fit regeneratio.

Viuificatio potest esse pars regenerationis, sed non iustificationis. Ideo enim regeneramur, ut desinamus viuere iniustitiæ, & contra viuamus iustitiæ: Ad Romanos decimo tertio: Deponamus igitur opera tenebrarum, & induamus arma lucis. Et ibidem: Indui-

Induite Dominum Iesum Christum, & corporis curam non agite, ut lasciuire incipiat. Ad Ephesios 4. Deponite veterem hominem secundum quem prius vixistis, & induite nouum hominem. Prior pars est mortificationis, secunda viuificationis.

Inter regenerationem & renouationem nullum intelligimus neq; nos neq; alii p̄i discrimen: Suen-coseltius si nouit aliquid, proferat sanè. Neque satis possumus assequi, quid sibi velit hæc distinctio Suen-coseltij, quòd iustificationem diuidit in partes, & tamen simul ipse confitetur esse vnã partem. O bone DEVS, ab omni errore nos libera: quia tu soles errorem errore punire. Error autem alios errores gignit, qui si fiunt plures, ignoratur, quid tandem certi credere debeamus.

Participatio naturæ diuinæ ita cohæret iustificationi coram Deo, quæ est in remissione peccatorum, ut ei qui hoc modo iustus est, id est, acceptus Deo, simul Christus etiã sit iustitia essentialis & æterna, hac ratione, ut Deus pater, filius, & spiritus sanctus in eo habitare velint ad regenerationem, qua vis ei & facultas conceditur faciendi secundum voluntatem Dei quæ iusta sunt, & ad mortificationem reliquiarum peccati in nobis, donec in altera vita consummemur. Verum quod de diuina natura diximus, non sic intelligendum est, quod idcirco in altera vita efficiamur Diij, id est, induamus diuinam & naturalem Dei essentiam, quam Deus ipse habet. Neesse est enim manere discrimen inter creatorem Deum & creaturam.

Deinde



## DE SVENCO.

Deinde ineptum est dicere, quod diuinæ naturæ participatio, sit pars iustificationis nostræ, cum prius dixerit Suencofeltius, ipsam iustificationem nostram nihil esse aliud, quàm infusionem diuinæ naturæ in nobis.

### ERROR XXXII.

Quod glorificatus sanguis Christi, qualis nunc est, transmutatus sit in diuinitatem, & purificet nos à peccatis nostris. In lib. de Verbo, pagina. 125.

### CONFUTATIO.

Si sanguis Christi in diuinitatem nunc transmūtatus est, ergo Deus est. Si Deus est, oportet inuocari, & attribui ei naturam & substantiam diuinam.

Deinde si Christus habet nunc sanguinem ita glorificatum, qui transmūtatus sit in diuinitatem, ergo sedet ad dexteram patris non verus homo, sed tantum secundū vnā naturam, videlicet in quantum Deus est. Scimus autem nos, ex veritate scripturæ, quod ipse se verus Deus & homo sedeat ad dexteram patris, sicut aduersus Stancarum supra conuicimus.

Neque idē tribuitur Christo corpus glorificatū in epist. ad Philipp. 3. quod humanitas in diuinitatem mutata sit: sed quod Christus, qui sedet iam ad dexteram patris verus Deus & verus homo, non sit amplius obnoxius humanis necessitatibus in edendo, bibendo, dormiendo, eundo, stando.

Item si glorificatus tandem sanguis Christi nos purificat à peccatis, quid profuit eum per suam passionem effundere sanguinem?

Vt taceam, si nunc primum adhuc Christum patiens suo nos sanguine abluat & purificat, ad Ebraeos 9.

Pro.

Proinde dicta scripturæ de purificatione sanguinis Christi à peccatis, tantum intelligantur de sanguine effuso per passionem, & non de sanguine Christi glorificato, ut sentit Suencofeltius.

## ERROR XXXIII.

*Ministri ecclesiæ inepti, & non timentes Deum, suum ministerium in docendo uerbo, & porrigendis sacramentis, expedire non possunt. In lib. de sacra scriptura, pag. 22.*

## CONFUTATIO.

Hic est vetus ac perniciosus error, quem Donatistæ olim hæretici profitebantur. Qui si verus est, iam inde colligitur, insciam, imperitiam, infirmitatemque ministrorum potioem esse, ac plus valere, quam ministerium, doctrinam, & sacramenta, quæ sunt ordinationes Dei. Item hoc pacto nostra incredulitas promissiones Dei ministerio annexas labefactare vel tollere potest. Ad Rom. 3. Ipsi credita sunt oracula Dei: quid ergo, quod aliqui fuerunt increduli? num eorum incredulitas fidem Dei abolebit? Absit. imò sit Deus verus, & omnis homo mendax sicut scriptum est: ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Quod autem Deus etiam personis minus idoneis, & infirmis permittit administrationem ministerij, officium docendi & applicandi sacramenta: id ob eam causam fit, ut ipsi soli sit honos. Priore Corinth. 4. Habemus autem thesaurum illum in vasis testaceis, ut excellentiæ potentia sit Dei, & non ex nobis.

Augustinus lib. 5. contra Donatistas, de Baptismo cap. 19. Quando Deus suis sacramentis adest, & verbis suis, recta sunt, à quibuscunque administrantur,

g sicut

## DE SVENCO.

sicut etiam mali homines, quibus nihil profunt, vbiq̄ sunt peruersi.

Ibidem: Quapropter sacramentum gratiæ dat Deus per malos, ipsam verò gratiam, non nisi per seipsum, vel per sanctos suos: & ideo remissionem peccatorum vel per seipsum facit, vel per illius Columbæ membra, quibus ait: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur.

Idem contra Petilianum: Neq̄ in homine bono aliquis sacramenta fugiat, neq̄ in homine malo.

Contra epistolam Parmeniani: Omnia sacramenta subsunt indignè tradentibus: profunt tamen per eos dignè sumentibus, sicut & verbum Dei: vnde dictum est: Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, nolite facere.

Tractatu 6. super Iohannem de Baptismo. Baptismus est, sicut ille est, in cuius nomine fit: non sicut ille, per cuius ministerium traditur.

### ERROR XXXIII.

*Quòd uerum corpus carnis & sanguinis Christi, non adsit in eandem.*  
CONFVTATIO.

De hoc satis postea dicitur in refutatione Sacramentariorum.

### ERROR XXXV.

*Non collecta ecclesia, est uera ecclesia: sed qui se confitetur ad ueram religionem. In lib. de discrimine Verbi Dei.*

### CONFVTATIO.

Quòd omnibus temporibus colligat sibi Deus æternam ecclesiam per vocem euangelii, neq̄ Suenosofeltius, neque alius quisquam pernegabit, & hanc Ecclesiam necesse est confiteri veram religionem.

nem. Confessio enim certum est signum, quo agnoscitur ecclesia. Quòd autem hanc ecclesiam quæ colligitur per verbum negat Suencofeltius, id significat, se non agnoscere eum cœtum veræ & ac perpetuæ ecclesiæ Dei, quæ per verbum vocale, & per prædicationem externam colligitur: sed talem aliquem cœtum, qui internis & arcanis reuelationibus seu enthusiasms vocatur, & ita ecclesiam facit non ecclesiam. Vult enim Deus colligi cœtum scilicet conuersionem hominum per verbum: ideoq; & ipse Christus verbo vocali vsus est, & idem vocale verbum postea prædicari per Apostolos iussit. Quis porrò persuaderet hominibus, eos verè esse membra ecclesiæ si tantum expectandæ essent arcana reuelationes & raptus?

## ERROR XXXVI.

*Deus non loquitur corporalia & audi illa uerba, nec uoce corporali, & quæ audire potest.*

## CONFUTATIO.

Etsi Deus est spiritus, tamen hinc non sequitur, quòd corporales & vocales sonos non faciat, aut uocem omninò non edat. Nam nihil est ei impossibile. Nonne Exodi tertio, Deus Abraham, Isaac, & Iacob, loquitur cum Mose? Idem facit postea capite quarto. Imò postea sæpius colloquitur cum Mose & Aarone. Deut. cap. 4. & 5. legitur, Deum ingenti uoce & fragore decalogum de monte Sinaico pronunciasse. Et uerba prophetarum passim uocantur uerba Domini. Ad Ebræos primo: Postquam multipliciter Deus & multifariam olim cum patribus nostris locutus est per prophetas, hoc postremo tempore nobiscum locutus est per filium.

## DE SVENCO.

Nonne autem spiritus ille Deus, visibile corpus  
assumpsit, quo conspici potuit? quid ni ergo tale cor-  
pus assumere potuit, quo loqueretur?

Augustinus libro secundo de trinitate capite 18.  
Ipsa enim natura, vel substantia, vel essentia, vel quo-  
libet alio nomine appellandum est id ipsum quod  
Deus est, quicquid illud est, corporaliter videri non  
potest. Per subiectam verò creaturam, non solum fi-  
lium, vel spiritum sanctum, sed etiam patrem corpo-  
rali specie siue similitudine mortalibus sensibus sig-  
nificationem sui dare potuisse credendum est.

Item de cognitione veræ vitæ capite decimo octa-  
uo. Sancti spiritus substantia, non in columbam vel  
ignem est transmutata, sicut nec Verbi in carnem est  
transformata, sed spiritus sanctus columbæ corpus  
condidit, in quo se ad horam super corpus sibi inse-  
parabiliter vnitum, ad testimonium hominibus, visi-  
bilem præbuit, ipse verò inuisibilis in essentia patris  
& Verbi inseparabiliter permansit.

Tertullianus de carne Christi contra Marcio-  
nem: Nec interfecerat substantiam propriam as-  
sumpta substantia extranea.

## ERROR XXXVII.

*Homines sine ministerio & sacramentis saluari posse. In libris suis  
passim.*

## CONFUTATIO.

Hoc est velle sapientiorē esse ipso Deo. Si enim  
ad commoditatem salutis nostræ ministerio & sacra-  
mentis carere potuissemus, Deus utiq; non instituis-  
set ea in ecclesia. Et quamuis verum est, Deum sine  
his

his mediis per suam omnipotentiam saluare homines posse, tamen hunc communem ordinem ipse sanxit, ut ministerio vtantur homines, qui ad salutem peruenire volunt, ad Romanos decimo. Et similiter sacramentis vtantur ad certificandam conscientiam de salute.

Si ergo ministerio & sacramentis ad salutem non est opus, quin ergo dicimus, Deum frustra hæc instituisse?

Hic error olim vagatus est inter homines magna specie: Enthusiastas enim se vocitabant, qui sine verbo & sacramentis homines posse saluari profitebantur, & satis esse dicebant agitari spiritu sancto.

Augustinus contra Faustum lib. 19. cap. 12. Homines ad nullum nomen religionis, neque rectum, neque falsum colligi possunt, nisi per communionem visibilium signorum seu sacramentorum ligentur, quorum virtus verbis exprimi non potest, & tamen plurimum prodest: & qui illa contemnit, hunc faciunt sacrilegum & furem. Et reuera hoc impiè contemnitur, sine quo vera pietas non potest perfici.

### ERROR XXXVIII.

*Discrimen est inter Apostolos, Prophetas, & sanctos Patres, Augustinum, Ambrosium. Illi fuerunt ministri diuini uerbi. Hi autem tantum ministri scripturæ. Item, per illos uerbum fuit efficax. Per hos autem non sic.*

### CONFUTATIO.

Esse discrimen inter prophetas & apostolos, nulli est dubium. Similiter etiam inter Apostolos, Prophetas, Patres, & huius ætatis doctores est discrimen. Verum non est id, quod Suencofeltius effingit: sed huiusmodi aliquod: Prophetas ipse Deus uocauit

## DE SVENCO

immediatè, & non per medias personas. Apostolos item Christus immediatè vocauit. Prophetæ de Christo venturo annunciarunt, Apostoli de exhibitio. Illi de patefactione singulari sua oracula acceperunt. Hi à Christo doctrinam audiuerunt. Patres seu vetusti doctores ecclesiæ mediatè & per medias personas vocati sunt, sicut & nos hoc tempore vocamur. Patres suam doctrinam ex prophetarum & Apostolorum scriptis sumserunt, vt eandem cum illis vocem & doctrinam spargerent. Inde & nos hoc tempore nostram doctrinam consentaneam scriptis prophetarum & apostolorum, & patrum, auditoribus Christianis inculcamus. Apostoli præ sanctis patribus & nobis hoc habent singulare, quòd immediatè & non ab hominibus seu medijs personis neq; vocati neq; eruditi sunt, sed quam à solo Christo doctrinam acceperunt, docuerunt & scripserunt. Præterea Christum ipsum audiuerunt & viderunt. Plura habuerunt dona quam sancti Patres & nos. Dehinc etiam mandata eis fuit, per totum terrarum orbem prædicatio euangelii. Sancti verò Patres tantum in iis locis docuerunt, ad quæ vocati fuerunt, quod etiam nos facimus.

Item ipsi sancti Patres discernunt sua scripta à scriptis Apostolicis & Propheticis, suas item personas à personis Apostolorum & Prophetarum. Quod discrimen nobis cum illis est commune.

Ac hortantur Patres cæteros ecclesiæ doctores, vt Apostolicis & Propheticis scriptis consentanea doceant, quod si non faciant, recipiendos esse negant.

De his & similibus discriminibus, rectè docet ecclesia. Sed quod Suencofeltius comminiscitur, nunquã agnouit ecclesia. Prophetæ & apostoli fuerunt ministri verbi, fuerunt & patres, & nos sumus. Iam quid est, aliud verbum Dei quàm sacra scriptura, & vicissim quid est aliud sacra scriptura quàm verbum Dei? Hic ergo patet, Suencofeltium non agnoscere scripturam sanctam pro verbo Dei, neque verbum Dei pro scriptura sancta. Quòd autem reuera scriptura sit verbum Dei, supra in refutatione tertii erroris liquido probauimus.

Porro triste est & hoc, quòd audet Suencofeltius dicere, Deum solummodo per ministros verbi, hoc est, per prophetas & apostolos efficacem esse, & non per alios ministros. Vnde sequeretur, potentiam Dei langufactã esse, vt iam nõ amplius possit ita efficaciter operari per ministros ecclesiæ, sicut olim aliis aetatibus. Item omnium patrum doctrinam vnã cum nostris enarrationibus esse vanam & inutilẽ. Item discipulos Apostolorum, Apollo, Titum, Timotheum, Ignatium & sequentes, frustra docuisse. Atque adeo totum ministerium sceleratus ille tollit, tanquam inutile & non necessarium.

### ERROR XXXIX.

*In uno homine sunt duo, Externus & internus. Item scriptura & sacramenta solummodo prosunt externo homini, ut inde instruat.*

### CONFUTATIO.

Quòd in vno homine duo sint, alter externus, alter internus: neque scriptura neque patres neque nos vnquam professi fuimus. Cum autem loquimur  
de ho-



## DE SVENCO.

de homine post lapsum, primum loquimur de non conuerso & non regenerato, qui vocatur in scriptura homo naturalis, terrenus, vetus, carnalis, & ita totum hominem cum corpore & anima, sensibusque ac potentiis, & viribus omnibus quam inferioribus capimus pro vno homine. Priore Cor. 2. Animalis homo non capit ea quæ sunt spiritus Dei. Hoc dictum loquitur de toto homine, & non de aliquibus tantum eius partibus. Sicut utique affirmant papistæ, qui dicunt inferiores duntaxat sensus seu potentias hominis non capere res, quæ sunt spiritus diuini, eosque solos sensus per lapsum Adæ debilitatos esse, priore ad Cor. 15. Idem totus homo vocatur homo terrenus. Iohan. 3. vocatur homo carnalis. Quod inquit, ex carne natum est, caro est. Ad Ephes. 4. Deponite ergo veterem hominem, secundum quem vixistis antea, qui corrumpitur per cupiditates prauas, & per deceptiones. Hæc & similia scripturæ dicta loquuntur de integre lapsō, non conuerso, necdum regenerato homine. Ad Coloss. 3. Exuite veterem hominem cum suis operibus, & induite nouum.

Cum ergo post lapsum conuertitur homo, & regeneratur: tum vero secundum scripturam, & sanctorum patrum testimonia vocatur homo nouus. Ad Ephes. 4. Renouamini vero spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum conditus est in iustitia, & sanctitate & veritate. Hoc loco totus intelligitur homo, non quædam eius pars. Hinc etiam Paulus in priore ad Thessal. 5. scribit in hunc modum: Ipse autem Deus autor pacis sanctificet vos vsquequaque, & integer spiritus uester, anima

ma videlicet & corpus, inculpatè in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruetur.

## OBIECTIO.

Atqui in epistola ad Ephesios cap. 3. Paulus optat, ut illi corroborentur per spiritum Dei, secundum interiorem hominem. Ergo diuisio Suencofeltij non est vitiosa. Respectu enim interioris hominis, certe intelligendus est etiam eximior aliquis.

## RESPONSIO.

Apostolus interiorem hominem eundem dicit, quem scriptura & ipse Paulus vocat *alibi nouum*.

Itaq; scripturæ & sacramentorum is vsus manet, vt per ea homo ille animalis, vetus, terrenus, carnalis, non conuersus, non regeneratus, ad veram conuersionem, salutem, & regenerationem perducatur. Et vt nouus homo in his bonis similiter iisdem medijs conseruetur.

## ERROR XL.

Sicut Abraham conuersus est ad Deum, ita oportet conuerti omnes homines.

## CONFUTATIO.

Quod ad communia media attinet conuersionis, à Deo instituta, Suencofeltius non planè errat. Sed hic error de singulari conuersione Abrahamæ intellectus, non potest tolerari. Quia Deus non omnes homines vocat immediate sicut vocauit Abrahamum, non apparet omnibus per visiones, non loquitur cum omnibus ore. In his enim & aliis quibusdam rebus vetustissimi patres longè nobis sunt feliciores & digniores.

## ERROR XLI.

Nulla est uia, nec ullus transitus ab oculis & auribus ad cor: ideo

b

sacra

## DE SVENCO.

*sacra scriptura & sacramenta, non possunt ad cor pertinere: sed manent tantum apud sensus exteriores, & apud hominem exteriorem.*

### CONFUTATIO.

Huic errori resistunt sequentes scripturæ loci. Osee secundo: Loquar ad cor. Lucas octavo: Veniens diabolus tollit sermonem à corde ipsorum, ut ne credentes salventur. Quomodo autem tollitur sermo à corde, si non illuc peruenit, sicut insanit Suencofeltius? Ibidem: Quod autem in terram bonam cadit, hi sunt, qui in corde bono & honesto auditum sermonem retinent, & fructum faciunt in patientia. Item, si spiritus sanctus per auditum verbi diuini fidem in cordibus hominum accendit & operatur, & sedes fidei cor est, necesse est & verbum DEI quod fidem producit, ad cor hominis aspirare. Imò verbum Dei frustra prædicatur, si non apprehenditur corde. Et hoc est, quod in contumacibus auditoribus verbi diuini arguimus, quòd utique auribus duntaxat illud excipiunt, & in linguis hæret tantum patiuntur, nec ad cor transmittunt. Quid quòd hic error Suencofeltii etiam pugnat cum Philosophia & communi experientia?

Ad extremum, quid profit nobis scriptura, quem fructum afferant Sacramenta, non videmus, si per hypocrisis sine motu cordis illa legimus, audimus, accipimus. Imò ut Sacramenta dignè sumantur, necessarium est, ut vero motu cordis sine vlla simulatione utentis sumantur, modo is dignè sumere velit.

FELTIANIS.  
ERROR XLII.

118

Deus nihil agit nec operatur per externa media, neq; docet nos per illa, nec quicquam boni, aut mali facit nobis. Item, quod prima causa nihil agat per secundas, non puniat nos per Turcam, bella, non creet nos per parentes nostros, non alat nos per panem.

CONFUTATIO.

Deum confitemur esse omnipotentem, atq; liberum agens, non alligatum ad externa media siue causas secundas. Recte q; damnantur Stoici & Iouianistæ qui alligauerunt Deum ad causas secundas, perinde ac sine illis nihil efficere possit.

Quemadmodum autem illi merito damnantur, ita simili damnatione digni sunt, quicumq; impudenter clamant, Deum nihil agere nobiscum sine externis mediis. Contrarium autem scriptura ostendit in multis exemplis. Potuisset Deus saluos facere homines sine externo ministerio, & tamen instituit ministerium Matthæi vicesimo octauo, Marci decimo sexto, Lucae vicesimo quarto, & Iohannis vicesimo. Potuisset sine mediis pro sua omnipotentia dare hominibus fidem saluificantem, & tamen ordinauit verbum externum & vocale, in dictis Christi modo allegatis, & in doctrina Pauli ad Romanos decimo. Potuisset Israelitas sine ductore Mose liberare ex Aegypto, si voluisset. Potuisset populum sine manna & coturnicibus pascere in deserto, & sine aqua potare, si decreuisset ita. Seruasset Eliam sine pane, quem coruus aduehebat. Et Deutero, capite octauo legitur: Non ex solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit per os DEI, hoc est, communi ordine viuit homo ex pane tanquam externo medio.

h 2 Sed

## DE SVENCO.

Sed etiam si panis non esset, Deus tamen posset satiare hominem, si modò crederet promissioni diuina. Ac ipse Christus, vt testantur Euangelistarum historia, plerunq; vsus est medijs per quæ homines seruauit, cum quidem sine medijs idem potuisset. Item, quomodo Deus non puniret nos per Turcam & alios Tyrannos & impios, cum alicubi vtatur ad executionem pœnarum suarum ipsius diaboli ministerio, sicut in Iob & in alijs conspiciere licet.

Quòd bellum, vastitas, pestilentia, sterilitas verè sint pœnæ Dei, quas Deus immittit, historia sancta testatur, in quibus eas Deus denunciauit impijs gentibus, & contra eos executus est, nisi fuerant conuersi.

Quòd etiam Deus per parentes nos sinat nasci, vniuersalis experientia demonstrat.

Postremò, vt summatim dicamus, quod res est, pessima est hæc opinio Suencofeltij, quam qui amplectuntur, incidunt in horrendum illud peccatum, quod vocatur tentatio Dei. Dicit enim Deus, Deut. 6. Non tentabis dominum Deum tuum. Quid est autem tentare Deum? Nolle inquam vti externis medijs, quæ proposuit Deus. Et hoc patet ex 4. cap. Matthæi, vbi diabolus exigit à Christo, vt tentet Deum, ac demittat se deorsum, à pinnaculis templi.

### APPENDIX.

Vt autem finem faciamus, sciat Christianus lector, multas alias horrendas corruptelas & errores fouere ac profiteri Suencofeltium, quos sigillatim enumerare, nimis longum esset. Videmus ergo, quem admodum Deus fallos doctores cæcitate puniat, vt  
error

error sit fecundus, & alter altero peiore puniatur: ne efferamur nos, sed accurata diligentia prouideamus, ne per securitatem præcipite in falsa & blasphema dogmata ruamus.

# DE CINGLIANIS SIVE SACRAMENTARIIS.



BEREINOS OPORTET, quicunq; legimus scripta patrum ac veteres historias ecclesie, nullum penè religionis articulum minus dedisse contentionum, quam eum qui de Sacramento corporis & sanguinis Christi sonat in ecclesia. Vnde primum

peripicua est certitudo de hac doctrina, & verbis Christi in cœna, & de vero intellectu eorum. Deinde simplicitas maiorum nostrorum, qui rectè & planè intellexerunt verba Domini, quemadmodum sonant, videlicet quòd cum pane in cœna verum corpus Christi manducetur, & cum calice verus sanguis bibatur. Et ab hoc simplici intellectu maiores nostri neq; philosophicis rationibus, neq; vlla humana sapientia abduci potuerunt. Propterea in hoc toto negotio firmam & durabilem concordiam obtinuerunt. Notus est in veteri historia solus error Beren-

garii contra veram sententiam de cœna dominica, quem tamen ipse postea statim retractauit. Nec potuit is error durare diutius in tanto ecclesiæ consensu de vero intellectu cœnæ Domini.

Porro nō arbitramur veteribus defuisse præclara ingenia sapientia humana, & quidē ad stuporem vsq̃ ornata: imō & Philosophos habuerunt, qui sua ratione fascinati, à multis partibus veritatis declinarunt: tamen eorum nemo fuit, quin horribiliter se peccare existimaret, si Sacramentum cœnæ inuasisset. Imō in Papatu, cum per Philosophiam & rationem humanam omnia ferè capita veræ religionis obscurata essent, mansit tamen integer verborum Christi in cœna intellectus: atq̃ ita nos in his postremis & periculosis temporibus veram doctrinam de præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna, quasi hæreditario iure accepimus & possidemus. Quæ hæreditas tot annorum præscriptione ab ipsa institutione Christi confirmata, si nunc amittenda sit, non tantum id difficile nobis futurum, sed allaturum esset etiam perpetuam ignominiam coniunctam cum exitio corporis & animæ. Et nostræ ecclesiæ in his regionibus hanc hæreditatem seu patrimonium vsq̃ in hodiernum diem fortiter & fideliter custodierunt: quod ut faciamus porrò, ardentibus votis à Deo petimus.

Ac si vnq̃ acquieuisent aliqui pristinae simplicitati maiorum nostrorum, neque indulgisent imaginibus philosophicis, & cum rationis luce congruentibus: hisce tam afflictis temporis dissensionibus & sectis supersedere poteramus. De alijs enim causis  
taceo

tacemus, quibus fortasse tanquam præcipuis sacramentarii ad hanc controuersiam impulsii sunt. Sed hoc certum est, eos ex æquo cum omnibus aliis hæreticis communem hanc sui erroris habere occasionem, quòd doctrina de præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna rationi sapientiæq; humanæ, atq; adeo toti Philosophiæ est aduersaria. Hac enim occasione seu causa impellente omnes ab initio hæretes in ecclesia pullulare cœperunt: sicut eius rei certissima possemus exempla commemorare.

Suspectam autem meritò habemus doctrinam Sacramentarium. Primum propter nouitatem, extitit enim recens nostro tempore, & ignota fuit vetustæ ecclesiæ. Secundo quòd Sacramentarii non definitè in eadem sententiâ sunt concordēs: sed inter se ipsos diuisi sunt, vt alii sunt Carolostadiani, Cingliani, Oecolampadiani, Suencofeltiani, Campanistæ, Caluiniani & similes. Et ex his vnusquislibet certam habet formam negandi veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna. Tertio, quòd Sacramentarii contumeliosissimis vocabulis vsus cœnæ Dominicæ qui apud nos est, lanienam appellant & ingurgitationem. Quarto, quòd recentiores Sacramentarii multò cautius loquuntur de toto negotio Sacramenti, quàm illorū antecessores, & sicut nobis quidam videtur, recentiores illi Sacramentarii indies nobis propiores fieri vidētur, & bona spes est, fore vt ad extremū planè nobiscū sentiant, quod vt fiat, clementissimus Deus sua illos gratia & spiritu gubernet. Amen.



De Cinglianis

Ac gratias etiam agimus illis, quod non ita horridè  
 disputant, sicut superiori ætate factū est: & ex animo  
 libenterque legimus & audimus has voces, quibus  
 exeorū cœtu quidam non postremæ autoritatis viri  
 vtuntur: Cum accedis ad sacram sinaxin, sic tecum  
 cogitato. Quoniam dominus & seruator meus Iesus  
 Christus exhibet mihi panem dicens: Accipe, come-  
 de, hoc est corpus meum. Similiter & vinum, dicens:  
 Accipe, bibe, hic est sanguis meus. Igitur credo &  
 certo scio, verba domini mei Iesu Christi esse vera, &  
 quod hic panis & hoc vinum, etsi in sua substantia  
 sunt & manent panis ac vinum: tamen secundum illa  
 verba sint verum & substantiale corpus, verusque &  
 substantialis sanguis Domini & seruatoris nostri Ie-  
 su Christi: & me igitur quoties comedo hunc pa-  
 nem, & hoc vinum bibo, verum corpus & verum  
 sanguinem Domini ac seruatoris nostri Iesu Christi,  
 non tantum spiritualiter, sed etiam corporaliter ore  
 meo, corporali ( etiamsi ignoro quo pacto id fiat, si-  
 quidem est mysterium, & res præternaturalis ) vere  
 sumere & comedere: idque eò, vt sim certus, quando  
 anima mea, & homo meus interior, cuius conuersatio  
 in cælo est, vt Paulus dicit, Christum per fidem spiri-  
 tualiter comedit, & inserit sibi: etiam me, qui adhuc  
 sum in terris, corporaliter Christo inseri, & cum na-  
 turali eius corpore sic copulari, vt & ego corpore &  
 anima vnum sim cum ipso, peccata mea sint ipsius,  
 iustitia ipsius sit mea.

Et ibidem: Qui ergo panem & vinum quod in  
 cœna Domini nobis exhibetur, imaginatur tantum  
 esse ociosum signum, is negat veram & substantialem  
 præ-

praesentiam Christi, & spoliat nos ea consolatione, de qua modo diximus, quæ quidem unicuique Christiano carior esse debet omnibus thesauris mundi, imò sua vita & omni salute corporis.

Rursus ibidem. Igitur placet mihi, ac tecum hac in re planè consentio, quòd pium & utile sit ab his vocabulis Spiritualiter, Naturaliter, Corporaliter, & siqua sunt similia, quæ extra verbum Dei ratio humana vt sibi satisfaceret, confinxit, prorsus abstineri.

Ac deinceps ibidem: Libenter etiam omittimus hæc vocabula, figuratè, significatiuè, tropicè, spiritua- liter.

Et hæc omnia ita leniuntur à recentioribus Sacramentariis, vt nonnulli qui hæctenus animosè ode- runt veteres Sacramentarios, nunc in eam veniant spem, fore, vt aliquantò post prorsus nobis se coniungant.

Quare autem faueant hi recentioribus Sacramentariis, huiusmodi causam afferunt, quòd illi cautius & prouidentius loquantur de re tanta, quam multi ex nostris, qui & ipsi nouas videntur formas commi- nisci de vera praesentia corporis & sanguinis Christi. Accusantur enim aliqui ex nostris, quòd docuerint & scripserint, panem esse corpus Christi essentialè, & scriptum esse sanguinem Christi essentialè, corpus Christi esse in omnibus locis, atq; adeò in lapide & ligno: de quibus propositionibus nihil planè affir- mare possumus, cum res nobis ignota sit. Verunta- men & Augustinum meminimus, panem vocare cor- pus Christi: sicut postea è dictis Patrum constabit.

Cæterum vt maximè quidam faueant recentio-  
i ribus

DE SACRA

ribus Sacramentariis, tamen non videmus eos, enor-  
mes illos & crassos errores Cinglii & astipulatorum  
eius probare, quòd Sacramentum cœnæ sit tantum  
externum signum, cum quo non sit verum corpus &  
verus sanguis Christi, & tantum symbolum quo nos-  
cantur Christiani.

Confidimus etiam Deo dante, quod scriptis &  
sermone spargunt nonnulli ex recentioribus sacra-  
mentariis, primarios nostros Theologos secum per  
omnia consentire: id non ita se habere, & fortasse  
nostri aliquando experrecti testatam facient inno-  
centiam suam, aut saltem vtri parti sint addictiores  
demonstrabunt.

Ac ne silentio illud prætereamus, vim faciunt  
veritati recentiores Sacramentarii, cum prædicant  
suam de sacramento doctrinam confessioni & apo-  
logiæ Augustinæ consentaneam esse. Hæc prædica-  
tio tantum est iactabunda deceptio, ad illaqueandos  
homines excogitata.

Insuper & execrabilis fallacia est, quòd veteres  
Sacramentarii, Caroloistadiani, Cingliani & alii cum  
suis applausoribus, postquam scèdissimè contamina-  
runt suam causam, nunc insinuant se recentioribus  
Sacramentariis, & ex duobus in speciem aduersariis  
dogmatibus vnam farraginem seu mixturam effici-  
unt.

Cum verò alii sint veteres Sacramentarii, alii re-  
centiores, operæ precium videtur hoc loco indicare,  
quod sit inter utrosq; discrimen.

Veteres Sacramentarii Caroloistadiani, Cinglia-  
ni, Anabaptistæ, & similes perpetuò sic docuerunt,  
sacra

sacramentum altaris nihil esse aliud, quàm externum & ociosum signum, cum quo non sit verum corpus & sanguis Christi. Et tantùm esse symbolum, quo noscantur Christiani, & discernantur ab Ethnicis & profanis.

Recentiores propemodum totum hoc illorum dogma reiiciunt, & confitentur, quòd verum corpus & verus sanguis Christi in cœna verè & essentialiter adsit: sed tamen figuratè, spiritualiter & sacramentaliter, ita vt corpus Christi semper maneat in cœlo ad dexteram patris sedens. Dicunt enim corpus non posse simul esse in pluribus locis. Hoc est verbis præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna confirmare, & re ipsa negare.

Quicquid igitur miscent recentiores ac veteres illi Sacramentarii, conficitur vna massa, hæc videlicet opinio, quòd verum corpus & verus sanguis Christi non adsint in sacramento, secundum verba Christi, Hoc est corpus meum: sed corpus spirituale, & nequæquid id corpus quod sedet ad dexteram patris. Ita utriusque negant corpus Christi simul in pluribus esse locis posse. Et cum prosit eis quoque ad suum negocium hæc cogitatio, quòd indigni non sumant verum corpus & verum sanguinem: sed tantùm signacula externa: non verentur eam simul assuere & amplecti.

ARGUMENTA TAM VETERVM  
quàm recentiorum Sacramentariorum pro suo errore, quo veram præsentiam corporis & sanguinis Christi aut negant simpliciter, aut simulatè confitentur: additis confutationibus singulorum.

## DE SACRA

## PRIMUM.

Ratio comprehendere non potest, quòd cum pane & uino detur nobis uerum corpus & uerus sanguis Christi in cœna. Ergo uerba Christi, allegoricè intelligenda sunt, & ita interpretanda, quòd hæc uerba, Hoc est corpus meum, idem ualeant ac si dicatur, Hoc significat corpus meum. Item, Hic est sanguis, id est, significat sanguinem meum.

## CONFUTATIO.

Verum est rationem non intelligere, quomodo cum pane & uino uerum corpus & sanguis Christi nobis in cœna porrigatur. Sed inde non sequitur, uerba cœnæ allegoricè exponenda esse, nempe quòd panis tantùm sit lignum corporis Christi, & uinum sanguinis sit signum. Imò humana ratio neq; totam doctrinam de regno Christi, neq; ullum articulum Christianæ fidei comprehendit: nec propterea illa doctrina & articuli aliter intelligendi sunt, quàm de dicto, sicut sonant. Et ut amplius dicamus, si intellectus doctrinæ Christi hoc modo ad allegorias & figuræ detorquendus esset, planè fieret incertus: discrimen porrò regni Christi & regni politici prorsus tolleretur. Est enim huiusmodi discrimen magna ex parte, quòd regnum Christi non est subiectum rationi, regnum politicum uerò est rationi subiectum. Tolleretur & discrimen doctrinarum in utroq; regno: atq; ita pariter spirituale regnum & ciuile, doctrinæ utriusq; regni confunderetur, & utrobique uerus intellectus periret.

Et ut hoc simul addamus, tantò certior est intellectus uerborum cœnæ, de præsentia ueri corporis & sanguinis Christi, quantò magis rationi aduersatur. Ratio enim uerum doctrinæ Christi intellectum ignorare debet. Is enim est singulare donum Dei, testan-

testante Christo, cum inquit: Vobis datum est nosse mysteria regni Dei. Et propter eandem causam Matthæi sexto, lux rationis vocatur in nobis caligo, quia in spiritualibus nihil recti intelligit. Et Paulus dicit animalem hominem ea non capere quæ sunt spiritus Dei.

Ex his & similibus causis Sacramentum altaris merito appellatur sacramentum fidei, haud secus ac duodecim illi Christianæ doctrinæ articuli, articuli fidei propterea nuncupantur, quia ratio eos non intelligit.

Est autem ea proprietas fidei, ut credat quæ assequi ratio non potest. Et est contrarius rationi proprium est, ut credat quæ videt & intelligit.

Ut igitur verum intellectum assequi possimus de eo, quod verum & naturale corpus Christi, item essentialis & verus sanguis eius adsint in cœna: omittenda est ratio, & adhaerendum fidei quæ amplectitur etiam non visa, & non comprehensa ratione. Propterea dicit Augustinus super 20. caput Iohannis: Rationis defectio est fidei ædificatio.

Similiter & hæc causa moueat nos quàm maxime, ut verba cœnæ de vera & essentiali præsentia corporis & sanguinis Christi intelligamus, quòd hæc res rationi minime est consentanea. Si autem verba cœnæ de præsentia corporis & sanguinis intellecta fidem euerterent, aliter statuendum esset. Sed illud non fit.

Quòd autem Sacramentum dicitur tantum esse signum corporis & sanguinis Christi, id hodie ab ipsis Sacramentariæ sectæ principibus refellitur, qui ad cor aliquantulum redierunt. i 3 Neq;

## DE SACRA,

Nec vlla est caufa allegoricè intelligendi verba cenæ, quam rationis obsequium. Fides allegoria non eget, tantum enim nititur ipso simplici verbo Christi, siue id possibile coram ratione sit, siue impossibile quod denunciant.

Ac turpe est & detestabile, Sacramentarios verbum Dei ad rationis normam accommodare velle, & eiusmodi duntaxat intellectum quærere, qui sit rationi conformis.

Existimamus autem hoc fieri singulari fato & permissione diuina, vt Sacramentarij totum suum fundamentum rationi superstruant, vt pii homines detecta illorum vanitate magis fugiant illorum falsam doctrinam: certissimum est enim, nisi Sacramentarij tanto conatu suas argumentationes ex ratione produxissent, plus eos damni daturus fuisse: quippe cum nec imperita multitudo inscia sit, rationem in rebus cœlestibus nihil perspicere, sed ipsa cœcitate cœciorem esse.

## SECUNDVM.

Maria Luca primo, Abraham & Sara, aliq; sancti complures, non crediderunt statim uerbo Dei: Sed prius consuluerunt rationem, qua certitudinem uerbi comprehendere uoluerunt. Est ergo etiam in uerbis cenæ uidendum, num intellectus uerborum Christi congruat rationi, nec ne.

## CONFUTATIO.

Verum est, Maria principio à sua ratione decepta, uerbis angeli non credidit Luca 1. cum dicit. Quomodo fiet istud, quandoquidem uirum non agnosco: et Abraham cum uxore Sara promissioni Dei de filio suscipiendo statim non crediderunt, sed rationis

tionis iudicio id impossibile duxerunt. Quod ipsum & Thomas fecit, & alii discipuli, qui resurrexissent Christum non credebant. Tandem verò ommissa ratione crediderunt verbo, & infidelitatē suam representarunt. Propterea credens iam Maria in hæc verba erumpit: Ecce ancilla domini, fiat mihi sicut dixisti. Abraham & Sara similiter desierunt dubitare, Gen. 17. & ad Rom. 4. Similiter & discipuli, vt testatur historia euangelica.

Idem facerent & Sacramentarii, si saperent: etiam si aliquanto tempore rationi suæ mancipati fuissent, vt essentialē & veram præsentiam corporis & sanguinis Christi credere non potuerint, tamē nunc desisterent, neq; auerent peccatum.

## TERTIVM.

Quicquid conspiciatur & tangitur, rationi subiectum est. Sacramentum altaris conspiciatur & tangitur, Ergo est subiectum rationi.

## CONFUTATIO.

Panis & vinum in sacramento conspiciuntur, & tanguntur tanquam res rationi subiectæ. Verum autem & essentialē corpus & sanguis Christi non conspiciuntur neque tanguntur, propterea neutrum rationi est subiectum. Si ergo rationi non sunt subiecta, nec ratio ea comprehendere potest. Sed parum refert, modo fides comprehendere possit, sicut verè potest. Credit enim ea quæ non videt aut sentit cum ratione, & sperat quæ iuxta rationem sperari non possunt. Ad Ebraeos ii. & ad Rom. 4.

## QVARTVM.

In usu cœnæ neq; caro neq; sanguis sentitur, neq; conspiciuntur. Ergo verum corpus & verus sanguis in cœnâ esse nequeunt.

CON.



## DE SACRA- CONFVTATIO.

Sentire est etiam opus rationis. Quia verò sacramentum altaris non est subiectum rationi, sicut in refutatione primi erroris satis demonstrauimus: propterea non sentitur ibi corpus & sanguis Christi. Et eo ipso, quòd per rationem non sentitur, certi sumus, in Sacramento essentiale & verum corpus, & essentialem, ac verum sanguinem Christi nobis communicari. Proinde omnes Sacramentariorum argumentationes ex ratione productæ pro nobis faciunt, & per eas ipsi reuincuntur. Fides autem nihilominus credit verè & essentialiter adesse corpus & sanguinem Christi in Sacramento, etsi hoc cum ratione nunquam conuenit.

## QVINTVM.

*Christus filius Dei similis est patri suo & spiritui sancto. Pater autem & spiritus sanctus in nulla creatura sunt corporaliter. Ergo neque Christus erit corporaliter in cena.*

## CONFVTATIO.

In hoc argumento est dissimilitudo exemplorum, quia pater & spiritus sanctus non assumerunt humanam naturam: sed solus filius, & idem per verbum suum dixit: Hoc est corpus meum. Et vbi se alligat ipse Christus per verbum, quis eum inde per suam rationem abstrahet? Quis poterit? Temerè ergo faciunt Sacramentarii, qui Christum inde auellunt, vbi se per verbum suum alligauit.

Pater & spiritus sanctus sunt spiritus. Propterea secundum suam diuinitatem corporaliter inter homines habitare non possunt. Spiritus enim non habent carnem & artus. Si autem aliquandiu assumere  
vel

vellent corpora hominū, possent habitare inter creaturas. Sicut legitur de spiritibus angelicis, qui in forma corporis humani conspecti sunt ab hominibus, & inter eos habitauerunt. Qua de re vide Tertullianum in libro de carne Christi. Et ibidem ille de spiritu sancto in hunc modum loquitur: Iohannes prædicat spiritum columbæ lapsum desedisse super Dominum, qui cum spiritus hic esset, tam vere erat columba, quam spiritus, nec interfecerat substantiam propriam assumpta substantia extranea.

## SEXTVM.

*Christus iam habet corpus glorificatum, ad Philipp. 3. Spiritualiter ergo est in Sacramento, & non corporaliter.*

## CONFVTATIO.

Christus habet corpus glorificatum, sicut Apostolus scribit ad Philipp. 3, hoc est, tale corpus, quod non est amplius obnoxium accidentibus humanis, æstui, frigori, & similibus. Sed huiusmodi corpus glorificatum propterea non est spiritus. Ac filius Dei assumpsit humanam naturam ita vt sedeat ad dexteram Patris simul verus Deus & verus homo. Et idem Christus dixit: Hoc est corpus meum. Si ergo Christus secundum humanam naturam non est spiritus, ergo non potest tantum spiritualiter esse in Sacramento. Quod autem verum & essentiale eius corpus est in Sacramento, hoc fit per verbum, quo istuc se aligauit & quidem supra rationis captum: fidei autem nihil est adeò sublime, quin apprehendere possit, ideò etiam hic cum ratione dimicat.

Quòd autem Christus non sedeat ad dexteram Patris vt spiritus, manifestum est ex ipsius verbis, Lucae

k capi

## DE SACRAM.

capite 24. Cum enim discipuli videntes eum resuscitatum à mortuis, putarent se spectrum videre, Tangite, inquit, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, quemadmodum me habere videtis. Et in hoc ipso corpore assumtus est visibiliter in cœlum. Act. 1.

### SEPTIMUM.

*Deus spiritualiter est in omnibus suis creaturis. Ergo & filius Dei non corporaliter, sed spiritualiter est in Sacramento.*

### CONFUTATIO.

De gradibus præsentia Dei, & quemadmodum omnibus creaturis adesse soleat iuxta verliculum, Enter præfenter, Deus est, & ubiq; potenter: non est instituti nostri hoc loco differere longius. Neq; valet consequentia à præsentia vniuersali ad singularem præsentiam, qua Christus est in Sacramento secundum verbum suum vero & essentiali corpore, in quo applicat seipsum & omnia beneficia sua nobis. Neq; etiam hoc loco dicimus, quomodo Christus verus Deus sit in omnibus creaturis, sed de singulari eius præsentia in cœna loquimur. Ac si concejatur, Christum tantum iuxta diuinitatem suam spiritualiter adesse in sacramento: tamen absurdum erit, profiteri Christum qui etiam est homo, secundum humanam naturam adesse spiritualiter. Præterea periculosum est duas naturas in vna persona diuellere. Postremo non dixit, Accipite comedite, hic est spiritus meus, sed hoc est corpus meum.

### OCTAVVM.

*Christus sedet ad dexteram patris. Ergo non potest simul esse in sacramento, & in pluribus locis.*

CON.

## CONFUTATIO.

Dextera patris non est intelligenda de certo loco, sed de ubiuitate: idque secundum omnipotentiam diuinam. Itaque dextera Dei etiam est in cœna atque adeo in pane & vino. Sicuti enim oculi & aures Dei (hæc enim & similia tribuuntur Deo figuratè & humano more loquendo) non volunt alligari certis locis, ita neque dextera Dei. Et sicut Deus omnia ubique videt & audit, sic etiam dextera eius ubique opitulatur quibuscunque vult. Estque hoc certum argumentum pro nobis contra Sacramentarios, quod scimus Christum sedere ad dexteram patris: ideo enim potest esse in sacramento, quia dextera patris ad nullum locum alligata est. Et hæc argumentatio multos Sacramentarios turbauit.

Miramur etiam quamobrem nolint Sacramentarii à nobis alligari Christum certo loco in sacramento (quod quidem non facimus nos, sed ipse suo se verbo eò ligauit) cum ipsi certo loco in cœlo eum alligent, videlicet ad dexteram patris, quam interpretantur certum locum.

## NONVM.

*Nullum habemus expressum uerbum de transsubstantiatione panis in corpus, & uini in sanguinem Christi. Itaque incertum est adhuc, an uere adsit corpus & sanguis Christi in sacramento.*

## CONFUTATIO.

De transsubstantiatione panis in corpus, & uini in sanguinem CHRISTI, ita ut de pane & vino nihil maneat præter externa accidentia: non minus malè sentimus, quam ipsi Sacramentarii,

DE SACRA.

& ea opinio in libris theologorum nostrorum ante multa tempore reiecta est. Sed inde non sequitur, incertum esse, quin adsit corpus & sanguis Christi in Sacramento verè & essentialiter. Immuta enim sunt & clarissima verba Christi: Hoc est corpus meum. Et verax est qui hæc verba locutus est. Ac vt maximè non sit verum, quod tamen minimè volumus, adesse in Sacramento verum & essentialiter corpus & sanguinem Christi: tamen in iudicio Dei maiorem nos habebimus excusationem, qui non malitia peccauimus, sed ipsius verbis Christi simplicibus fidem adhibuimus: quàm illi qui ratione sua fascinati, noluerunt verbis cœnæ credere, tanquàm non cõsentientibus rationi: vnde coacti finxerunt tropos & figuras, quibus verba Christi explicarent & intelligerent.

DECIMUM.

*Vbi non habetur locus scripturæ clarior & magis perspicuus, quo alius obscurior explicetur: ibi incertus est intellectus. Verba cœnæ non possunt explicari. Ergo intellectus uerborum de corpore & sanguine Christi est incertus.*

CONFUTATIO.

Habemus verò clariores locos, quibus verba cœnæ explicare possumus. Priore ad Corinth. 10. Panis quem frangimus nonne est communicatio seu sumptio corporis Christi? Item poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne est communicatio seu sumptio sanguinis Christi? Et sequente capite: Dominus enim Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit panem, & postquàm gratias egisset, fregit ac dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis fran-

frangitur, id est, traditur. Ibi Christus declarat seipsum, sicut in sequentibus verbis: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur. Cum ergo hæc dicta in promptu habeamus explicantia nostram sententiam, nulla iam relinquitur nobis incertitudo de verbis cœnæ. Et e contrario Sacramentariorum opinio falsa est, quia probationes e scriptura pro se nullas habent.

## VNDECIMVM.

*Prophetia seu interpretatio scripturæ respondeat analogiæ fidei, ad Rom. 12. Sed interpretatio uerborum cœnæ de corpore & sanguine Christi non respondet analogiæ fidei. Ergo corpus & sanguis Christi non sunt in Sacramento.*

## CONFUTATIO.

Interpretatio scripturæ debet esse consentanea analogiæ fidei. Quia igitur interpretatio uerborum cœnæ est consentanea analogiæ fidei: ergo sequitur, verum & essenziale corpus Christi esse in Sacramento. Versatur enim fides etiam circa ea, quæ non uidentur, ad Ebræos 11. Si autem loquuntur Sacramentarii de fide rationis, quæ credit ea quæ uidet (cuius exemplum habemus in Thoma, Iohan. 20. cui dicitur: Credidisti Thoma quia uidisti) rectè argumentantur corpus & sanguinem Christi non esse in Sacramento. Id enim fides rationis nec intelligere nec diiudicare potest.

## DODECIMVM.

*Sacramenta sunt intelligenda sacramentaliter, intelliguntur autem sacramentaliter, cum figuratè, id est, per metonymiam intelliguntur, ita ut panis & uinum sint tantum signa corporis & sanguinis Christi.*

## CONFUTATIO.

Facile & libenter concedimus Sacramenta de-

k ; bere

## DE SACRA.

bere intelligi sacramentaliter, id est, eo modo quo vult Christus ea intelligi, de vera & essentiali præsentia corporis & sanguinis sui. Item, vt intellectus conformetur ad fidem, & non ad rationem. Quòd autem sacramentaliter hoc loco idem sit, quod figuratè, ita vt panis & vinum sint tantum signa vacua: id nequaquam concedimus. Talis enim intellectus rationem sapit, non fidem. Rationi hostile est, verum & essentialiale corpus & sanguinem Christi esse in Sacramento, cum neque videat neque sentiat ea. Fidei autem familiare est, credere quæ rationi sunt aduersa, quæque in sensus exteriores non incurrunt.

### DECIMUM TERTIUM.

*Euangelistæ in descriptione verborum cœnæ non consentiunt per omnia, & utuntur oratione figurata. Ergo verba cœnæ largiter intelligenda sunt, non ita strictè sicut sonant.*

### CONFUTATIO.

Scimus Euangelistas in verbis cœnæ dicto variare. Matthæus enim dicit: Hic est sanguis meus, sanguis noui testamenti. Lucas verò, Hoc poculum est nouum testamentum in sanguine meo: verum sententia non discrepant. Neque de hac re quisquam dubitauit vnquam. Si dubitant Sacramentarii, horribile est. Ac scimus, præterea euangelistas scripsisse ex spiritu sancto, qui secum certè non dissentit, neque instructus venit ad decipiendos nos.

Quòd autem Euangelistæ utantur figurato sermone in descriptione cœnæ, sanè non reperimus. Matthæus enim simplicissime loquitur, item & Lucas. Cum enim dicit Lucas calicem esse noui testa-

menti in sanguine Christi, idem dicit cum Matthæo. Non igitur calix significat nouum testamētum (sicut Sacramentarii figuratē loquuntur) sed reuera est nouum testamentum. Perinde ac si quis codicillos in quibus extremam suam voluntatem condidit, demonstrans diceret, Hoc est testamentum meum: hæc uerba non hoc uolunt, codicillos significare testamentum, sed reuera esse.

Et si autem aliquis in uerbis Lucæ esset tropus, eum tanq̄ obscuriorem clarioribus uerbis enarrari oportebat. Clariora uerba sunt, quæ extant apud Matthæum. Ergo non sinendum est, ut Sacramentarii ueram & incorruptam sententiam uerborum Christi, quæ planissima sunt & simplicissima, sua tropologia corrumpant & peruertant.

## DECIMVM XIII.

*Christus in coena & circa id tempus sepe testatur, se relinquere mundum, & abire ad patrem. Ergo nusquam quærendus est quam in celo.*

## CONFUTATIO.

Christus quod dixit de abitione sua, seruauit. Ac nisi per uerbū suum alligasset uerū & essenziale corpus suum sacramentocœnæ, nusq̄ eum alibi quærere possemus nisi in celo. Sed quia se alligauit huic Sacramento sua uoluntate, ideo oportet eum etiam hîc quærere, & non solum in celo. Deus olim etiam habitabat in celo tempore populi Israelitici, ibi eum quæri necesse erat. Veruntamen etiam ad arcam fœderis se alligauerat: ibi etiam quæri & inuiri potuit, propterea orabant iudæi directis faciebus ad arcam.

DECI.



DE SACRA.

811

DECIMUM QUINTUM.

Lucas præmittit cœnæ Dominicæ esum agni Paschalis. Esum agni paschalis est mysterium seu figura. Ergo & cœna Dominicæ est mysterium seu figura.

CONFUTATIO.

Quòd Lucas historiam de manducatione agni paschalis præmittit cœnæ Domini, suas habet rationes. Neq; inficiamur agnum paschalem continere mysterium, significat enim verum agnum paschalem Christum, sic enim is appellatur priore ad Corinth. 5. Deinde concedimus etiam Sacramentariis, cœnâ esse mysterium, quia ratio sapientiâq; humana nihil de ea quicq; intelligit. Sed hoc negamus, quòd cœna sit figura: sed est veritas seu res ipsa, quam ceremonia Iudaica adumbravit. Veritas porro non potest esse figura seu umbra. Ita lex cum omnibus suis ritibus fuit figura seu adumbratio futurorum bonorum, & non representatio eorum, ad Ebræos decimo.

Ac si licet ex veritate umbras reddere, quod faciunt Sacramentarii in veritate huius Sacramenti, tandem nobis nihil veritatis super futurum est, omniaq; in figuras & umbras mutabuntur.

DECIMUM SEXTUM.

Si verba cœnæ aliter intelligi deberent, quam ut in aliis mysteriis institutum est, veluti Agnus est transitus: apostoli suo more utiq; interrogassent Christum. Sed non interrogauerunt. Ergo pro mysterio intellexerunt.

CONFUTATIO.

Quòd in aliis mysteriis verba interdum figuratè accipiuntur, facilè concedimus: sed hæc probatio incumbit Sacramentariis adhuc, an etiam verba mystice

DECI.

sticè seu figuratè intelligi oporteat. Neq; valet consequentia, cum procedit argumentatio à particulari ad vniuersale: ac si dicam, vnus vel quidam sunt diuites. Ergo omnes sunt diuites. Quia verò Sacramentarij edocere non possunt, itidem verba cœnæ mysticè seu figuratè intelligi oportere, incerta est eorum sententia, & cum ipsi dubitent, alios confirmare nō possunt. Nos autem si sequeremur hos incertos doctores, enormi leuitate peccaremus.

Pater Lutherus si viueret, non ita intellecturus erat hanc propositionem: Agnus est transitus, id est, significat transitum: sed est ipse transitus. Tertullianus nullo modo sineret figuratè exponi hæc verba, Spiritus sanctus est columba Matth. 3. id est, significat columbam: sed verè fuit columba, æquè ac verè fuit spiritus cum descenderet de cœlo assumens speciem columbæ. Aduersus Marcionem de carne Christi: Iohannes prædicat spiritum columbæ lapsum desedisse super Dominum, qui spiritus cum hic esset, tam verè erat columba, quàm spiritus, nec interfecerat substantiam propriam, assumpta substantia extranea.

Ita panis in cœna non significat corpus Christi: sed verè ibi adest corpus Christi, sicut verè adest panis.

Et propterea verum & essenziale corpus Christi est in cœna, quia Christus assumpsit humanam naturam, & adhuc est verus homo, sedens ad dextram patris: nec in hoc impeditur à sua diuinitate.

Denicq; apud plerosq; constat, quàm sit recens hæc interpretatio: Est pro significat. Sed hanc glossam in præsentî negotio apud veteres nusq; reperies.

1 Quòd

## DE SACRA .

Quòd autem apostoli non interrogauerunt Christum de verbis cœnæ, quomodo essent intelligenda: non est sanè mirandum, quia etiam aliàs in rebus quamplurimis nihil ab eo percontati sunt. Concedimus etiam apostolos verba cœnæ mysticè intellexisse, hoc est, de iis rebus, quæ coram ratione, sapientia, que humana sunt mysteria, videlicet quòd verum & essenziale corpus Christi in cœna præstò sit: quam rem neq; ratio, neq; vllius humani ingeniù vis ac solertia comprehendere potest. Si autem volunt, mysticè intelligere, esse figuratè intelligere, non recipimus glossam.

### XVII.

*Declaratio uerborum cœnæ petenda est ex uerbis Christi. Sed ipse dicit, Caro non prodest quicquam. Ergo spiritualemente manducatione instituit in cœna, & non carnalem.*

### CONFUTATIO.

Verum est, neminem esse commodiorem suorum uerborum interpretem quàm eum ipsum, qui prolocutus est, sed nequaquàm concedimus, Christum his uerbis, Caro non prodest quicquid, extra cœnam usurparis, explicare cœnam voluisse. Neque confundenda est manducatio sacramentalis, cum spiritali, quæ etiam sine sacramentali fieri potest. Semper enim ecclesia hæc distinxit. Sed tamen facillè concedimus, etiam carnem Christi extra institutionem parum nobis prodesse, si quis ea velit abuti. Et econtrario persuaderi nunquàm poterimus, quòd manducatio uerè & essentialis corporis Christi in cœna nihil proffit. Nisi enim prodesset, sanè à Christo non fuisset instituta. Præterea caro Christi non est sine fructu, ubi ea non abutimur.

timur, quia in humanitate sua cooperante natura divina magnas res effecit.

Ergo de abusu intelligendum est, si dicat aliquis non prodesse carnem Christi: & non de digno usu iuxta mandatum. Si verò voluisset Christus tantum manducationem in cœna spiritalem instituere, quid facilius ei fuisset, quàm dicere: Hoc est corpus meum spiritale, & sanguis meus spiritalis? Ita autem non dixit, sed Hoc est corpus, hic est sanguis meus.

## XVIII.

*Omnes locutiones Sacramentaria sunt eiusdem naturæ. Est autem earum natura, ut designo intelligantur. Ergo & uerba cœna despectenda sunt ad signum.*

## CONFUTATIO:

Maiorem facile concedimus, omnes locutiones Sacramentarias eiusdem esse naturæ. Minor est neganda: Christus enim in suis sacramentis non loquitur de figuris & umbris, sed de veris & essentialibus rebus. Nec etiam de nudis signis loquitur, etsi sacramenta sæpius signa vocantur. De hoc vide supra refutationem duodecimi argumenti.

## XIX.

*Arca fœderis uocatur præsentia Dei. Ergo eadem ratione panis uocatur corpus.*

## CONFUTATIO.

Longè alia res est, cum arca uocatur præsentia Dei. Non enim ibi fit mentio corporalis præsentia, sed quòd ibi affuturus sit Deus exaudiens, opem ferens. Sed in sacramento affuturum se Christus promisit cum corpore & sanguine suo verè & essentialiter.

## DE SACRA.

Cum ergo adeò se Christus ibi alliget, meritò ei creditur. Deinde vitiosa est consequentia huius argumenti, quia dissimilitudo est in exemplis.

Et si autem presentia Dei apud arcam fœderis peculiaris est presentia, quam Deus peculiari & expresso verbo promissit; tamen nihil exprimitur aliter, quàm ita presentem futurum, vt exaudiat & optuletur. Sed de presentia in cœna disertè promissum est, Christum cum suo corpore & sanguine affuturum, & hoc credendum est, siue ratio consentiat siue repugnet.

### XX.

*Patres comederunt manna siue panem cœlestem. Hunc cibum Paulus 1. Corinth. 10. uocat cibum seu escam spiritualem. Ergo & cœna Domini est esca spiritualis.*

### CONFUTATIO.

Placet nobis, eandem patres escam spiritualem comedisse, eundemq; potum spiritualem bibisse, bibisse item de Petra spirituali qui erat Christus. Sic enim scribit Paulus: Et hæc esca potusq; fuerunt spiritualis esca & potus per fidem in Christum venturum. Quæ omnia si referantur ad spiritualem manducationem & potionem corporis & sanguinis Christi, de qua ipse Christus, Iohan. 6. docet: nesciremus an quis iure obstrepere posset. Ibi enim similitudo est in exemplis. Ac inde nos docemus contra Papistas, Patriarchas eadem fide in Christum saluatos esse qua nos saluamur. Quod autem illi hanc spiritualem escam & potionem de Petra qui erat Christus, ad cœnam referunt, eamq; dicunt similiter spiritualem escam & potionem esse, nequaquã concedimus. Occurrit enim

enim hęc dissimilitudo exemplorum, quę nullam efficiat iustam consequentiam.

## XXI.

De mysterio cęnę nihil est recipiendum nisi quod cęlitus dictum sit. Paulus dicit: Iudæos eandem nobiscum comedisse escam spiritualem, addit enim: Petra erat Christus. Ergo in cęna spiritaliter sumere debemus panem & uinum tanquam corpus & sanguinem Christi.

## CONFUTATIO.

Totum argumentum concedimus de spiritali manducatione & potione Christi, quę fit per fidem. Per fidem enim comedimus & bibimus Christum spiritaliter, sicut etiam patres fecerunt, hoc solo discrimine, quod hi Christum venturum in carnem per fidem comederunt & biberunt: nos comedimus & bibimus per fidem eum qui iam exhibitus est. Cæterum sacramentaliter verum & essentielle corpus & sanguinem Christi comedere & bibere non potuerunt, quia hæc sacramentalis sumtio, patrũ tempore nondum fuit instituta.

## XXII.

Non est pertinaciter in uerbis cęnę herendum. Si enim hoc ubique ferret etiam in aliis di. his scripturę, multa sequerentur absurda, ut cum dicitur, Verbum caro factum est. Pater maior me est. Qui uidet me uidet & patrem, & in similibus locis.

## CONFUTATIO.

Verum intellectum rei oportet elici ex uerbis. Er go in uerbis cęnę merito acquiescimus. Quod autem aliqui scripturę loci non sint strictissimè deducto intelligendı, pro uitandis absurditatibus, facillè concedimus. Non est autem dubium hanc propositionem, Verbum caro factum est, non esse ita intelligendam

DE SACRA

gendam simpliciter quod diuina natura in humanam mutata sit, sed quod æternū verbum assumserit carnē seu humanam naturam. Item, hoc dictum: Pater maior me est, similiter non est intelligendum ratione diuinitatis, seu naturæ diuinæ (secundum hanc enim filius est æqualis patri) sed respectu humanitatis, quam filius assumpsit. Eodem modo & tertium dictum intelligendum est. Videre enim significat ibi agnoscere per fidem, non externè siue secundum respectum personæ agnoscere vel videre. Quod autem in verbis cœnæ similis sit locutio, qualis in his tribus dictis: incumbit adhuc Sacramentariis probandum: sed in perpetuum non probabunt. Imò etsi in verbis cœnæ quæeratur alius intellectus, quàm vt sonant: tamen perpetuò dubitari oportet, an sit verus.

XXIII.

*Vetus ecclesia & patres nobiscum sentiunt, corpus & sanguinem Christi non esse in cœna, sicut hætenus creditum est.*

CONFUTATIO.

Contrarium ponemus postea, cum doctrinam nostram de vero intellectu verborum cœnæ ex patribus confirmabimus.

XXIIII.

*Panis & corpus non sunt res eadem. Ergo uerba cœnæ figuratè intelligenda sunt.*

CONFUTATIO.

Antecedens est verum, panem & vinum non esse res eadem: sed mala est consequentia, verba cœnæ propterea figuratè intelligenda esse. Satis est nobis præcepisse Christum, vt sub pane & vino, verum & essentiale eius corpus & sanguinem sumamus.

XXV.

## XXV.

Circumcisio erat signum cui simul veritas annexa erat. Quare sine  
 omni impedimento etiam in cœna, visibili signo veritas spiritalis annexa  
 est.

## CONFUTATIO.

Quòd circumcisio fuerit signum cui simul fuit an  
 nexa veritas, non vocamus in dubium: deinde conce  
 dimus, etiam visibile signum cœnæ veritatem libi  
 habere annexam, sed non veritatem spiritali, sicut  
 affirmant Sacramentarii, sed eam quam Christus ipse  
 per suum verbum sacramento annexuit, videlicet  
 quòd adsit ibi corpus & sanguis verus & essentialis.

Veritas spiritalis, videlicet circumcisio cordis  
 adiuncta fuit circumcisioni externæ, ad Rom. 2. Sed  
 in cœna non adhæret huiusmodi spiritalis veritas.  
 Christus enim in cœna cum discipulis daret corpus  
 suum manducandum, & sanguinem bibendum, non  
 erat spiritus, neq; verò in spiritali corpore ascendit  
 in cœlum, neq; sedet ad dexteram patris in spiritali  
 corpore, neq; in extremo iudicio redibit in corpore  
 spiritali. Quomodo ergo tantum secundum præsen  
 tiam suam in cœna esset spiritalis? Deinde est dissi  
 militudo in exemplis. Igitur non valet consequentia.

## XXVI.

Actio cœnæ est actio spiritalis. Ergo piorum animi ad cœlum eri  
 gere se debent.

## CONFUTATIO.

Quomodo cœna potest esse spiritalis tantum  
 actio, cum ibi etiam manducemus ac bibamus ore?  
 Sed quid? Verum & essentialiale corpus & sanguinem  
 Domini.



## DE SACRA,

Domini. Et sicut discipuli in cœna non comederunt corpus spiritale, neque biberunt sanguinem spiritalem (quia Christus non fuit spiritus quando egit cum discipulis) ita & nos comedimus & bibimus verum corpus & sanguinem eius.

Sed non repugnamus, quin his, qui tantum sacramentaliter sumunt corpus & sanguinem Domini, neque simul erigunt corda ad cœlum, ut per fidem etiam spiritualiter fruantur corpore & sanguine Christi, nihil profint utilitates adhaerentes cœnæ.

### XXVII.

*Quicquid non adest secundum qualitatem, uel quantitatem, uel locum, non adest corporaliter, sed spiritualiter. Omnes autem sciuntur, hoc modo corpus non esse in pane. Ergo modus presentie Christi in sacramento est spiritualis.*

### CONFUTATIO.

Hoc argumentum planè est philosophicum, & ex ratione ductum. Quamobrem non recipimus illud. Quid enim rei est philosophiæ cum Theologiæ? Sin omninò miscenda sunt hæc, boni consulatur, si enatum inde fuerit tale monstrum & chaos, quale uideamus esse Theologiæ scholasticam. Magna est temeritas ex ratione & philosophiâ argumentari contra tam clara & perspicua testimonia Christi. Et æquum est plus fidei uerbis Christi attribui quàm toti philosophiæ. Augustinus non uult proferri quicquam ex Episcoporum libris, quod pugnet cum uerbo Dei. Sed Sacramentarii licere sibi uolunt, ut philosophiâ producant aduersus Christum.

Cum Augustini tempore dissensio oriretur de cœna Domini, ipse sic dicebat: Hæc controuersia exigit iudicem

iudicem: quare nunc iudicet Christus, ad quid proficit mors sua, & dicat ipse: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Et iudicet cum eo Apostolus: quia & in hoc Christus loquitur.

Hoc loco videmus optimè quis sit iudex controversiæ de sacramento. Et si profectò rationem & philosophiam patiemur iudicem in negotio religionis, nullus articulus nobis manebit integer & incorruptus.

Maiorem igitur concedimus philosophice loquendo: sed secundum omnipotentiam Christi & expressa eius verba, ac secundum fidem nequaquæ concedimus: Christus enim per omnipotentiam suam ea facere potest, quæ rationi sunt impossibilia. Deinde verbum eius non fallit. Nec difficile est fidei ea credere, quæ planissimè secundum rationem fieri nequeunt.

Si voluisset Christus in cœna instituire sumtionem tantum spiritalem, potuisset dicere: Comedite corpus meum spiritualiter, bibite sanguinem meum spiritualiter. Neq; in institutione huius sacramenti usus esset pane & vino tanquæ externis & corporalibus elementis.

XXVIII.

*Modus presentie Christi in sacramento magis est spiritalis quam carnalis.*

CONFUTATIO.

Hoc argumentum facile tolerari posset, nisi velent Sacramentarii propter spiritalem sumtionem quæ fit per fidem, excludere corporalem & sacramentalem

m talem

## DE SACRA

talem functionem. Ac si concedant in cœna corpus & sanguinem Christi corporaliter ore, & spiritaliter fide percipi, facile inter nos conueniet. Et nostro iudicio tandem hoc modo ad concordiam veniendum erit. Aliqui sanè videntur ad nos ita accedere, Deum oramus, vt & reliquorum animos flectat, quò possimus tandem aliquando, iam longis annis exoptatissima inter nos pace frui.

### XXIX.

*Sacramenta sunt eiusdem rationis. Aqua baptismi neq; in corpus neq; in sanguinem conuertitur. Ergo etiam de cœna sic statuendum est.*

### CONFUTATIO.

Eadem est omnium Sacramentorum ratio in generalibus rebus, sed non in specialibus, quas per verbum suum Dominus vniciq; sacramento specialiter & propriè assignauit. Ita baptismus non debet esse corpus & sanguis Christi, sed in cœna adesse corpus & sanguis Christi debet, idq; iuxta verbum eius, Hoc est corpus meum.

### XXX.

*Christus alio modo quàm sua carnali presentia habitat in cordibus piorum, ut sit uita ipsorum. Propterea non est necesse, pertinaciter de carnali presentia contendere.*

### CONFUTATIO.

Quemadmodum filius alioquin generaliter habitat in nobis cum patre & spiritu sancto: nihil id hoc loco parit contentionis. Similiter & ubi habitat in nobis. Sed ab hac generali presentia discernenda est illa specialis in sacramento, per quam vult Christus adesse nobis vero & essentiali corpore, sicut ipse prædixit: Hoc est corpus meum. Et inde corporalem

illam

illam seu (vt eam per contemptum Sacramentarii no-  
mināt) carnalem præsentiam Christi tantopere cogi-  
mur vrgerè, ita tamen vt nihil decedat generali præ-  
sentix Christi. Non ita loquimur de præsentia, vt  
altera exclusa alteram stabiliamus.

## XXXI.

*Promissiones euangelii sunt spirituales, et quemadmodum per fidem  
apprehenduntur, ita per fidem sunt efficaces. Porro sacramenta omnia  
pendent à promissione. Cœna ergo tantum est spiritualis manducatio effi-  
cax per solam fidem.*

## CONFUTATIO.

Maiorem faciliè concedimus. Minorem hoc mo-  
do limitamus: etsi sacramenta pendent à promissio-  
ne, tamen non ita sit, vt promissio Christi verbis  
cœnæ veritatem detrahat. Tum enim verba Christi  
inter se essent pugnantia. Dixit autem Christus: Co-  
medite, hoc est corpus meum, Bibite, hic est sanguis  
meus. Et cum hæc loqueretur non erat spiritus. Neq̃  
verò panis & vinum sunt res spirituales, sed corpo-  
reæ. Deinde Christus ne nunc quidem secundum  
humanitatem suam est spiritus, sed verus homo se-  
dens ad dexteram patris. Et hoc non evertit promissio-  
nem de rebus spiritualibus, vt etiam reliqua verba  
Christi in cœna & promissiones illis annexæ con-  
stent. Hoc autem argumentum planè excludit corpo-  
ralem sumtionem in cœna, propterea rectè dicunt  
nostri, non esse integrum, quia non constat omnibus  
suis partibus.

## XXXII.

*Humanum corpus finem habet et in eo ipso loco, ubi uersatur, nec po-  
test esse ubiq̃. Christus assumpsit corpus humanum, ergo secundum huma-  
nam naturam non potest esse ubiq̃.*

DE SACRA.  
CONFVTATIO.

Hoc argumentum ideo falsum est, quia dissimilitudo est in exemplis. Christus enim non tantum est verus homo: sed etiam verus Deus, atque adeo omnipotens. Et secundum suam omnipotentiam ipse verus Deus & homo ubique potest esse. Neque valet hoc loco cauillatio, quod hoc cum ratione & sapientia humana nostrorum iudicio non congruat. Parum refert quid in hac re humana ratio cum sua sorore humana sapientia statuatur. Fides autem credit impossibilia iudicio humano, & quidem talia quae utraque soror ratio & humana sapientia neque perspiciunt, neque comprehendunt. Ergo Sacramentarii hoc loco diuellunt duas naturas in Christo: alias autem satis sunt deserti in his propositionibus: Christus est rex noster, sacerdos, mediator, iustitia, secundum utramque naturam, tantum in sacramento non existimant secundum humanam naturam ubique esse posse.

XXXIII.

*Deus omnia potest facere quaecumque uult. Quia uero nusquam dicit se naturale corpus filii sui immensum facere uelle. Ergo falsum est propugnare immensitatem in Christo.*

CONFVTATIO.

Verum est, potest Deus quaecumque uult facere. Quod autem nusquam praedixit se naturale corpus filii immensum facere, quaerant Sacramentarii ex ipso, quid causae, & quamobrem noluerit praedicere? Nos interim pie facimus, qui immensitatem Christi tueremur, siquidem scimus eum in una persona uerum esse Deum & hominem, & propterea nihil ei esse immensum, quod simul potest esse ubique. Et hoc impossibile

ibile esset Christo secundum humanitatem tantum. Quod autem est huic naturæ tantum impossibile, id diuinæ naturæ possibile est. Et summam naturæ in Christo, non sunt diuellendæ. Item humanæ naturæ non fuisset possibilis liberatio generis humani, nisi à diuinitate fuisset adiuta.

## XX XIII.

*Ad percipiendas utilitates baptismi, fides est necessaria. Fides est rerum absentium, & non presentium. Ergo corpus & sanguinem Christi esse in sacramento, pugnat cum fide.*

## CONFUTATIO.

Utilitates sacramenti sola fide apprehenduntur. Et si aliàs in genere etiam mali & à fide alieni vtuntur sacramento, neq; tamen fruuntur effectibus ad hærentibus. Verum est etiam ex parte, fidem esse rerum absentium, ad Ebræos ii. Contra & hoc verum est, fidem esse etiam rerum presentium, quæ non videntur, idq; secundum verba Christi, Hoc est corpus meum. Nec opinamur optimum virum mentitum esse. Præterea hîc res absentes dicuntur, respectu humanæ rationis & sapientiæ, cuius iudicio neq; corpus neq; sanguis Christi est in sacramento. Vnde fides in cœna circa res absentes, & tamen presentes versatur. Absentes, quia contra naturam rationis credit corpus Christi & sanguinẽ in cœna præstò esse: Præsentes, quia simplicissimè nititur verbis Christi, de præsentia corporis & sanguinis, & ea iudicat vera esse. Item hoc argumentum aliqua ex parte confirmat nostram doctrinam. Non enim est necessariũ ad integritatem sacramenti, vt credat fides adesse verum & essenziale corpus Christi in cœna. Alioquin enim

DE SACRAM.

adest propter verbum, quod locutus est Christus, et si multi non assentiuntur illi verbo.

Porrò maior propositio huius argumenti occultam tegit fallaciam, et si enim utilitates cœnæ per fidem accipi oportet; tamen non sequitur, fidem aliquid efficere ad integritatem seu substantiam sacramenti. Siue enim credat quis siue non credat, sacramentum tamen est integrum, propter verba Christi. Vnde rectè dixit Augustinus lib. 3. contra Donatistas, cap. 14. Non interest cum de sacramenti integritate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit, qui accipit sacramentum; interest quidem permultum, sed ad salutis viam, verum non ad sacramenti quæstionem.

Inde conspicitur, et si multi carent fide, tamen has res integras esse & adesse, propter verbum Christi: sed utilitates sine fide percipi nullo modo possunt.

XXXV.

*Christus ascendens in cœlum, postquam reliquit mundum, non potest esse ubiq;. Ergo non potest esse in terris corporaliter.*

CONFUTATIO.

Et hoc argumentum ex ratione sumtum est, & omnipotentiam Christo detrahit. Si enim est omnipotens secundum diuinam naturam, & hæc naturæ humanæ in eadem persona vnita est, quomodo non potest esse ubiq;, ubicunq; vult? Non enim sic ascendit in cœlum, ut iam non possit esse in terris, vel ubicunq; locorum. Si enim non potuisset præstare corporis & sanguinis sui præsentiam in cœna, promissio verbi nihil fuisset aliud nisi mera fallacia. Fallacem

lucem autem dicere Christum, horribile est & blasphemum.

## XXXVI.

*Quicumq; est in certo loco, non potest esse ubiq;. Christus assumtus est in cœlum, ueluti in certum locum. Ergo non potest esse corporaliter in sacramento.*

## CONFUTATIO.

Maior secundum rationem vera est. Minor est falsa. Christus enim non est assumtus in certum locum cœli. Nam dextera Dei est ubiq;, & non certus locus, sicut supra in refutatione octaui argumenti diximus. Ergo etiam conclusio est vitiosa.

## XXXVII.

*Christus sedet ad dexteram patris. Ergo non potest esse ubiq;, unde vulgare dictum. Christus Deus & homo ubiq; totus, sed non totum.*

## CONFUTATIO.

Hoc argumento asserimus nostram doctrinam. Quia enim Christus sedet ad dexteram patris, ergo potest esse ubique. Dextera enim patris ubique est, sicut & aures eius & oculi: ut supra in refutatione octaui argumenti ostensum est.

Vulgare illud, Christus Deus & homo ubique totus, sed non totum: non est oraculum scripturæ, neque facit quicquam, nisi ut æternam veritatem patris Christum Iesum arguat mendacii, nimirum non esse verum, quod in verbis cœnæ de præsentia corporis & sanguinis sui locutus est.

## XXXVIII.



DE SACRA.  
XXXVIII.

*Scriptura testatur Christum idem retinuisse corpus post resurrectionem quod ante habuerat, ita ut non mutaretur natura: & huic sententiae etiam patres uno consensu suffragantur. Ergo Christus non potest esse corporaliter in cena.*

CONFUTATIO.

Maiorem planè concedimus, si rectè intelligatur. Quia enim Christus adhuc habet corpus suum, quod reduxit ex sepulchro, illud videlicet quod discipulis exhibuit in cena: & ipse porro idem corpus collocavit ad dexteram patris, quæ, ut supra ostendimus, nulli certo loco alligata est: inde ratiocinamur, posse eum adesse in sacramento, sicut verè adest, & quidem corporaliter. Secundum enim humanitatem suam non factus est spiritus, sed est & manebit in perpetuum verus homo, sicut etiam verus Deus est & manebit in perpetuum.

XXXVIII.

*Testatur & scriptura corpora nostra corpori glorificato Christi fore similia. Sed nostra corpora tunc non erunt ubiq;. Ergo neq; corpus Christi potest esse ubiq;.*

CONFUTATIO.

Ubiq; dissimilitudo est in exemplis, ibi nunquam bona & firma est consequentia. Etsi enim corpora nostra similia erunt glorificato corpori Christi, tamen erit hoc cum conditione & certo modo. Et sic verū est, nostra corpora non fore ubiq;. Neq; mirandum id erit. diuina enim natura cum nostra illa humana non conueniet copulatione personali, neque nos erimus dii. Sed de Christo alia res est: in illo enim coniunguntur natura diuina & humana vnione personali, & hæc ab illa gestatur, ita ut possit esse ubiq;.

vbicq;. Hunc enim totum Christum non oportet di-  
uelli.

## XL.

*Apud ueteres nunquam fuit contentio de uero intellectu uerborum  
cœnæ. Igitur omnes figuratè intellexerunt.*

## CONFUTATIO.

Verum est apud ueteres de uerbis cœnæ nullam  
adeo magnam fuisse contentionem: & quamuis tem-  
pore Berengarii mediocris turba extitit, tamen sta-  
tim confopita est. Sed hinc non sequitur ueteres in-  
tellexisse uerba Christi in cœna figuratè. Hæc enim  
uocabula, figuratè, significatiuè, spiritualiter, tropicè,  
apud ueteres non fuerunt usurpata, ut errori Sacra-  
mentariorum patrociniùm darent, sed nunc primum  
à nouis Sacramentariis cum nouo intellectu in eccle-  
siam inuecta sunt. Sed uocabulum spiritualiter, sæpe  
apud eos reperitur, cum de spiritali sumtione loquun-  
tur. Causa uerò eius concordia apud ueteres fuit  
uerus intellectus iuxta simplicitatem uerborum Chri-  
sti, de uera & essentiali eius præsentia in sacramento,  
cum uero corpore & sanguine. Præterea testimoni-  
um habemus ipsius papatus à multis vsq; seculis.

## XLI.

*Patres etsi panem & uinum uocant corpus & sanguinem Christi,  
tamen nihil aliud significant, nisi panem & uinum esse signa corporis &  
sanguinis.*

## CONFUTATIO.

Contra hoc argumentum postea in confirmatione  
sinceræ nostræ doctrinæ de sacramento adducemus  
quosdam locos ex patribus, è quibus contrarium eui-  
denter probabitur.

n

XLII.

## DE SACRA.

## XLII.

*Augustinus rem fœdam uocat comedere carnem Christi corporaliter.*

## CONFUTATIO.

Non arbitramur ad eò fuisse incogitantem Augustinum, & ita dehonestasse carnem Christi, ut omnem sumtionem corporalem carnis Christi rem fœdam appellarit. Ac si maximè fecisset, non approbamus neque audimus hoc eius iudicium. Sed concedimus fieri posse, ut Augustinus hoc modo locutus sit de abusu corporalis sumtionis, cum accedunt homines ad sacramentum cœnæ sine spiritu & fide, tanquàm illora. Item de eo, quòd non diiudicatur sumtio corporis Domini, sed existimatur similis vulgari cibo. Item de contemptu spiritalis perceptionis quæ fit per fidem. Idem de Capernaitis, qui spiritalem sumtionem corporis Christi tantùm referunt ad corporalem, & sentiunt corpus Christi in cœna ita manducari, sicut alia caro, quæ conteritur dentibus, ita ut caro & sanguis gustu percipiantur.

## XLIII.

*Idem Christus qui è conspectu hominum assumtus est in cœlum, sic redibit, ut conspectus est ascendens. Inde enim expectamus eum liberatorem. Ergo non potest esse corporaliter in terris.*

## CONFUTATIO.

Christus visibiliter ascendit in cœlum, ita & redibit in nouissimo die. Non sequitur inde, non posse eum corporaliter esse in terris. Fortasse Christus verus Deus & homo, non est ita verax & potens, ut possit

possit esse ubi vult, & præstare suam promissionem de vera & essentiali præsentia in cœna? Denique Sacramentarii fingunt Christum esse impostorem, qui multa quidem promittat, pauca præstet.

XLIII.

*Stephanus uidit Christum in cœlo sedentem. Ergo non potest esse corporaliter in terra.*

CONFUTATIO.

Etiam si de Stephano non esset scriptum, tamen nemo dubitaret Christum in cœlo sedere. Sed quòd proinde non possit esse corporaliter in terra, fanaticum est, & est negare omnipotentiam Christi, accusare eum imposturæ & fraudis, veluti qui seruare nequeat, quæ in verbis cœnæ est pollicitus.

XLV.

*Corpus Christi fuit inclusum corpori Mariæ, pependit in cruce, id est cuit in sepulchro. Ergo non est immensum & ubiq;.*

CONFUTATIO.

Consequentia huius argumenti non est vera. Christus enim verus Deus & homo in vna persona, secundum suam omnipotentiam potest habere corpus immensum, ubi & quodocunque vult. Et hoc rursus est argumentum rationis, quæ planè occaecauit Sacramentarios, vt iam non possint verum ac congruentem honorem Christo & verbo eius tribuere.

DE SACRAM

XLVI.

*Christus promisit se fore in medio nostrum. Hæc promissio de spiritali præsentia intelligenda est. Ergo Christus in cœna corporaliter adesse nequit.*

CONFUTATIO.

Christus dupliciter se affuturum nobis promisit, spiritaliter & corporaliter. Spiritaliter semper est in sacramento. Iam propter spiritalem præsentiam non est prorsus excludenda corporalis: sicut propter spiritalem perceptionem corporis & sanguinis dominici quæ fit per spiritum & fidem, non est reiicienda illa sacramentalis seu corporalis.

XLVII.

*Si corpus Christi essentialè datur in cœna: igitur pariter à credentibus & non credentibus denoratur.*

CONFUTATIO.

De hac re nunquam disceptatum fuit in ecclesia, quin & credentes & non credentes essentialè & verum corpus Domini in cœna sumant. Sed hoc discrimine, vt soli credentes fiant participes vtilitatum & fructuum qui adhærent sacramento propter promissionem Christi. Sed non credentes non fruuntur his bonis.

Quòd autem non credentes accipiant corpus Domini in cœna, hinc manifestum est, quia primò ad Corinth. ii. dicit Apostolus, eos qui indignè sumant, reos fieri corporis & sanguinis Christi. Non dicit reos fieri panis & vini, tanquàm de externis elementis, sicut delirant Sacramentarii.

Ac triste esset, infidelitatem hominis veritatem & fidem Dei labefactare aut tollere posse, ad Romanos tertio.

Augu

Augustinus super hæc verba Iohannis, Iudas erat fur: De vno pane & Petrus & Iudas accepit, & tamen quæ pars fidei cum infidelis? Petrus enim accepit ad vitam, Iudas ad mortem. Qui enim manducat indignè.

Item contra Donatistas post collationem, capite septimo: Cum verò boni & mali, idem verbum Dei simul audiunt, & simul sacramenta Dei percipiunt, & tamen dissimiles habent suorum actuum causas, & dissimiles gerunt voluntatis diuersitate personas, eundem cibum sanctum, aliis manducantibus digne alias indignè, nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ.

Item super Iohannem, tractatu 27. Hæc autem omnia ad hoc prosunt nobis, ne carnem & sanguinem Christi edamus, & bibamus in sacramento, sicut multi mali faciunt, sed edamus & bibemus, & spiritua particeps fiamus, vt in corpore Domini maneamus, sicut membra, vt per spiritum suum fecundemur, & non scandalizemur: quoniam plurimi nunc sunt, qui sacramenta temporaliter edunt & bibunt, qui tamen finaliter æternam pœnam habebunt.

De hoc vide infra dicta quædam patrum, confirmantia sinceritatem doctrinæ nostræ de sacramento.

## XLVIII.

In confessione Augustanane unum quidem verbum est, quod cum nostra sententia pugnet. Ergo à sociis eius confessionis recipienda est.

## CONFUTATIO.

Paucis verbis Augustana confessio articulum cœnæ Domini agit, Sed tamen particula verè, non est

## DE SACRA

omissa, qua confirmatur nostra doctrina, quod corpus & sanguis Christi verè adsint in sacramento, & quidem corporaliter, iuxta præscriptum verborum cœnæ. Et hæc doctrina omnibus modis dimicat cum sententiâ Sacramentariorum, qui volunt corpus & sanguinem domini tantum spiritaliter adesse in sacramenta. Propterea Sacramentarii hoc prætextu non insinuabunt se in societatem eorum qui tuentur Augustanam confessionem.

Deinde in Apologia Confessionis est particula (essentialiter) qua excluduntur noua vocabula in ecclesiam à Sacramentariis inuecta, figuratè, significatiuè, spiritaliter, tropicè.

### XLIX.

*Si credatur Christus corporaliter adere in sacramento, non facile poterit conuelli & destrui opinio Papistarum de transsubstantiatione.*

### CONFUTATIO.

Papistica opinio de transsubstantiatione, seu tali conuersione panis in corpus Christi & vini in sanguinem Christi, vt nihil de pane & vino maneat reliquum, nisi externa accidentia, euidentissimè refutata est à nostris, antequam Sacramentarii suum errorem producerent, neque quicquam impedit nos fides nostra de corporali præsentia. Igitur illa Papistarum opinio etiam nunc sine vlllo impedimento huius nostræ sententiæ poterit confutari.

### L.

*Doctrina de corporali præsentia corporis Christi, occasio est ad idolatriam Papisticam. Ergo fugienda est, & reliquenda in medio.*

CONFV

Propter abusum non sunt reiiciendæ res bonæ & salutares. Licet enim Papistæ præsentia corporis Christi in cœna ad multiplicem idolatriam abusi sunt: tamen non est idcirco neganda seu reiicienda, utpote eiusmodi bonum, quod Christus per verbum suum nobis promisit. Vbi ergo abusus sublatus fuerit, securi erimus ab idolatria Papistarum.

LI.

*Si regulariter extra figuram dicatur Panis est caro: sequitur carum non et panem esse unius essentia. Quod ut caueatur, non est dicendum, Panis est caro.*

CONFUTATIO.

Consequentia huius argumenti nullum admittimus locum. Panis enim suam habet essentiam, & item caro suam. Ita in Christo diuina & humana natura non sunt unius essentia, etsi scriptum est, Et verbum caro factum est. Item cum spiritus sanctus in specie columbæ descenderet de cœlo, ibi natura diuina non murata est in assumptam. Sicut neque angelorum substantia in substantiam aliquandiu assumptorum corporum transmutata est. Hac de re supra etiam dictum est satis in confutatione decimiseptimi argumenti.

LII.

*Quod non est utile, non est verum. Doctrina de præsentia corporis Christi non est utilis. Ergo simul non est vera.*

CONFUTATIO.



DE SACRA  
CONFVTATIO.

Doctrinam de corporali præsentia in sacramento non esse vtilem, horribilis est blasphemia. Non enim damnosam, sed frugiferam & vtile esse ne cesset, quod Christus instituit. Vbi porro remaneret fructus per promissionem Christi sacramento annexi, nisi essentialis, vera & corporalis esset præsentia corporis & sanguinis eius in cœna? Propter harum enim rerum gloriam adhærent illi fructus sacramento.

Deinde & hæc propositio per se est falsa, nihil esse verum, nisi quod sit vtile simul. Multæ enim res inutiles simul sunt veræ. Ita inutilis aliquis & garrulus sacramentarius, nihilominus est verus homo.

Sed hoc argumentum etiam in ipsos Sacramentarios retorqueri commodè potest, quoniã doctrina eorum turbat ecclesiam, & ipsi sunt perniciosi turbatores, neque quicquam utilitatis pariunt: igitur eorum doctrina merito falsa, & ipsi falsi doctores nuncupantur.

LIII.

*Promissio de inhabitatione Christi in nobis, peculiaris est promissio, pertinens tantum ad credentes. Soli ergo credentes fruuntur ipso Christo in cœna.*

CONFVTATIO.

Si hoc argumentum tantum intelligendum est de promissis fructibus sacramenti, concedimus illud. Sed non credentes non sumere corpus & sanguinem Christi (quanquam ad iudicium) nequaquam permittimus Sacramentariis integrum. Qua de re supra in refutatione quadragesimi sexti argumenti diximus copiose.

LIIII.

LIII.

Doctrina in qua multa sunt inconuenientia, non est uera. In doctrina de Christi presentia corporali, multa sunt inconuenientia. Ergo non est uera.

CONFUTATIO.

Multæ res inconuenientes nihilominus per se sunt ueræ, ita ut sint figuræ & umbræ. In doctrina autem de corporali presentia Christi multa esse inconuenientia, horribilis est contumelia in Deum. Christus enim sui corporis presentiam in cœna nequaq̃ instituit rem inconuenientem, idque quoad fidem. Sed quod ad rationem sapientiamq̃ humanam seu philosophiam attinet, concedimus totum argumentum. Coram his enim Sectariis non debet esse uerum, sed absurdum & inconueniens, Christum uero suo corpore & sanguine esse in Sacramento.

LIV.

Absurdum est audire, corpus et sanguinem Christi posse esse ubique.

CONFUTATIO.

Absurdum est coram ratione, sed non coram fide. Hæc enim credit, quod illi Sectarii comprehendere & intelligere non possunt.

LVI.

Contumeliosum est in doctrinam Christi, corpus illius inclusum esse terrenis elementis. Ergo est ignominia afficere Christum, quando corporaliter dicitur esse in pane.

CONFUTATIO.

Si nos homines sine uerbo & mandato Christi includeremus corpus eius terrenis elementis, male faceremus, peccarimus in doctrinam Christi & maxime

## DE SACRA

ma eum afficeremus ignominia. Sed quia ipse suo se verbo includit, danda est bono viro venia.

### L VII.

*Quaecumque doctrina est contraria scripturae, falsa est. Si corporalis praesentia in coena defenditur, necesse est multos scripturae locos sibi contrarios fieri. Ergo hic error merito est reiiciendus.*

### CONFUTATIO.

Doctrina de coena non est contraria scripturae. Nusquam enim haec negat corporalem praesentiam corporis & sanguinis Christi in coena, imò testatur hoc esse verum. Christus enim non est fallax. Quòd autem Sacramentarii contraria scripturae introducunt, dum indulgent suis imaginationibus, id falso ipsorum intellectui tribuendum est. Aliàs constat sibi perpetuò scriptura, utpote quam spiritus sanctus, autor omnis consensionis & pacis, Prophetis, Evangelistis & Apostolis scribendam inspiravit. Si ergo Sacramentarii intellectum dictorum scripturae accommodarent verbis Christi in coena, nullam reperturi essent contrarietatem, sicut Dei beneficio, nos non reperimus.

### L VIII.

*Contrariae sunt propositiones Christus relinquens mundum, una cum carne sua assumptus est in coelum. Et, Christus una cum carne sua est in pane vel sub pane.*

### CONFUTATIO.

Haec duae propositiones, quas citat argumentum, non sunt inuicem contrariae, quo ad fidem, sed quo ad rationem, quae ne latum quidem unguem una cum

cum forore sua humana sapientia intelligit in causa vere religionis. Neque Christus ita ascendit in cœlum, ut iuxta verba sua verissima non possit simul esse in sacramento. Non arbitramur Christum fraudulenter ac dolose nobiscum agere. Denique ubi negatur omnipotentia Christi, necesse est multa sequi alia incommoda, aliumque ex alio nasci errorem. Mirabiles videntur nobis Sacramentarii, qui concedunt sanè Christum esse potentem, & multa posse, sed non omnia, secundum suam omnipotentiam.

## LIX.

*Et hæc propositiones sunt contrariæ. Caro Christi est invisibilis in celo. Et, Caro Christi invisibiliter & insensibiliter manducatur sub pane.*

## CONFUTATIO.

Pugnancia harum propositionum tantum pertinet ad rationem. Sed fides optimè comprehendit carnem Christi esse sub pane invisibiliter & insensibiliter. Quid, obsecro, est impossibile Christo, in vna natura vero Deo & homini? Absit à nobis illa Sacramentariorum videndi & sentiendi appetitio. Si enim sensu & visu solo fidendum esset, quid futurum nobis esset de religione reliquum? Omnia incerta, dubia, desperata. Si enim carnem Christi in cœna sentire postulamus, deinceps etiam fidem, dilectionem, spem, & alias virtutes sentire postulabimus. Porro quæ sentiuntur & tanguntur, subiecta sunt quinque sensibus exterioribus, cum quibus nihil rei est fidei.

## LX.

*Non est consentaneum veritati, Christum qui habet carnem & ossa sine carne & ossibus manducari in cœna.*

DE SACRAM

CONFUTATIO.

Hoc argumentum est impiū: negat enim veritatem, hoc est, verbo diuino consentaneum esse, Christum habentem carnem & ossa sumi in cœna sine carne & ossibus. Sed ita dicendum est, Non est consentaneum rationi seu philosophiæ. Et de hoc nobis gratulamur: Istos enim Sectarios non est fas quicquam rectè nosse vel intelligere de cœna dominica, tantumquam Sacramento fidei.

LXI.

*Multis magnis & doctis uiris placet nostra sententia. Ergo est uera & bona.*

CONFUTATIO.

Concedimus omninò, homines philosophos, sapientes & eruditos suæ rationis ductu magis inclinare ad Sacramentarios. Essentialis enim & uera præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna, aduersatur toti sapientiæ & rationi humanæ. Inde fit ut tantò numero uiri docti, Sapientes, Philosophi, Sacramentariorum sequantur partes. Sed bone Deus, quid faciendum est? Sequamur doctrinam apostoli qui dicit: Mortificate sensum carnis vestræ in obsequium Christo.

SEQUUNTUR ALIA ARGV

menta recentiorum Sacramentariorum,  
vnà cum confutatione singulorum.

I.

*Christus tantum est in cœna, quatenus est simul uerus Deus & uerus homo, duas habens naturas in eadem persona. Ergo secundum humanitatem suam realiter & uerè adesse nequit.*

CONFV

Hoc argumentum concedit Christum vnā illam personam duarum naturarū esse in cœna, sed tantum secundum diuinitatem suam, secundum quam & aliās est vbiq;. Negat autem hoc argumentum corporealem præsentiam in cœna, iuxta simplicem intellectum verborum Christi, Hoc est corpus meum, id est, hoc ipsum corporeum (vt ita loquamur) corpus, quod pro vobis traditur.

Ac rursus hæc noua est forma loquendi in ecclesia, Christum ad prædictum modum esse in cœna. Propterea merito suspecta nobis est, & nullo modo approbanda.

II.

*Panis est communicatio cum corpore. Ergo communicatio non est corpus Christi.*

CONFUTATIO.

Non dicit Paulus, panem esse communicationem seu sumtionem cum corpore Christi: sed communicationem seu sumtionem ipsius corporis Christi. Igitur qui comedit hunc panem, ipsum corpus Christi comedit, & fit vnus cum Christo, vt ipse maneat in nobis, & nos in ipso.

III.

*Panis tantum est communicatio, qua nobis communicatur corpus Christi. Ergo panis non est corpus.*

CONFUTATIO.

Non dicitur ab apostolo simpliciter & nudè, panem tantum esse communicationem: sed communicationem corporis Christi. Et hæc communicatio non potest esse simul sine sumtione corporis Christi.

## DE SACRA

Qui ergo manducat panem ad communicandum corpus Christi, simul manducat corpus.

Deinde panis non tantum appellatur communicatio corporis Christi, quod per eum communicatur nobis corpus Christi tanquam per medium siue instrumentum, quo applicetur nobis communicatio corporis Christi, vt siamus cum eo vnum corpus: sed vbi manducatur hic panis, ibi simul manducatur corpus Christi. Et hoc argumentum eò solum modo tendit, vt spiritalis communicatio, qua efficimur membra regni Christi, per illud confirmetur.

### IIII.

*Christus in sacramento tantum exhibet se nobis & beneficia, ac merita sua. Ergo sumtio intelligenda est spiritalis.*

### CONFUTATIO.

Christus non tantum exhibet se nobis cum beneficiis ac meritis suis in sacramento, sed etiam exhibet ipsum corporeum corpus iuxta emphasin verborum suorum, Hoc est corpus meum. Proinde sumtio sacramenti non est tantum de spiritali sumtione intelligenda.

### VERA ET INCORRUPTA DO-

*ctrina de vera & essentiali praesentia corporis & sanguinis Christi in coena, quemadmodum in nostris ecclesiis traditur.*

Harum regionum ecclesiae vno consensu docent, Christum iuxta suorum verborum certissimam veritatem, adesse in coena, cum vero & essentiali corpore & sanguine suo, non figurate, non significatiue, non tropice, nec spiritaliter tantum.

## TESTIMONIA SCRIPTURAE.

Sic scribunt Euangelistæ vnanimè. Iesus Christus in ea nocte qua traditus est, accepit panem ac dedit discipulis suis dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum & deinceps.

In his verbis cœnæ duo sunt consideranda potissimum. Substantia cœnæ & vsus. Et hæc duo prudenter sunt discernenda: quod cum non faciant Sacramentarii, potentissimè ad suum errorem perpelluntur. Dum enim in solum vsum oculos intendunt, substantiam interim negligunt.

Secundò, mentio fit hoc loco panis & vini, corporis & sanguinis, quæ certè sunt res corporales, & non figuratæ, significatiuæ, tropicæ ac spirituales.

Tertiò. Quoniam igitur hoc loco tantum fit mentio rerum corporalium, certè etiã manducatio & potio non potest aliter intelligi, quàm de corporali, qua tamen spiritalis illa manducatio & potio corporis & sanguinis Christi, quæ fit per fidem, & de qua Christus docet Iohan. 6. nequaquã tollitur, Sacramentarii vero propter spiritalem functionem tollunt sacramentalem & corporalem, cum quidem vtraque functio sit ordinatio Christi.

Quartò. Temeraria est fraudulentia, ipsum scilicet corpus & ipsum sanguinem figuratè & similibus modis intelligere & interpretari.

Quintò. Non congruit, Christum tradidisse pro nobis in mortem corpus figuratum, significatiuum, tropicum, & spiritale, in remissionem peccatorum. Neque etiã eiusmodi sanguinem effudisse pro nobis consentaneum est. Sed verum & essentialè corpus suum  
pro



## DE SACRĀ.

pro nobis obtulit, verum & essentialem sanguinem pro nobis effudit.

Item in priore ad Corinthios capite decimo Paulus inquit: Panis quem frangimus, nonne is est communicatio seu sumtio corporis Christi? Græcū enim vocabulum quo utitur ibi Paulus ratione phraſeos significat & communicationem & sumtionem. Et calix benedictus quo benedicimus, nonne is est communicatio sanguinis Christi? Non dicit apostolus: Panis quem frangimus, nonne is est communicatio panis? Calix quem consecramus nonne is est communicatio vini? Sed est communicatio, inquit, seu distributio corporis & sanguinis Christi. Talis communicatio panis & vinum esse nequeunt, vbi vid. licet corpus & sanguis Christi tantum figuratè, significatiue, tropicè & spiritualiter adsint in cœna.

Ibidem cap. ii. Dominus enim Iesus, in ea nocte qua traditus est, accepit panem, & postq̄ gratias egisset, fregit ac dixit: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hoc facite in mei memoriam. Similiter & poculum postq̄ cœnauit, dicens: Hoc poculum est nouum testamentum in meo sanguine. Hoc facite quoties biberitis, in mei memoriam. Et eadem postea repetit, loquens de vera & essentiali præsentia corporis & sanguinis Christi.

### TESTIMONIA E SCRIPTIS

Patrum.

Tertullianus lib. de resurrectione carnis. Caro corpore Christi vescitur, vt & anima de Deoagine-

Idem,

Idem, contra Marcionem, vocat panem corpus suum.

Ibidem. Etsi Christus panem figuram corporis sui dederit, tamen postea panem pro corpore suo exposuit.

Ibidem. Professus itaque se concupiscentia edere Pascha, ut suum (indignum enim erat, ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei: figura autem non fuisset nisi veritatis esset corpus.

Ibidem contra Marcionem, lib. 4. In cœna est corpus Christi.

Ibidem. Sic sanguinem in vino sanctificauit, qui prius vinum in sanguine præfigurauerat.

Ibidem lib. 5. Supra demonstrauius contra scismatum corpus Marcionis, quod sacramentum panis & calicis, sint veritas corporis & sanguinis Domini.

Origenes in Exodum. Homelia 13. & capite 25. Volo vos admonere religionis vestrae exemplis: nostis, qui diuinis mysteriis interesse consueistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione seruat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur.

Ibidem. Hic communis panis, in carnem & sanguinem Christi mutatus, adfert corporibus nostris vitam.

Cyprianus lib. 1. Epistolarum, epistola secunda. Ut quod excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & rudes relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus. p Idem

DE SACRA

Idem in concione de carne, sæpius mentionem facit præsentie veri corporis & sanguinis Christi.

Idem sermone quinto de lapsis. Quidam à diaboli aris reuertentes, ad sanctum domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt, mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, domini corpus inuadunt. Cum apostolus dicat non potestis calicem domini bibere & calicem demoniorum. Idem contumacibus & peruicacibus comminatur, dicens: quicumq; ederit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis diuini. Spretis his omnibus & contentis, vis infertur corpori eius, & sanguini eius. Plus modo in dominum manibus atq; ore delinquant, quam cum dominum negauerunt.

Idem, in Homelia de cœna Domini. Panis iste quem dominus discipulis porrigebat non effigie, sed natura mutatus omnipotentia uerbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad ueritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus usq; ad participationem spiritus, non quòd usq; ad consubstantiam Christi, sed usque ad societatem germanissimam eius hæc vnitas peruenisset.

Ibidem. Noua est hæc doctrina sacramenti, & scholæ euangelicæ hoc primum magisterium protulerunt & doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiquæ autoritas strictissimè interdicat. Au

Augustinus in Apologia ii. pro Christianis. Non vt vulgarem panem, & vulgare poculum hæc sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus seruator noster carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per verbum precationis & gratiarum actionis sacramentum ab ipso alimentum, quæ mutata nutrit nostras carnes, & sanguinem illius incarnati Iesu carnem & sanguinem esse didicimus. Nam Apostoli in suis scriptis, quæ vocantur euangelia, sic sibi mandasse Iesum tradiderunt, sumto pane actisq; gratiis dixisse. Hoc facite in mei memoriam, Hoc est corpus meum: similiter sumto poculo actisq; gratiis dixisse. Hic est sanguis meus, & solis ipsis communicasse.

Hilarius lib. 8. de trinitate. Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit.

Ibidem. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; verè sub ministerio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietatis perfectæ sacramentum trinitatis.

Ibidem. De veritate sanguinis & carnis non reliquus est ambigendi locus: nunc enim & ipsius domini professione, & fide nostra, caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta & hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. p 2 Idem

## DE SACRA

Idem alibi. Attende, quòd panis qui à nobis editur sub misterijs, non tantum figura sit carnis, sed res ipsa caro Domini.

Irenæus lib. 4. contra Valentinum, capite vicesimo secundo. Quemadmodum enim qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus consistens, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia: sed habent spem resurrectionis.

Ibidem lib. 5. pag. 294. Vani autem omni modo, qui vniuersam dispositionem Dei contemnunt, & carnis salutem negant, & regenerationem eius spernunt, dicentes, non eam capacem esse incorruptibilitatis: sic autem secundum sanguinem suum redemit nos.

Ibidem. Cum calicem, qui est creatura suum corpus confirmauit, ex quo nostra auget corpora. quando ergo & mixtus calix, & fructus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia.

Ibidem. Quomodo negant carnem capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur?

Ibidem lib. 4. pag. 137. Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem deuenire, & non percipere. Naua etià à corpore & sanguine Domini alitur?

Augustinus in Psal. 37. Et ferebatur in manibus suis. Hoc, Fratres, quomodo posset fieri in homine  
quis

quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam, non inuenimus: in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illum in manibus suis.

Idem, Homelia 2. in Psal. 33. Accederunt Iudæi ad Christum, ut crucifigeretur, nos ad eum accedamus, ut corpus & sanguinem eius accipiamus. Illi de cruce fixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum & bibendo illuminamur.

Ibidem. Verè magnus dominus, & magna misericordia eius, qui dedit nobis manducare corpus suum, in quo tanta perpeffus est, & sanguinem bibere.

Idem ad inquisitiones Ianuarii, cap. 6. vel epistola 118. Liquidò apparet, quando primum acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Sed spiritui sancto placuit, ut in honorem huius sacramenti, prius corpus Domini ingrederetur os Christiani, quam alii cibi.

Idem ad Bonifacium epistola 23. Sacramentum corporis Christi, est corpus Christi, & sanguis Christi.

Idem lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 25. Qui corpus & sanguinem Christi in Sacramento edunt & bibunt.

Ibidem cap. 37. Aliud est pascha, quod Iudæi adhuc de oue celebrant, aliud quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.

DE SACRA

Idem lib. 3. de trinitate cap. 4. Corpus & sanguis Christi illud est, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, vtile sumimus ad salutem spiritalem, in memoriam dominicæ passionis pro nobis. Dominus noster Iesus, commendavit nobis corpus & sanguinem suum, de eiusmodi rebus, quæ ~~malis~~ ad ~~malis~~ trahuntur.

Idem. Epist. la 18. Faciat vnusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum: neuter enim horum dehonestat corpus & sanguinem Domini, modo vtrique saluberrimum sacramentum honorare certatim contendant.

Idem in lib. contra Fulgentium Donatistam. Sicut qui manducat & bibit sanguinem domini indigne, iudicium sibi manducat & bibit: sic & qui accipit indigne baptismum, iudicium accipit, non salutem. Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon magnus bonum baptismum Christi percepit: sed quia bono bene vsi sunt, mali male vtendo deleti sunt. Bonum est Christi corpus & sanguis, bona est lex, sed si quis legitime vtatur.

Idem ad Glorium, epistola 162. Qui Sancti vnus fuerunt sub vtroque testamento, qui in communionem suam non essent passi malos. Imò dominus ipse patitur ludam, diabolum, furem, & proditorem suum. Item permittit ludam accipere inter innocentes, quod fideles solum norunt, nimirum precium nostrum.

Idem lib. 5. contra Donatistas, de baptismo. Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo præbuit: sic indigne quisque sumens dominicum sacramentum non efficit, vt quia ipse malus, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Cor

pus enim domini, & sanguis domini nihil minus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus. Qui indignè edit.

Idem ad Casulanum, contra quendam nomine Urbicū ostendit, quomodo etiam sanguis Christi in cœna acceptus sit, & quomodo utraq; species etiam infantibus data sit.

Idem monet ad Bonifacium, epistola 23. Et 107. ad Vitalem Cartaginensem 10.

Idem de verbis Domini, in euangelium secundum Lucam, sermone 28. Memini sermonis mei, cum de sacramento tractarem, dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur panis dicatur: ubi verò Christi verba deprompta fuerunt, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.

Idem lib. 3. de trinit. cap. 4. Quod sanctum sit hoc sacramentum, unde accidat: quod scilicet corpus & sanguis cum per manus hominum ad illam visibilem formam producit, sanctificatur, & sit tam magnum sacramentum, operante inuisibiliter spiritu Dei.

Idem super Ioh. tract. 59. Apostoli manducant panem Domini. Iudas verò panem Domini, contra Dominum. Illi vitam, ille pœnam. Qui enim manducat indignè.

Idem super Ioh. tract. 27. Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi, & sanguinem Christi, non edamus tantum in sacramento, quod & multi mali faciunt.

Idem in sermone ad Neophytos. Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, & hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere.

Idem, alio in loco. Quod vides in Altari panis &



## DE SACRA

calix est, quod nobis etiam renunciant oculi. Quod autem postulat fides instruenda, panis corpus est Christi, & vinum sanguis est Christi.

Idem ad Iulianum comitem: Vnusquisque ante corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi accipiat, probet seipsum.

Idem, sermone de tempore 205. Videte Fratres charissimi, si iustum est, ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi si venenum diaboli proferatur.

Idem in libro contra Adimantum cap. 12. Non enim dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui.

Idem de verbis Apostoli, sermone 18. Scelera & crimina omnes vitare debent, qui accipiunt corpus Christi, & sanguinem.

Idem in sermone Domini 49. Qui manducant carnem Domini, & bibunt sanguinem eius, cogitent quid manducant, & quid bibant.

Ibidem. Qui uxores nondum habetis, & tamen ad mensam Domini acceditis, & carnem Christi manducatis, & sanguinem bibitis.

Præterea licet passim reperire apud Dium Augustinum, sequentes & similes loquendi formas, in testimonium præsentiae corporis & sanguinis Christi in cœna.

Dare sacramentum corporis & sanguinis.

Dare carnem suam manducandam, & sanguinem suum bibendum.

Erogare corpus Christi.

Accipere corpus & sanguinem Christi.

Comunicare corpori & sanguini Domini.

Participem fieri corporis & sanguinis Christi.

Bibere quod de Christi latere manauit.

Pascha in corpore & sanguine Domini accipere

Corpus & sanguinem Christi in sacramento man-  
ducare & bibere.

Honorare corpus Domini.

Christus portabatur in manibus suis.

Ferebat in manibus suis corpus suum.

Corpus Domini malè tractare.

Corpus Christi in terram cadere.

Corpus Dominicum in os intrare.

Corpus Christi in os ingredi.

Chrysostomus . Homelia 51. in 14. cap. Matthæi.

Corpus Christi nobis propositum est, non tantum vt  
illud tangamus, sed etiam edamus & saturi fiamus.

Ibidem. In fine accedere ad Christum, significat  
non solum propositum suum accipere; sed multò ma-  
gis puro corde tangere.

Ibidem. Nullum est discrimen inter cœnam Chri-  
sti, & nostram, quam nos celebramus: quia nostra  
non ab hominibus: hæc verò à Christo præparatur:  
quare cum vides presbyterum tibi porrigere corpus,  
non putes hoc tibi de manu presbyteri porrigi, sed  
de Christi manu.

Idem de dignitate presbyterorum. O ingens mi-  
raculum, ô magnam Dei benevolentiam erga nos, is  
qui sedet supra cum patre, illa hora omnium mani-  
bus detinetur, & dat se volentibus circumdare & am-  
plecti.

Idem in Homelia de prodicione Iudæ. Et nunc

q      ille

DE SACRA

ille præsto est Christus, qui illam ornauit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit & sanguinem, sed ille qui crucifixus est pro nobis Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia. Hoc est, ait, corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur. Vex illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ, usque ad hodiernum diem, & usque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.

Ibidem. Qui hoc quod maius est pro te dedit, nimirum vitam suam: cur hic detrectaret tibi corpus suum dare?

Ibidem. Carnem suam nobis dedit, & seipsum oblatum nobis proposuit.

Idem, Homelia 83. in vicesimo sexto capite Matthæi. Si tu non audes à sacramento illos arcere, dicas mihi, ego non patiar, & prius vitam meam tradam, & sanguinem meum effundi sinam, quam ut alicui corpus Domini indignè porrigam, & sacratissimum sanguinem alijs, quam dignis comunicem.

Ibidem. Credamus itaque vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur. Non illa quæ ante nos iacent solummodò aspicientes, sed verba quoque eius tenentes, nam verbis eius defraudari non possumus: sensus verò noster deceptu facilissimus est: illa falsa esse non possunt: hic sæpius atque sæpius fallit: quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus.

Cyrill

Cyrillus in 15. cap. Iohannis, super verba. Ego sum vitis vera. An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis fiat, non ne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare?

Idem in cap. 6. Iohannis. Nam cum oporteret eos, qui diuinam virtutem saluatoris ac potestatem signorum miraculo perceperunt, sermonem eius libenter suscipere, & si qua difficilia videbantur, eorum solutionem quærere: contra omninò faciunt & dicunt: Quomodo potest hic carnem suam nobis dare? De Deo non sine magna impietate conclamant, nec illis in mentem venit, nihil esse impossibile apud Deum. Sed nos magnum quæso à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes, nunq; in tam sublimibus rebus, aliud quomodo aut cogitemus, aut proferamus: Iudaicum enim hoc verbum est, & iudicij extremi causa. Ideò Nicodemus etiam cum diceret, quomodo hæc fieri possunt: meritò audiuit. Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras. Aliorum igitur, vt diximus culpa perdocti, cum Deus operatur, non quæramus quomodo, sed operis sui viam atq; sententiam illi soli concedamus. Vide ibidem plura apud Cyrillum, quomodo opera Dei non secundum rationem iudicanda sint, sed secundum omnipotentiam suam.

Vulgarius in Matthæum. Non enim dixit, Hoc est symbolum, sed hoc est corpus meum, demonstratue, ne quis putaret ea quæ cernuntur, typum esse.

Idem, in Marc. Cum benedixisset, hoc est, gratias egisset, fregit panem, id quod etiam nos facimus, pres

DE SACRA

ces adiungendo. Hoc est corpus meum, hoc inquam quod sumitis. Non enim figura tantum & exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed in illum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dicit: Panis quem ego dabo, caro mea est, non dixit, figura est carnis meæ, sed caro mea est.

Ibidem. Nisi ederitis carnem filii hominis. Et quomodo, inquis, caro non videtur? O homo propter nostram infirmitatem istud fit, quia enim panis quidem & vinum ex his sunt, quæ assueuimus ea non abhorremus, sanguinem verò propositum & carnem videntes, non ferimus, sed abhorremus. Idcirco misericors Deus, nostræ infirmitati condescendens, speciem quidem panis & vini seruat, in virtutem autem carnis & sanguinis transelementat.

Ambrosius in tripartita historia libro. 9. cap. 30. Quomodo manus extends, de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum domini Corpus? Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis preciosi percipies, quando furore verborum tuorum, tantus iniuste est sanguis effusus? Et sunt hæc verba Ambrosii contra Imperatorem Theodosium, qui Thessalonice septem millia, non audita & cognita causa occidit.

Idem, de sacramento. Hic panis ante verba sacramenti, est vsitatus panis. Vbi verò accedit consecratio, fit ex pane corpus Christi.

Ibidem. Ideò fit ex pane corpus Christi, & vinum sanguis per consecrationem cœlestis verbi.

Hieronymus in 3. cap. Sophoniæ. Sacerdotes qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem Domini populo eius diuidunt.

Idem

Idem, aliò in loco. Nemo opulentior fuit exuperio Episcopo Toletano, qui corpus Domini, canistro vimineo portauit, & sanguinem eius in vitro.

Idem contra Heluidium. Ita Iesus erat conuiuia, & celebrabat conuiuium, vt simul ederet, & ederetur.

Bernhardus in concione de cœna Domini. Sæpe accedunt ad altare Domini, ita quod Deum suum manibus & ore tangant.

Leo Papa in concione 6. de ieiunio. Ita sacramenta vti debetis, vt prorsus non dubitetis de veritate corporis & sanguinis Domini. Hoc enim ore accipitur, quod fide creditur.

### CONCILIVM TOLE- tanum.

Articuli fidei ante orationem Dominicam alta voce leguntur, vt vera fides manifestetur, & testimonium habeat, & vt populi corda, ad accipiendum corpus & sanguinem Christi, per fidem purificentur.

Beda. Finitis Pasce veteris solemnitis, transiit ad nouum, quod in suæ redemptionis memoriam, ecclesiam frequentare desiderat: pro carne agni & sanguine, suæ carnis sanguinisq; sacramentum, in panis & vini figura substituens.

Gregorius Nisenus. Panis ante consecrationem, est communis panis: sed post consecrationem, fit per ministerium, & appellatur corpus Christi.

Hæc & similia dicta in scriptis Patrum passim occurrunt, quorum adiecissemus etiam plura, nisi magnitudo huius commentarii nos deterruisset.

Eadem nos causa prohibuit, quò minus refutemus Sacramentarios, qui & ipsi ex hoc acerto dicuntur

## DE SACRA

ctorum quædam pro se vsurpant, sed eam refutationem ad aliud tempus referuabimus.

Cum autem Sacramentarij in primis inflectant ad suam opinionem sanctos Patres, & maximè excellentissimum Ecclesiæ doctorem Augustinum, operæ precium nos facere duximus, si ascriberemus confutationem Lutheri ex eo libello, cui titulus est, Quod hæc verba Christi, Hoc est corpus meum, consistant adhuc immota.

Postremò, inquit, ex Patribus vnum atq; alterum dictum tractabimus, vt videamus, quomodo ab Oecolampadio accipiantur. Augustinum quidem persuaserunt sibi totum esse suum, quia sæpe vititur vocabulis mysterium, sacramentum, signum, inuisibile, intelligibile. Sed tamen Oecolampadius nihil certi inde potest concludere, sicut profitetur quidem se certam obtinere veritatem. Etsi enim sæpe dicit Augustinus, panem in cœna esse sacramentum & signum corporis Christi, non idcirco Oecolampadius conuicit, tantum adesse panem & non corpus Christi, cum dici vitq; possit, corpus Christi adesse inuisibiliter sub signo visibili: sicut idem Augustinus dicit: Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma.

Quo in loco Augustinus declarat se ipsum suis verbis quid sibi velit, cum ponit has voces, sacramentum, signum, inuisibile, intelligibile, & longè aliter ea declarat quàm Oecolampadius. Non enim dicit Augustinus sacramentum esse figuram siue signum rei futuræ seu absentis, quales sunt res & historiæ veteris testamenti, sed formam præsentis, & tamen non apparentis rei. Cum igitur ipsum Augustinum habeamus

mus suorum verborum interpretem, nihil est opus aliena expositione. Quoties ergo Augustinus utitur his verbis, sacramentum vel signum corporis & sanguinis Domini & similibus, fortiter pugnat nobiscum contra fanaticos, & vult panem & vinum esse formam visibilem corporis & sanguinis sui inuisibiliter presentis. Oecolampadio autem incumbit hæc probatio, quod Augustinus hoc loco utatur vocabulo sacramenti & similibus pro signo rei absentis siue future, quod ipse de suo ingenio comminiscitur, & falso tribuit Augustino. Si probauerit cedemus ei. Nos, ut dictum est, ipsius Augustini audimus declarationem. Itaque cum multa dicta allegant ex Augustino, ubi eiusmodi forma loquendi usus est, ut dicat, panem esse sacramentum siue signum corporis, & oportere corpus intelligi inuisibile & spiritale: nihil aliud agunt, quam ut nobis arma suppeditent, quibus eos feriamus, quasi non simus alioqui satis armati.

Quid porro respondebunt ad dictum Augustini, quod extat ad Ianuarium epist. 118. Manifestum est discipulos, cum primum sumerent corpus & sanguinem domini, non sumisse ieiunos, sed placuit spiritui sancto, ut in honorem huius sacramenti, corpus Domini prius infereretur in os Christiani, quam ceteri cibi.

Adeste expositores, exponite nobis hoc dictum. Hoc loco Augustinus coenam nominat sacramentum, & tamen dicit, discipulos sumisse corpus & sanguinem Domini in sacramento. Item corpus Domini prius esse inferendam in os Christiani, quam ceteros cibos, in honorem huius sacramenti. Quid significat hoc loco os Christiani? Quid significat, corpus  
Chri



## DE SACRA.

Christi inferi, prius in os quàm ceteros cibos? Idq̄ fieri in hoc sacramento. Tandem ne satis conspicuum erit, quid sibi velit Augustinus per vocabulum sacramenti? an ne adhuc intelligendum est, vacuum & inane signum rei absentis. Quid significat corpus Domini? significat ne particulam panis, aut est ne particula panis? Hic est nodus, quòd Augustinus sacramentum corporis & sanguinis vocat externam & visibilem formam, sub qua inuisibile corpus & sanguis Christi verè adest, accipitur ac inferitur ori corporaliter, sicut alii cibi visibiles & corporales. Item Psalmo tricesimo tertio dicit Augustinus, Christus gestabatur suis manibus, cum daret corpus suum discipulis dicens, Hoc est corpus meum. Idem illud corpus inquam suis gestabat manibus.

Hoc cœne dictum  
est obscu-

rum?



# DE OSIAN DRICIS.

151



ANDREAS OSIAN DE R  
citra omnem controuersiam  
vir doctissimus fuit, & non  
tantum in vna vel altera sci  
entia, sed in omni genere do  
ctrinæ exercitissimus: adeo  
vt ferè in vniuersum de om  
nibus rebus prudenter loqui  
& iudicare potuerit. Dein

de & linguarum cognitione excelluit, & eloquentiæ  
donum habuit mirificum & singulare. Sed simul eti  
am habuit suos n̄uos & vitia, quemadmodum &  
nos cœteri ( in hac enim vita nemo sine infirmitate  
viuit ) de quibus notum est multis, neque necesse est  
nunc post eius mortem ea recensere. Semper autem  
in hac tanta suorum donorum amplitudine, simul  
fuit admirator sui ipsius, & pertinax in suis opinio  
nibus, quas semper præposuit aliorum iudiciis, &  
semper suas quasdam priuatas opiniones habuit,  
quas longum tempus artificiosè potuit velare & te  
gere, ne in lucem euolarent: donec tandem in eum  
venit locum, vbi largissimam occasionem & pote  
statem arripuit sua effundendi tot annos sepulta dog  
mata, quæ si vixisset Lutherus, fortasse cum ipso fuis  
sent emortua & sepulta.

Igitur exemplo huius tanti viri confirmantur  
hæc vsitata prouerbia. Doctum esse necesse est, qui  
r mag

## DE OSIANDRA

magnam hæresin excitabit. Quo quis doctior, eo peruerfior. Et contra. Nemo stultus seu indoctus excitat magnam hæresin. Parum doctus, parum gignit erroris.

Duo sunt autem percipui errores Osiandri. Primus, quod iustificemur essentiali iustitia Dei; nec agnoscit ullam aliam iustitiam, qua coram Deo iustifimus aut efficiamur. Imò in eam vergit opinionem, quòd nulla res possit esse iustitia nostra, sed tantum tres personæ Deus pater, & filius & spiritus sanctus. Sic enim loquitur in confessione sua, & alibi passim. Essentialis iustitia Dei quæ est ipse Deus, nostra est iustitia. De hoc primo errore Osiandri primum agemus, postea veniemus ad alterum.

### ARGUMENTVM OSIANDRI pro suo primo errore.

Jeremiæ vicesimo tertio. Ecce dies veniunt dicit Dominus, suscitabo David germen iustum, & regnabit rex, & prospere aget, & iudicium ac iustitiam stabiliet in terra. In illo tempore saluus erit Iuda, & Israel habitabit secure. Et hoc erit nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustitia nostra. Et ponitur in eo loco magnum nomen Domini, quod nihil aliud significat, quàm ipsam essentiam diuinam in Christo, ita ut simplex sit sententia Prophetæ, quasi dicat: Essentia diuina est nostra iustitia.

Jeremiæ 33. Et vocabunt eum iustitia nostra.

Ad Rom. 1. Reuelatur in eo iustitia Dei.

Ibidem cap. 3. Iam sine lege manifestata est iustitia Dei.

Psalmo 74. Redime me per iustitiam tuam. Item.

Os meum annuntiabit iustitiam tuam. Item iustitiam tuam prædico solius. Item lingua mea meditatur quotidie iustitiam tuam.

1. Corin. 1. Qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio.

### CONFUTATIO PRAECIPVI

erroris Osiandri.

Et nos Dei beneficio mediocriter sane, ne quid arrogantius dicere videamur, euoluimus scripta Patrum, neque sunt nobis ignoti recentiorum scriptorum libri. Sed reperire nos in eis doctrinam Osiandri de essentiali iustitia Dei, quæ est Deus ipse, ita ut sit iustitia nostra, qua sola coram Deo iustificamur: verè affirmare non possumus, quantumlibet utrique de iustitia, qua coram Deo iustificamur satis fideliter & diligenter scripserint.

Et quanquam non est dubium, quin & vetusti & noui scriptores Theologici essentialem iustitiam Dei sepius attingant, & simul commonefaciant, quem admodum Deus hac essentiali iustitia sit vestitus: tamen nusquam inuenimus eos dicere, quod illa essentialis iustitia Dei sit iustitia nostra, qua coram Deo iustificamur. Et sicubi maximè Osiander quædam cum veterum tum recentiorum Theologorum testimonia usurpat, tamen corrumpit eorum intellectum, sicut postea fortasse dicetur.

Ac etiam si inuenitur alicubi apud veteres & nostri temporis Theologos, Deum esse iustitiam nostram, tamen multo alieniori hoc fit intellectu quam somniat Osiander. Quare de re etiam postea.

Merito itaque sordet & suspecta nobis est doctrina Osiandri tanquam nouitia & ignota ecclesia. 12 De

## DE OSIANDRIS

Deinde in tota scriptura nihil reperimus consonum doctrinæ Osiandri. Reperimus quidem scripturam alicubi meminisse essentialis iustitiæ Dei, & affirmare Deum esse iustitiam nostram: sed non addit nos illa iustitia essentiali coram Deo iustos esse.

Nunc autem non est summum negocium huius controuersiæ, an Deus sit vestitus iustitia essentiali ab æterno: neque an Deus cum sua essentiali iustitia appelletur iustitia nostra (quod quidem vt suo loco dicemus, si rectè intelligatur, facit pro nobis contra Osiandrum) sed an nos homines per illam iustitiam essentialem coram Deo iustificemur.

Nos hoc planissimè negamus, idque propter sequentes causas. Primò quia Deus essentialem suam iustitiam nemini comunicat, neque effundit eam in quenquàm nisi sit ei æqualis. At nos homines non sumus æquales Deo. Ergo non possumus habere essentialem iustitiam Dei. Sed illam comunem habent pater, filius, & spiritus sanctus. Nam hæ tres personæ sunt vnus Deus, vnus essentiæ & naturæ diuinæ, æqualis potentiæ, voluntatis, operationis.

Secundò, si possemus essentiali iustitia Dei potiri, æquales essemus Deo, & ipsi Dii. Ita ex trinitate fieret pluralitas (vt ita loquamur) quod est absurdum & impium.

Tertiò, nulli creaturæ possunt tribui essentialis virtutes Dei, sicut ipse illas habet: alioqui enim nulla esset differentia, inter Deum creatorem & creaturas.

Quartò. Nulli angeli vestiti sunt essentiali iustitia Dei, quomodo enim potuissent labi, sicut aliqui lapsi

lapsi sunt, & facti hostes Dei. Multò minus homines ea vestiti sunt, aut vestiri possunt.

Quintò. Primi parentes cum essent adhuc in Paradiso, & in statu innocentia, non habuerunt iustitiam Dei essentialem: quia si habuissent, non potuissent eam amittere. Essentiales enim virtutes Dei vt sunt ab æterno, ita durant in æternum. At primi parentes suam iustitiam, quam habuerunt in Paradyso & in statu innocentia amiserunt. Ergo non fuit essentialis iustitia Dei. Itaq; cum primi parentes nostri eam non habuerint, multò minus nos habemus.

Sextò, scriptura dicit, quòd etiam iustus cadat in die septies. Item, quòd nemo qui ruit in peccata mortalia, possit venire in regnum cœlorum. Sicut scribit Paulus 1. Corith. 6. Nullus adulter, scortator, fur, potest hereditare regnum Dei. Et tota Theologia in hoc consentit, quòd per singula peccata mortalia, iustitia, gratia Dei, fides & spiritus sanctus eiiciantur. Si ergo iustitia essentiali coram Deo essemus iusti non possemus eam amittere. Siquidem Deus nunquam exiit & deponit essentialem suam iustitiam, quam habuit ab æterno, & retinet vsq; in æternum. Cum ergo & nos simus atq; efficiamur Dii sicut vult Osiander, idque per essentialem iustitiam Dei, nunquid eam deponere possumus?

Septimò, neque perfecta illa iustitia in altera vita potest essentialis iustitia Dei esse. Nam & in altera vita necesse est manere discrimen inter Deum creatorem, & humanam creaturam, & inter essentielles virtutes Dei, & inter virtutes hominum, quashabent ex gratia.

## DE OSIAN. OBIECTIO.

Atqui Petrus 2. Epist. 1. sic scribit. *Vt per ea fiat participes naturæ diuinæ.*

### RESPONSIO.

Hoc dictum Petri non est ita intelligendum, sicut Osiander interpretari solet, quod videlicet iustitiæ Dei essentialis participes nos fieri oporteat, atque adeo Deos effici. Sed quod à Deo perfectiã iustitiam consecuturi simus, quam non poterimus amittere, & in qua erimus immortales, æterni, sancti & iusti: sicut Deus essentialem suam iustitiam & alias virtutes secundum suam diuinam naturam non potest amittere neque mortalis esse, neque iniustus. Et propter has causas dicit Petrus nos fieri participes naturæ diuinæ: & nequaquam in ea est sententia, quod essentialis iustitiæ Dei & aliarum eius virtutum essentialium possimus fieri participes, atque ita secundum naturam & essentialitiam diuinam simus Deij. Denique oportet inde usque ab initio, & in hac & in altera vita manere discrimen inter Deum creatorem, & inter nos creaturas. Deinde & inter essentielles virtutes Dei, & inter nostras, quas ex gratia accipimus. Tamen patimur, ut perfecta illa iustitia vocetur essentialis, & perpetua durans iustitia, utpote quæ aliquomodo secundum naturam diuinam conformatur.

### CONFUTATIO DICTORVM

scripturæ quæ Osiander pro stabiliendo suo errore adducit.

Non cauillabimur, neque ad viuum rescabimus quæcumque Osiander dicit: sed planè ac simpliciter veritatem doctrinæ nostræ demonstrabimus. Concedimus Osiandro, quod dicta Ieremiæ & Psalmi septuagesimi primi, & epistolæ ad Corinthios loquantur

tur de essentiali iustitia Dei, quæ est ipse Deus. Dein de facile concedimus, Deum cum sua diuina iustitia esse iustitiam nostram: sed hoc dignum est quæri, quamobrè Deus sit essentialis illa iustitia nostra: fortasse vt vult Osiander, quòd per illam essentialem iustitiam Dei, coram Deo iustificemur & efficiamur diuineque. Hoc enim fieri nequit propter antecedentes causas, ex quibus demonstrauius, nos non posse essentialis iustitiæ Dei ad diuinitatē fieri participes.

## QVAESTIO.

*Quamobrè ergo Deus, & sic pater, & filius & spiritus sanctus alicubi uocantur iustitia nostra?*

## RESPONSIO.

Quòd ab æterno & natura iustus est iustitia essentiali, & nos postea suo dono & gratia iustificat. Vnde Augustinus rectè scripsit epistola quinquagesima ad Bonifacium. Iustus & iustificans non est, nisi solus Deus. Iustus, scilicet natura & ab æterno.

## QVAESTIO.

*Sed quomodo Deus, qui ab æterno & natura iustus est iustitia essentiali, nos iustificat?*

## RESPONSIO.

Exornat nos duplici iustitia. Primum imputat nobis iustitiam filij sui, quam peperit sua perfecta obedientia erga legem diuinam, qua de re docet epist. ad Rom. 5. his verbis. Quemadmodum per vnus hominis peccata condemnatio omnes homines inuasit, ita per vnus obedientiam multi fiunt iusti. Item, cap. 8. Quod erat impossibile legi, siquidem per carnem infirmata erat, Deus præstitit, qui misit filium suum in forma carnis peccato obnoxia, & condemnauit peccatum in carne per peccatum, vt iustitia legis impleretur in nobis. Item Matth. quinto. Hac iustitia dicitur



## DE OSIAN.

maior iustitia Pharisæorum & scribarum, & eiusmodi, quæ homines perducit in regnum cælorum.

Et hæc iustitia est extra nos, & tamen applicatur nobis per fidem. Qui enim credit Christum propter se legi Dei perfecte satisfecisse, pronuntiatur iustus, & imputatur ei aliena iustitia, ac si ipse legem Dei perfecte impleuisset; & hoc vult Paulus cum dicit ad Rom. 4. Abraham credidit Deo, & hæc fides imputata est ei ad iustitiam: quod nihil est aliud, quam si dicat, credidisse Abrahamum, quod Christus pro se satisfactorius esset legi ad iustitiam, per quam fidem postea iustitiam consecutus est; & per eandem fidem etiam nos credentes consequimur iustitiam. Abraham enim pater est & imago omnium credentium, ad Rom. 4.

Porrò hæc iustitia consistit in remissione peccatorum. Apostolus enim ad Rom. 4. declarat eam ex verbis Psalmi tricesimi secundi, cum dicit: eam nihil aliud esse, quam remissionem peccatorum, seu non imputari à Deo peccata. Verba Pauli hæc sunt. Quemadmodum etiam David beatitudinem hominis dicit, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus homo, cui non imputauerit dominus peccata. Ita & Christus Matthæi nono sanatur animam Paralytici, & iustificationem vitæ daturus ei dicit. Confide fili, remissa sunt tibi peccata. Hinc etiam in iustificatione Mariæ Magdalenæ fit mentio remissionis peccatorum. Remissa sunt ei peccata multa. Ieremiæ tricesimo primo, similiter iustitia nostra sequentibus verbis declaratur. Remittam eis iniquitates

iniquitates ipsorum, & peccati eorum in æternum non recordatur.

## QVAESTIO.

*Quare autem hæc iustificatio vitæ dicitur remissio peccatorum?*

## RESPONSIO.

Quod sine hac iustitia nullus homo remissionem peccatorum habere potuisset, sed omnes mansissemus sub maledictione legis, ac perissemus in ea.

Quando igitur fide aliena illam iustitiam Christi quæ est extra nos, consecuti sumus, quæ eadem est iustificatio vitæ, ad Romanos quinto, & iustitia maior, perducens in regnum cœlorum, Matth. 5. tum verò statim simul efficimur filij Dei ad certam & æternam hæreditatem, ad Rom. 8. & ad Gal. 4. Imò efficimur templa & domicilia patris, & filij & spiritus sancti. Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater eius diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Priore ad Corinth. cap. 6. Vos estis templa Dei viventis. sicut & ipse Deus Leuitici capite vice simo sexto inquit: Ego habitabo in eis & ambulabo inter eos.

Non autem frustra habitat in nobis trinitas: sed facit nos novas creaturas, & renouat nos, vt verè possumus esse templa Dei, largitur nobis facultatem non tantum rectè agnoscendi voluntatem diuinam, sed etiam faciendi, ita vt actiones nostræ Deo placeant. Imò incipit in nobis mortificare & expurgare reliquias peccatorum, donec in altera vita perfecti assequamur talem iustitiam, qua perfectè præstemus voluntatem diuinam, & secundum eam viuamus, quam iustitiam in æternum etiam non amitemus.

f Ad

DE OSIAN.

Ad confirmandam igitur hanc doctrinam, referantur huc dicta de regeneratione: item decimum quartum, decimum quintum, & decimum sextum capitulum Iohannis de promissione spiritus sancti, & officii eius, quæ in nos exercebit. Item tota disputatio Christi cum Nicodemo Iohannis tertio. Item aliquot sententiæ octavi capituli ad Romanos de acceptione spiritus adoptionis filiorum. Item, quæ scripta sunt de renouatione ad Ephesios tertio & quarto, & ad Titum tertio. Quicquid ergo trinitas habitans in nobis efficit, & quicquid nos regenerati postea facimus, hoc nominant Theologi inchoatam iustitiam, quam Deus inchoat in nobis, postquam iustificationem vitæ, quæ consistit in remissione peccatorum gratis per fidem accepimus. Et quoniam trinitas inhabitans, hanc iustitiam inchoat, donat & conseruat: ideo Deus appellatur iustitia nostra, & non eam ob causam, vt Osiander docet, quod Deus suam nobis essentialem iustitiam comunicet, qua simus coram eo iusti, & efficiamur Dii.

EXEMPLA HVIVS DVPLI-  
cis iustitiæ.

De hac duplici iustitia insigne habemus exemplum in Abrahamo. Primum enim fuit iustus iustificatione vitæ per fidem in Messiam venturum, qui satisfactorius erat legi ad illam iustitiam. De hac ad Rom. 4. Deinde habuit etiam inchoatam iustitiam operum in testimonium prioris iustitiæ, & loco gratiarum actionis, qua incepit secundum voluntatem Dei piam & honestam vitam agere. De hac loquitur Iacobus Apostolus capite secundo. Nonne Abraham pater

pater noster iustificatus est operibus, cum filium suum immolaret? Quo in loco simul allegat Iacobus scripturæ testimonia de utraque iustitia: de priore dictum Genesis 15. Credidit Abraham Deo. De posteriore, dictum Genesis vicesimo secundo, de opere immolationis Isaac.

Simile exemplum proponitur in pijs illis hominibus Zacharia & Elizabetha, Lucae primo: Et uterque erat iustus coram Deo, & ambulabant in mandatis & statutis Domini inculpatè. Priora verba sunt intelligenda de iustificatione vitæ, qua coram Deo iustificamur. Posteriora de iustitia inchoata bonorum operum & nouæ vitæ.

Item in Simeone, de quo dictum est Lucae secundo. Simeon erat iustus, & timens Deum. Iustus, hoc est, secundum inchoatam iustitiam. Nam timere Deum, propriè significat viuere secundum voluntatem Dei agnitam ex verbo.

Et de hac duplici iustitia loquuntur etiam Theologi Vuirtebergenses in iudicio suo de doctrina Osiandri: & cum hoc modo loquantur de inchoata iustitia, quòd in futura vita demum consequamur illam perfectam, significant, nostram iustitiam in hac vita non esse essentialem iustitiam Dei: hæc enim est perfectissima semper, nec habet vllum defectum, imbecillitatem aut imperfectionem.

Quòd vero altera illa iustitia quam nominamus inchoatam, sit imperfecta in hac vita, manifestum est ex verbis Christi, Lucae decimo septimo. Cum omnia feceritis quæ facere debuistis dicite: serui inutiles sumus.

## DE OSIAN.

mus. Item Esaias Propheta comparat iustitiam nostram panno menstruato: & Paulus scribit ad Titum cap. 3. quod Deus nos saluos fecerit, non per opera iustitiæ, quæ fecimus ipsi, sed per suam misericordiam. Idem Apostolus ad Rom. 8. consolatur omnes pios, ne desperent vel abijciant omnem spem salutis propter infirmitates, quas in carne sua habent adhuc reliquas, vt sunt prauæ cogitationes, affectus, cupiditates, appetitus mali, quibus retrahuntur à perfectione obedientiæ secundum voluntatem diuinam: nulla enim, inquit, condemnatio reliqua est ijs qui sunt in Christo Iesu. Item in priore ad Corinth. capite 13. scribit Paulus, nostras actiones in hac vita nihil aliud esse, nisi particulas per speculum in ænigmate lucentes: illic autem in æterna vita fore perfectas: ibi enim omnia erunt à facie ad faciem, hoc est, perfectissima.

Hæc cum ita se habeant, quòd inchoata nostra iustitia adhuc, sit plena infirmitatibus: igitur profectò essentialis iustitia Dei nostra esse iustitia nequit. Nam iustitia Dei nulli subiecta est infirmitati.

### QVÆSTIO.

*Potesne iustificatio uitæ seu fidei & gratiæ consistere cum inchoata illa infirma iustitia?*

### RESPONSIO.

Imò: quia etiam iustus sicut scriptura dicit, septies cadit in die. Quomodo? num per peccata mortalia? minime. Si enim iustus ruat in peccatum mortale, continuo amittit suam iustitiam, & ab his peccatis mortalibus dehortatur nos Apostolus ad Romanos octauo, cum deterret à peccatis regnantibus. Quo-  
modo

modo ergo cadit iustus? Malis cogitationibus, cupiditatibus, affectibus, & appetitionibus malis, quibus resistunt homines iusti & accepti Deo per fidem in Christum, ne verbis aut factis illicitis cum consensu prolabantur in peccata mortalia. Proinde istiusmodi iustis nulla est condemnatio etiamsi hæret in eis magna infirmitas, ad Rom. 8. Imò etiam qui repugnant, retinent iustificationem vitæ in illa infirmitate.

Huic sententiæ suffragatur Augustinus de falsa & vera pœnitentia, cap. 5. Non enim inquit, quid Apostolus senserit: nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus. Scimus enim & iustis contingere solere peccata.

Item super verba Iohannis homilia vicesima nona. Pelagiani & Cœlestiani dicunt iustos in hac vita non habere peccata.

Item in Enchiridîo ad Laurentium, cap. 13. Itaque sanctorum hominum vitam, quandiu in hac morte vivitur, inueniri posse dicimus sine crimine. Peccatum autem si dixerimus quòd non habemus, vt ait sanctus Apostolus, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.

Item de definitionibus orthodoxæ fidei, cap. 49. Nullus sanctus & iustus caret peccato: nec tamen ex hoc definit esse sanctus vel iustus, cum affectu teneat sanctitatem.

Non autem loquitur Augustinus hoc loco de essentiali iustitia coram Deo. Nam si eam haberemus essemus Dii, nec amplius obnoxij peccato & varijs defectibus.

## DE OSIAN,

## QVAESTIO.

Quæ est autem ratio iustificationis vitæ, quæ coram Deo iustificat  
 successat ne in hac vitæ

## RESPONSIO.

Utilitas eius etiam in alteram vitam porrigitur. Apostolus enim ad Romanos quinto iustitiam illam quæ per obedientiam Christi perfectam parta est, vocat iustificationem vitæ, non utique propter hanc temporalem vitam, sed propter æternam: qui enim in hac vita credit in Christum ad iustitiam vitæ, iam habet vitam æternam in certa spe, & præterea non venit postea in iudicium & condemnationem, Iohan. 3. Quia verò in altera vita non erimus peccatores, cessabit quo ad nos propter remissionem peccatorum, sed quo ad Christum non cessabit: is enim in æternum iustus manet, tam secundum æternam & essentialem suam iustitiam, quam sua perfecta obedientia ipse verus Deus & homo peperit, cum factus est obediens patri usque ad mortem, ad Philippenses secundo. Item, quæ sit utilitas iustificationis vitæ à posteriori potest iudicari: huic enim iustificationi annexa est vita æterna, imò & perfecta iustitia alterius vitæ: denique qui in hac vita non habet iustificationem vitæ quam Christus sua perfecta obedientia peperit, non potest etiam in hac vita inchoatam iustitiam habere: si non habet inchoatam in hac vita, neque perfectam illam in altera vita habere potest: in hac enim vita iuxta inchoatam iustitiam incipimus rectè facere, quanquam in magna infirmitate & languiditate,

tate, donec in altera vita re ipsa perfecte iustificemur ad facienda ea quæ iusta sunt perfecte.

### QVÆSTIO.

*Quæ porro est ratio iustitiæ inchoatæ: cessat ne & ipsa in hac vita?*

### RESPONSIO.

Nequaq̃. Hic enim incipit in infirmitate, & consummatur in altera vita in perfectione.

Ac proinde Osiander iniuriam facit domino Philippo & alijs, cum accusat nos, quasi doceamus peculiararem quandam iustitiam pro hac vita, quæ desinat hic, neque in alteram vitam se extendat. Hæc enim sunt verba Osiandri in responsione sua ad libellum Philippi contra doctrinam Osiandricam. Quam cuperet Philippus dicere duas esse iustitias: alteram in hac vita, videlicet remissionem peccatorum, & alteram in alia vita, videlicet quæ Deus ipse est, omnia in omnibus.

Si ergo doctrina Osiandri de iustitia nostra hæc doctrina est, quam docemus hæcenus de iustificatione vitæ, & de iustitia inchoata, quemadmodum Theologi Vuirtebergenses in iudicio suo super doctrina Osiandri profitentur, Osiandrum videlicet per iustitiam essentialem nihil aliud intelligere quam inchoatam iustitiã in nobis, quam trinitas in nobis inhabitans post acceptam iustificationẽ vitæ exuscitat & operatur, vt etiã ipso facto incipiamus recte facere quanq̃ id fiat languidẽ, donec in altera vita ad perfectam iustitiã pertingamus: si hæc est inquã Osiandri  
sententia



## DE OSIAN.

sententia, tolleramus eam usque deque, & facilis est ad concordiam aditus: sed contrarium magis est credibile, sicut postea manifestum fiet, cum neget Osiander iustificationem vitæ, quæ est in remissione peccatorum, nobisque imputatur gratis.

Postea nec hoc prætereundum est, Osiandrum circa dicta Ieremiæ de essentiali iustitia Dei, quam fingit esse iustitiã nostram, claris verbis dicere Christum esse iustitiã nostram tantum secundum diuinã naturam, & non secundum humanam: qua de re postea dicemus amplius in refutatione aliorum errorum Osiandri.

Cætera scripturæ dicta, quæ citat Osiander pro essentiali iustitia Dei, quæ sit etiam iustitia nostra: nihil ad rem faciunt, non enim loquuntur de essentiali iustitia Dei, sed de iustitia vitæ, quæ valet coram Deo, quaque iustificamur ad vitam æternam.

Quod autem vera sit nostra interpretatio illorum scripturæ dictorum, primum referimus nos ad Lutheri translationem, qui hæc verba (iustitia Dei) passim ita circumlocutus est, iustitia quæ valet coram Deo.

Deinde idem probant etiam sequentes loci ex Luthero.

In præfatione Latinorum Tomorum: Verba (iustitia Dei) non sunt aliter intelligenda, quam de illa iustitia per quam iustus ex dono per fidem viuit.

Et ibidem. Oderam enim vocabulum istud, iustitia Dei, quod usu & consuetudine omnium doctorum doctus eram philosophicè intelligere, de iustitia (ut vocant) formali seu actiua, qua Deus est iustus, & peccatores iniustusque punit. Postea iustitiam Dei cœpi intelligere eam, qua iustus dono Dei viuit, nempe

nempe ex fide. Discurrebam deinde per scripturas, vt habebat memoria, & colligebam etiam in alijs vocabulis analogiam, vt, opus Dei, id est, quod operatur in nobis Deus, virtus Dei, qua nos potentes facit, sapientia Dei, qua nos sapientes facit, fortitudo Dei, salus Dei, gloria Dei.

Item super quintum Psalmum & alibi: Assuescere nos oportet ad ista verba ( iustitia Dei ) vt ea secundum scripturae proprietatem intelligamus, non de iustitia, qua Deus iustus est ipse, qua & impios damnat, vt vulgatissimè accipitur, sed, vt beatus Augustinus de spiritu & litera dicit, qua induit hominem, dum eum iustificat, ipsam scilicet misericordiam seu gratiã iustificantem, qua apud Deũ iusti reputamur.

## O B I E C T I O.

Ergo & Lutherus in ea est sententia, homines essentiali iustitia Dei non iustificari coram Deo.

## R E S P O N S I O.

Est in ea sententia verò: sicut testantur sequentia eius dicta.

In postilla maiori, Dominica prima Aduentus. Nota diligentissimè, vt vbicunque in scriptura vocabulum iustitiæ Dei, non intelligas de essentiali & interna iustitia Dei: alioqui enim expauesces: sed scito iustitiam Dei iuxta comunem vsus scripturae significare gratiam & misericordiam Dei effusam in nos per Christum, qua reputamur coram eo iusti.

## Q V A E S T I O.

Quid ergo Lutherus proprie uocat iustitiam, qua iustificamur coram Deo?

## R E S P O N S I O.

Remissionem peccatorum. In concione Magdeburgi

## DE OSIANA

burgi habita de iustitia Christiana. Dico ergo discendum esse, quod iustitia nihil sit aliud, quod vel nominari vel cogitari possit, quam remissio peccatorum.

Item, super decimum sextum caput Iohannis. Mirabilis hæc est iustitia, quod non nominamur iusti, sed quod iustitiam habemus, quæ nullum sit opus vel cogitatio, vel aliud quicquam in nobis: sed profus extra nos in Christo iustitia, quæ tamen vere sit nostra, ex ipsius gratia & dono.

Augustinus in libro de spiritu & litera, capite 34. Iustitia Dei manifestata est sine lege. Hanc iustitiam ignorant, qui propriam iustitiam statuunt. Non autem dicit hominis, sed Dei iustitiam, non qua ipse iustus est, sed secundum quam induit humanitatem, & secundum quam impium iustificat. Lex in eo quæ minatur, iubet, & tamen neminem iustificat, sufficienter indicat, hominem ex dono Dei iustificari.

Ibidem. Sicut fides non accipitur pro fide, qua Christus credit: ita nec iustitia Dei est, per quam Deus iustus est.

Ibidem capite vndecimo. Ideo vocatur iustitia Dei, quod impartiendo eam iustos facit: sicut salus Domini dicitur, per quam saluos facit.

Ibidem. Hæc est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed per quam ab ipso iusti efficiuntur.

Hæc sufficiant hæcenus de primo & principali errore Osiandri.

## DE ALTERO ERRORE Osiandri.

Præter illum priorem Osiander adhuc alium habet

bet errorem comunem, & valde horribilem, quoniam enim vult essentialem iustitiam Dei nostram esse iustitiam, qua coram Deo iustificamur, negat iustificationem vitæ quam Christus sua perfecta obedientia legis peperit, quæque nobis credentibus per gratiam diuinam imputatur, consistens in remissione peccatorum tanquam eiusmodi iustitia qua iustificamur coram Deo: Imò nescire vult vllam aliam iustitiam, qua coram ipso iustificemur præter essentialem iustitiam quæ est ipse Deus.

### DE MONSTRATIO HVIVS

erroris ex libris ipsius Osiandri.

Primum scribit Osiander nostram iustitiam de iustitia imputatiua, quæ consistit in remissione peccatorum, glacie frigidiorē esse.

Item in libro Confessionis suæ: Duæ sunt iustitiæ: altera quæ per legem, & reliquam hominis disciplinam exercetur proprijs viribus, quæ fit sine spiritu sancto, & includit omnes humanas virtutes. Altera diuina, quæ est Deus ipse. Præter has duas iustitias non est tertia, si verò tertia quædam tanquam donum Dei constituitur, tota est commentitia.

Ibidem. Iustitia neq; est actio, neq; passio.

Et ibidem. Propriè loquendo omnis iustitia aut est iustitia diuina, quæ est essentia Dei: aut humana quæ est qualitas seu opus creatum in nobis, nullo autem modo vel actio vel passio.

In lib. quo refutat responsionē D. Philippi: Quàm cuperet Philippus dicere duas esse iustitias: alteram

DE OSIAN

ram in hac vita, videlicet remissionem peccatorum.  
Alteram in illa vita, quæ est Deus ipse, omnia in omnibus.

Ibidem. Paulus ad Rom. 3. disertè distinguit remissionem peccatorum à iustitia.

Et ibidem. Deus affert nobis iustitiam suam, non legis, neque à qua reputamur iusti, neque illam quæ coram Deo valet, sed suam iustitiam quæ est ipse.

Ibidem. Oblatio iustitiæ non est remissio peccatorum.

Ibidem. Remissio peccatorum non potest esse iustitia nostra, quia non est æterna. Quæ verò est æterna, nostra est iustitia: & hæc est iustitia Dei.

Rursus ibidem. Deus offert nobis suam iustitiam, & nullam aliam.

Ibidem. Deus nullam aliam iustitiam vult agnoscere & recipere, quàm suam propriam iustitiam, quæ iustus est ab æterno, hoc est, essentialem iustitiam, quæ est ipse.

Item. Mundus varias docet species iustitiæ, sed harum nulla est coram Deo iustitia.

Item. Remissio peccatorum non est ipsa iustitia, sed operatur tantùm & efficit, vt iustitiam assequamur.

Ibidem. Quàm libenter vellet Philippus dicere, gratiam Dei, remissionem peccatorum, acceptationem & similia nostram esse iustitiam.

Item. Philippus sæpe dicit, iustitiam esse, qua coram Deo iusti reputamur.

Item. Philippus non potest probare remissionem peccatorum nostram esse iustitiam.

Ibidem.

Ibidem. Beneficia & opera Christi non sunt iustitia nostra.

Ibidem. Christus per fidem inhabitans in nobis, est nostra iustitia secundum suam diuinitatem, & non remissio peccatorum, quæ non est Christus ipse: sed per Christum acquisita. Et hæc est tantum præparatio quædam ad veram iustitiam.

Et ibidem. Christus est iustitia nostra, & nullum opus eius personæ.

Ibidem. Gratia & remissio peccatorum non est iustitia, sed donum est iustitia diuina, etsi prius habere nos necesse est gratiam & remissionem peccatorum.

Rursus ibidem. Paulus expressè nominat donum iustitiam, & non gratiam & remissionem peccatorum.

Ibidem. Remissio peccatorum non potest esse iustitia, est enim in gratia comprehensa.

Ibidem. Philippo incumbit hæc probatio, quòd remissio peccatorum sit iustitia.

Tot Osiandrici dogmatis propositiones ob eam causam recensuimus, quòd multi eius Discipuli vehementer contendunt suum illum præceptorem nunquàm negasse iustitiam imputatiuam: hoc est, eam quæ consistit in remissione peccatorum, nobisque per fidem imputatur.

## CONFUTATIO ALTERIVS

erroris Osiandri.

Quòd iustitia fidei seu vitæ qua coram Deo sumus iusti, sit remissio peccatorum, supra demonstratum est ex scriptura in confutatione primi erroris.

## DE OSIAN.

Hoc loco tantum quædam sanctorum Patrum testimonia subiungemus.

Augustinus de spiritu & litera, cap. 13. Quæ ideo iustitia appellatur, quod Deus impartiendo, donat eam hominibus, Sicut salus Domini dicitur, per quam saluos nos facit.

Item, lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 36. vocat iustitiam nostram remissionem peccatorum, & veniam delictorum.

Item in Enchiridio ad Laurentium, cap. 36. Vt homines intelligant, quod per eandem gratiam, à peccatis suis iustificentur.

Ambrosius. In 3. & 4. cap. ad Rom. Ita conclusum est à Deo, quod ipse post legis abrogationem, solummodo expetat ad beatitudinem fidem diuinæ gratiæ: sicut & Dauid inquit de beatitudine hominis, ex trigesimo secundo Psalmo: Beatus cui Deus non imputat peccata sua.

Item. in 4. capite. ad Rom. Beati quorum remissa sunt peccata.

Item alibi. Hoc conclusum est à Deo, vt credens in Christum beatus sit, sine operibus, tantum per fidem, & accipiens ex gratia remissionem peccatorum gratis.

Origenes libro tertio in epistolam ad Rom. cap. 7. allegat exemplum Magdalene, in testimonium, solum fidem iustificare, & dicit illi remissa esse multa peccata.

Lutherus in concione de iustitia Christiana Marguri habita anno 1529. Propterea dico descendum esse

esse, quòd iustitia nihil sit aliud, quod vel nominari vel cogitari possit, quam remissio peccatorum.

Congruit huc etiam Confessio Augustana & Apologia.

## OBIECTIO.

*Osiander non negat iustitiam imputatiuam: passim enim confitetur Deum nobis imputare suam essentialem iustitiam.*

## RESPONSIO.

Hoc ideo facit Osiander, vt excludat hoc modo iustificationem vitæ, quæ consistit in remissione peccatorum, & imputatur nobis, de qua Paulus ad Romanos quarto scribit: & latet hic anguis in herba cum dicunt Osiandrici, se non negare iustitiam imputatiuam: non enim ibi intelligunt iustitiam de iustificatione vitæ, quæ in remissione peccatorum consistit, nobisq; credentibus imputatur, sed de essentiali iustitia Dei, quæ non potest imputari nobis, cum non simus eius capaces, ea scilicet ratione, qua Deus eam habet. Sed hisce oportet studere fallacijs, quicunque à veritate aberrant, vt specie quadam sua mendacia pingant, & eo facilius vitiosas merces diuendant.

Sed nos hoc exemplo discimus, hominum fanaticorum non esse solum obseruanda verba: sed multo magis sententiam, qua multas execrabiles & abominandas opiniones stabiliunt. Denique seclarij nihil minus videri volunt, quàm malè facere, cum tamen parum boni faciant.

CONGE.



DE OSIAN.  
CONGERIES ABSURDARVM OPI-  
nionum, quæ sequuntur ex propositionibus Osianderi supra enumeratis, quibus negat iustificatio-  
nem vitæ, quæ consistit in remissione  
peccatorum.

PRIMUM.

Si remissio peccatorum non est iustitia coram Deo, parum ergo ex ea consolationis habent homines.

Item, si iustificatio vitæ quam Christus peperit sua perfecta obedientia, non est iustitia nostra coram Deo, cogitare homines necesse est ad suam desperationem, quod adhuc sint sub maledictione & condemnatione legis: etsi enim Christus perfecte satisfecit legi ad iustitiam, quam Deus perfectis factoribus legis promisit, tamen sibi soli ea prodest & non nobis.

Item si homines à iustificatione vitæ, quæ consistit in remissione peccatorum abducantur, & ad essentialem Dei iustitiam deducantur, necesse est eos desperare, considerantes se non esse similes Deo, ac proinde essentialis eius iustitiæ participes fieri non posse.

Item cum Osiander tantum de duplici loquatur iustitia, altera humana, quæ est ex operibus legis, & viribus nostris sine spiritu sancto. Altera diuina: quæ est Deus ipse, non tantum excludit iustificationem vitæ quæ consistit in remissione peccatorum, sed etiam veram inchoatam iustitiam nouæ vitæ, quæ in hac vita inchoatur languide, sed in illa æterna tandem perficietur.

Præterea

Præterea si essentialis iustitia Dei quæ est Deus ipse nostra est iustitia, quæ facit nos iusta facere, & nostræ actiones in hac vita sunt adhuc languidæ & infirmæ (sicut & ipse Osiander confitetur) necesse est essentialem iustitiam Dei infirmitatibus subiectam esse, quod vehementer falsum est.

Adhæc Osiander sibi ipsi contrarius est, cum dicit, nostram iustitiam neque passionem, neque actionem esse: cum enim Deus inchoatam illam iustitiam in omnibus inchoat, vt iusta facere possimus, certè patimur.

Deinde si essentialis iustitia Dei nostra est iustitia, in hac vita tantùm est per speculum in ænigmate iustitia nostra, quod ipsum de essentiali iustitia Dei rectè prædicari non potest.

Quia etiam Osiander dicta Apostolorum de iustificatione vitæ, & coram Deo valente, tantùm ad essentialem Dei iustitiam refert: sequitur Lutherum hæc verba quæ extant apud Paulum (iustitia Dei) malè interpretatum esse, quod nos Lutheri discipuli nequaquam concedimus.

Huc accedit, quòd si Deus nullam aliam iustitiam recipit, quàm suam illam essentialem, Christus non necesse habuerit pati & mori, & perfectè satisfacere legi diuinæ ad iustificationem nostram coram Deo: iam enim ante habebat essentialem iustitiam ab æterno, & si hanc nobis dedisset fuisset iusti.

Postremò damnantur hîc omnes, tam veteres quàm noui doctores Ecclesiæ, qui beneficia & opera Christi pro nostra iustitia ponunt, vt causas & media quibus hæc parta est.

DE OSIAN.  
CONFUTATIO QVARVN.  
dam obiectionum Osiandri ex propo-  
sitionibus eius proximè citatis.

PRIMA.

*Oportet nostram iustitiam esse tantum unam quandam rem aut per-  
sonam, ut certa esse possit. Lutherani multas habent species iustitiæ, ergo  
doctrina eorum de iustificatione est incerta.*

RESPONSIO.

Neque nos habemus amplius quàm unam iusti-  
tiam, videlicet iustificationem vitæ valentem coram  
Deo, quæ imputatur nobis gratis, & consistit in re-  
missione peccatorum. Propterea nostra doctrina de  
iustificatione coram Deo est certa.

Quod autem Theologi nostri dicunt alicubi, fi-  
dem esse nostram iustitiam, non ideo fit, quòd plures  
constituant iustitias: sed quòd etiàm Apostolus ad  
Romanos quarto ex Genesi similiter loquitur: scie-  
licet fidem imputatam esse Abrahæ ad iustitiam: atque  
ita fides, tanquàm instrumentum quo applicamus  
nobis iustitiam Christi, ponitur pro ipsa iustitia.

Deinde quòd fides misericordiam & gratiam  
Dei & similia beneficia hisce adiuncta tanquàm cau-  
sas iustificationis apprehendit. Ad Ephesios capite  
secundo: Gratia saluati estis per fidem, idque non ex  
vobis. Sed idcirco non dicimus esse plures res iusti-  
tiam coram Deo.

Insuper & remissio peccatorum nostra iustitia  
coram Deo appellatur tantum ad declarationem  
voca

vocabuli iustitiæ. Nam iustificatio vitæ & remissio peccatorum idem sunt.

Item iustitia nostra coram Deo appellatur à nostris acceptatio ad vitam æternam, eò quòd vita æterna ei adhæret tanquàm res cognata: non quòd acceptatio ad vitam æternam sit alia iustitia, quam iustitia vitæ, quæ valet coram Deo.

Vocamus & iustitiam coram Deo iustitiam Christi, quia Christus eam sua perfectâ obedientiâ nobis comparauit: non autem quod alia sit iustitia quàm iustificatio vitæ, qua coram Deo iustificamur.

Item iustitia nostra coram Deo vocatur aliena iustitia seu extra nos ipsius Christi: quia Christi propria est, nobisque credentibus imputatur, sed eadem est iustitia quæ coram Deo iustificat.

Item iustitia nostra coram Deo vocatur obedientia Christi: est enim fructus obedientiæ ipsius, & tamen est iustitia nostra coram Deo. Ita dicimus aliquando meritum obedientiæ Christi nostram esse iustitiam coram Deo: nam hæc iustitia etiã est fructus illius meriti.

Item dicimus sanguinem, passionem, ac mortem Christi nostram iustitiam esse: illa enim simul sunt media, quibus Christus secundum suam obedientiam iustitiam coram Deo peperit.

Ita multas habemus appellationes, quibus eandem iustitiam coram Deo designamus. Et impudens est mendacium Osiandricorum sic argumentari: Lutherani habent multas appellationes vnius iustitiæ coram DEO: aliquas in scriptura

## DE OSIAN.

rura comprobatas : aliquas extra scripturam inuen-  
tas : propterea plures habent iustitias , & nullam cer-  
tam. Atque hoc argumentum Osiander non frustra  
excogitauit : est enim plausibile coram vulgo , & præ-  
stigias offundit oculis & auribus : imò & ora curio-  
rum hominum aperit , & postea nescio quid male  
olens inserit.

### SECUNDA.

*Deus in futura vita est iustitia nostra : est ergo & in hac vita.*

### RESPONSIO.

Ea nimirum ratione & intellectu quo supra dixi-  
mus in refutatione primi erroris : videlicet quòd  
Deus qui essentialem iustitiam habet ab æterno in  
nobis habitat , & inchoatam iustitiam nouæ vitæ in  
nobis operetur : donec in altera vita in perfectam  
iustitiam euadat.

### TERTIA.

*Paulus ad Rom. 3. distinguit remissionem peccatorum à nostra iusti-  
tia qua coram Deo iustificamur : ergo remissio peccatorum iustitia nostra  
non potest esse.*

### RESPONSIO.

Minimè : sed distinguit inter iustitiam , quæ cor-  
am Deo valet , & inter essentialem iustitiam Dei : hæc  
enim sunt eius verba. Vt hoc tempore offerat iusti-  
tiam , quæ valet coram ipso , vt ipse solus sit iustus , &  
iustum faciat eum , qui est ex fide Iesu. Deus est iustus  
tantum secundum essentialem iustitiam. Dum autem  
nos iustificat , donat nobis iustitiam filij sui , per illius  
perfectam obedientiam nobis partam , quæ ad Ro-  
manos quinto , iustificatio vitæ nominatur : deinde  
operatur etiam in nobis inchoatam iustitiam.

Ita

Ita per hunc verum intellectum verborum Pauli plane destruitur & corrui principale fundamentum Osiandricorum, quo illi maxime se muniunt. Imò Paulus hoc loco expressè & propriè pugnat contra Osiandrum, dum essentialem Dei iustitiam non patitur esse nostram iustitiam coram Deo: si enim hoc voluisset cum Osiandro, non necesse habuisset hoc loco discernere essentialem Dei iustitiam, & nostram qua coram Deo iustificamur & iusti reputamur.

Et eodem modo discernit etiam Augustinus epistola quinquagesima ad Bonifacium, essentialem iustitiam Dei à nostra illa, qua coram Deo iustificamur: item, ab inchoata, qua secundum voluntatem Dei recta facimus, cum postea dicit. Solus Deus est iustus & iustificans.

#### QVARTA.

*Hæc verba Pauli tantum de essentiali iustitia Dei intelligenda sunt, cum dicit, quòd ipse solus sit iustus, & iustos faciat.*

#### RESPONSIO.

Nequaquæ: nam essentialis iustitia Dei soli Deo tribuitur, & à nostra illa discernitur, qua nos in conspectu suo iustificat. Primum quia nobis iustitiam acquisitam perfecta obedientia filij sui donat, imputat, & propter eam iustos nos pronunciat: deinde quia inchoatam iustitiam in nobis operatur, imò in nos effundit, vt etiam ipsa re faciamus recta, quanquæ languidè & imperfectè, donec in altera vita ad perfectam & verè actiuam iustitiam perueniamus.

#### QVINTA.

*Iustitia est fructus remissionis peccatorum & redemptionis: ergo neque remissio peccatorum neque redemptio potest esse iustitia.*      113 RE

DE OSIAN.  
RESPONSIO.

Quod ad remissionem peccatorum attinet, non est hæc fructus iustitiæ, sed ipsa iustitia, sicut supra demonstrauius. Attamen etiam fructus iustitiæ nominari potest: cum enim nobis iustitia Christi, quam ille sua perfecta obedientia peperit, donatur & applicatur per fidem: statim eo ipso momento peccata nobis remittuntur, placatur ira Dei, pœnæ soluantur.

SEXTA.

*Essentialis Dei iustitia nobis imputatur, & non ea iustitia quam Christus sua perfecta obedientia peperit.*

RESPONSIO.

Quomodo essentialis iustitia Dei nobis imputari potest, cum non simus eius participes, sicut supra dictum est: Itaq; Osiander nullum habet testimonium scripturæ, quod illa iustitia nobis imputetur: sed iustificatio vitæ quam Christus sua perfecta obedientia nobis peperit, qua etiam coram Deo iustificamur, hæc inquam ad exemplum Abrahamæ nobis imputatur. Genesis decimo quinto. Et ad Romanos quarto. Item iuxta doctrinam Psalmi tricesimi secundi: Beatus cui Deus peccata non imputat. Porro ei peccata non imputat, cui iustitiam seu salutem imputat.

SEPTIMA.

*Remissio peccatorum non potest esse iustitia nostra coram Deo: quia non est æterna, & quia cessat in hac uita.*

RESPONSIO.

Utilitas remissionis peccatorum durat in æternum: quod enim in altera uita non habituri sumus peccata

peccata, id inde fit, quia in hac vita sunt remissa: & qui in hac vita non accipit remissionem peccatorum illic eam non assequetur.

## OCTAVA.

*Remissio peccatorum non est ipsa iustitia: sed tantum causa est, ut eam consequamur.*

## RESPONSIO.

Quòd remissio peccatorum sit ipsa iustitia nostra, qua coram Deo iustificamur, supra contra Osiandricos satis demonstratum est. si ergo est iustitia ipsa, non potest esse eius causa: neque tamen pertinaciter pugnabimus, remissionem peccatorum posse simul esse fructum iustificationis vitæ: vbi enim ea acquiritur, simul evanescent omnia peccata.

## NONA.

*Obedientia Christi nondum efficit nos iustos: alias enim ante mille quingentos annos facti fuissetus iusti, & ita antequam nati sumus.*

## RESPONSIO.

Patriarchæ ante aduentum Christi & ante obedientiam integram præstitam legi, & ante comparatam iustitiam per obedientiam Christi, potuerunt iustificari fide in futuram eius obedientiam & futuram iustitiam: quantò magis nos, qui credimus Christum legi Dei perfectam præstitisse obedientiam, nobiscum per eam peperisse iustitiam, quæ valet coram Deo.

Hæc obiectio est Sophistica & stolidæ: si enim tempus vel ætas impedit nos à iustitia, impedit etiam à redemptione, & ita ab omnibus beneficijs Christi, quæ ante mille quingentos annos fuerunt



## DE OSIAN.

runt exhibita. Itaq; etiam redempti sumus, antequam nati. Denique omnia beneficia Christi parta nobis fuerunt, anteq; in his vltimis temporibus nascere mur, ac si non sumus eorum participes propter respectum temporis, quod ante mille & quingentos annos elapsus est, sane nescire nos fatemur, quorsum nobis Christus & beneficia eius prosint: Christus quidem ante mille & quingentos annos comparauit nobis sua beneficia, hoc fatemur, sed vtilitas eorum est æterna: quapropter cum natus homo baptisatur, & postea agnoscit beneficia Christi per euangelium, creditque Christum sibi peperisse tanta beneficia, omnibus temporibus sit eorum particeps: nam beneficia Christi non sunt alligata vllis circumstantijs, ita vt etiam infantes baptisati ea consequantur.

Et hic error Osiandri non est leuis & contemnedus, quo beneficia Christi certis circumstantijs astringit, vt impellat homines ad desperationem, dubitantes an sint idonei ad percipienda beneficia Christi, aut an habitant in locis idoneis, vt possint ea consequi, aut an viuant hoc vel illo tempore, quo beneficijs Christi potiri possint.

### X.

*Iustitia nostra nihil potest esse aliud quam quod facit nos iusta facere.*

## RESPONSIO.

Non possumus prius iusta facere nisi antea simus iusti iustificatione vitæ valente coram Deo: & postq; hanc iustitiam per fidem adepti sumus, efficitur templa Dei, in quibus tota trinitas habitat, operatur regenerationem, donat vim & facultatem iusta faciendi,

endi, incipit in nobis reliquias peccatorum expurgare, orditur in nobis inchoatam & in hac vita imperfectam iustitiam ad faciendam iustam, donec in altera vita ad perfectam pertingamus.

Augustinus ad Simplicianum, libro primo quaestione secunda. Quomodo potest ille iuste vivere, qui nondum iustus est? Quomodo sanctè, qui nondum sanctus est? Quomodo vivere potest, qui nondum vivit?

Quemadmodum autem Deus sit iustitia nostra secundum essentiam diuinam, & quemadmodum faciat nos iusta facere copiose dictum est supra.

## XI.

Nondum probatum est, remissionem peccatorum esse iustitiam nostram coram Deo:

## RESPONSIO.

Imò satis hoc demonstrauius supra tam ex locis scripturae, quam vetustorum Patrum sententijs: sed hoc nondum est probatum, quod Osiander asseuerat, essentialem Dei iustitiam nostram esse iustitiam coram Deo.

## XII.

Quaedam exempla Bibliorum Germanicorum interpretantur uocabulum iustitiae apud Ieremiam pro iustificatore, quae ipsa est magna falsitas & dolus, imò & significatio, quod Lutherani sauciam habeant conscientiam de iustitia essentiali.

## RESPONSIO.

Hæc interpretatio nullo dolo facta est, neque ita ut nos Lutherani essentialis iustitiæ causa, ut opinatur Osiander, saucias habeamus conscientias, sed ut declinaretur teter & horribilis error Osiandri de essentiali iustitia Dei, quasi per illam coram Deo iustificemur.

## DE OSIAN.

ficemur : & vt paucissimis verbis dicamus, quod omnino res est, verissimum est nullam esse commodiorē doctrinam impellendi homines ad extremam desperationem, quā Osiandricam de essentiali iustitia Dei, qua fieri nos oportere iustos putat: quoties enim cogitamus maiestatem Dei & excellentiam huius iustitiæ, & videmus nos non posse eam adipisci, cum non simus Dei neque similes Deo: necesse est nos expauescere magis, quā consolationem inde haurire, & sic postremo ruimus in desperationem: ac proinde Lutherus non temerè nos admonet in Postilla maiori prima Dominica Auentus, & alibi, vt vocabulum iustitiæ Dei, vbicumque in scriptura reperimus, non intelligamus de essentiali & interna iustitia Dei, ac cohorescamus: sed de gratia & misericordia Dei effusa in nos per Christum, qua coram ipso iusti, id est, accepti reputamur.

XIII.

*Christus est iustitia nostra & nullum opus vel beneficium huius personæ.*

### RESPONSIO.

Quod Christus sit iustitia nostra, & quomodo sit, supra in refutatione primi erroris Osiandri ostensum est: sed hinc non sequitur, beneficia seu opera Christi non esse iustitiam nostram coram Deo: nam hæc iustitia est opus & beneficium Christi, quod sua nobis perfecta obedientia peperit: deinde certa & inchoata iustitia, quæ non consistit in nouitate vitæ, est beneficium & opus & meritum Christi, sicut etiam perfecta iustitia alterius vitæ.

XIII.

*Quoniam etiam secundum humanam naturam Christus perfectè iustus*

*iustus est, tamen est iustitia nostra tantum secundum diuinam naturam.*

## RESPONSIO.

Verum est æternam Christi iustitiam tantum assignandam esse diuinæ naturæ: sed nihilominus Christus etiam est nostra iustitia secundum utranque suam naturam. Oportuit enim esse verum Deum & hominem, qui perfectam obedientiam legi præstaret, quæ obedientia impossibilis fuisset soli humanæ naturæ. Et hoc quoque fatentur Vuirtebergici Theologi in iudicio suo super doctrina Osiandri: Imò confitentur amplius, quod etiam rectè dictum sit, Christum secundum humanam naturam esse iustitiam nostram.

## XV.

*Remissio peccatorum non est iustitia, qua coram Deo iustificamur, sed tantum præparatio ad eam.*

## RESPONSIO.

Contrarium supra audiuimus, ubi tam ex scriptura, quam ex patribus docuimus, iustitiam nostram coram Deo vocari remissionem peccatorum: si ergo hæc remissio peccatorum est iustitia nostra coram Deo, non potest esse tantum præparatio ad iustitiam: illud quidem verum est esse præparationem ad inchoatam iustitiam nouæ vitæ.

## XVI.

*Gratia & remissio peccatorum non est iustitia, sed donum est iustitia diuina, etsi prius necesse est nos habere gratiam & remissionem peccatorum.*

## RESPONSIO.

Quod remissio peccatorum sit iustitia coram Deo supra ostendimus: quod autem gratia non sit

DE OSIAN.

iustitia coram Deo, verum est in hac sententia, quia proprie loquendo est causa illius, cum enim per fidem gratia apprehenditur, sunt homines iusti & salvi, ad Ephesios secundo. Alioquin etiamsi aliquis & gratiam acciperet pro iustitia coram Deo, non perpetraret errorem: vltatum est enim causam operis accipere pro ipso opere.

Essentialis iustitia Dei, quemadmodum eam Deus habet, & secundum eam sententiam quam supra memorauimus, non potest esse donum pro nobis: nemini enim Deus eam donat, nisi aequali: sed nostra iustitia coram Deo quæ consistit in remissione peccatorum est donum Dei, sicut & inchoata iustitia nouæ vitæ in nobis. Concedimus etiam quòd gratia præcedat nostram iustitiam, quæ est remissio peccatorum, tanquam causa, sed remissio peccatorum quoniam est ipsa nostra iustitia, non potest eam præcedere. Sed quamprimum iustificatio vitæ per fidem nobis donata est, simul euanescent omnia peccata nostra, itaq; & inimicitia Dei consopitur.

XVII.

*Remissio peccatorum non potest esse iustitia, quia comprehenditur in gratia.*

RESPONSIO.

Huius obiectionis propemodum hæc est sententia & mens, iustitiam coram Deo non esse opus gratiæ diuinæ. Remissio etiam peccatorum & gratia non sunt idem, sed discernenda sunt, sicut discernitur causa rei ab ipsa re: & quoniam gratia & remissio peccatorum non sunt idem, scriptura verò nostram iustitiam coram Deo etiam appellat remissionem peccatorum.

peccatorum, meritò igitur iustitia nostra coram Deo  
vocatur remissio peccatorum.

SEQUUNTUR ALIAE OB-  
iiectiones ex libris Osiandri  
pro suo dogmate.

XVIII.

Lutherus scribit in libello de triplici iustitia, quod iustitia, quæ ope  
ponitur peccato originali, & per regenerationem nobis annascitur, essentialem,  
hereditariam, & alienam iustitiam Christi esse.

RESPONSIO.

Hæc obiectio nihil facit pro dogmate Osiandri.  
Lutherus ibi non loquitur de iustitia, qua iustificamur  
coram Deo, sed de inchoata iustitia, quæ sequitur  
iustificationem vitæ: postquam enim eam per fidem  
adepti sumus, tota trinitas veniens ad nos habitat  
in nobis, regenerat nos, & donat facultatem quamdam  
ad inchoatam iustitiam, vt etiam ipso facto iustas  
actiones suscipiamus, quanquam in magna infirmitate,  
quam Deus tamen propter filium Dominum nostrum Iesum  
Christum tegit & condonat, vsque dum in vita æterna  
ad perfectam iustitiam perueniamus.

Porrò hæc iustitia vocatur iustitia essentialis ea  
ratione, quia est actiua iustitia, quæ fit realiter, & consistit  
in ipso facto, non in imputatione tantum, sicut iustificatio  
vitæ, quam Deus nobis imputat. Atque cum etiam iustitia  
inchoata in altera vita euaserit in iustitiam perfectam,  
ibi etiam nostræ actiones iustæ prorsus erunt perfectæ:  
ita vt hæc iustitia quodammodo iustitiæ Dei essentiali  
fiat conformis: eriamus enim in ea iustitia immortales  
& immaculati,

## DE OSIAN.

sicut dicit Petrus, nos fore participes naturæ diuinæ, hoc est, pro suo modo, seruato tamen discrimine inter Deum creatorem & homines creaturas, & inter æternam & essentialem Dei iustitiam, quam habuit ab æterno, & inter perfectam & in æternum durantem iustitiam quam consequimur ex gratia.

Et hæc iustitia est hæreditaria, quia eam filij Dei iusti in hac vita hæreditate acquirunt, ad initium faciendi iusta, & in altera vita ad perfectam iustitiam.

Est & aliena iustitia, de qua Lutherus hinc loquitur, quia eam habemus gratis sine vlllo merito, & à Christo nobis proficiscitur.

Vocatur & iustitia Christi, quia is donat eam nobis, & per eum illam consequimur, imò etiam aliquo modo conformis est essentiali eius iustitiæ, vt supra monuimus.

## XIX.

*Scribit etiam Lutherus in libello de duplici iustitia in hunc modum. Prior iustitia est aliena & extrinsecus infusa: ea est qua Christus ipse est iustus, sicut scriptum est 1. Cor. 7. Factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio.*

## RESPONSIO.

[Nec hic Lutherus loquitur de iustificatione vitæ, qua coram Deo iustificamur: sed de inchoata iustitia quæ est aliena, hoc est, quam gratuito sine nostris meritis accipimus, & quæ proficiscitur nobis à Christo, & propter Christum datur. Et hunc intellectum profitentur hæc ipsa verba Lutheri (nobis extrinsecus infusa). Item hæc verba quæ sequuntur (& vt per eam participes fiamus naturæ diuinæ) intelligenda sunt ea forma, de qua supra saepe dictum est, vt sic discrimen

crimen maneat inter Deum creatorem & nos creaturas, similiter inter essentialem Dei iustitiam & gratuitam nostram.

Et ad hanc inchoatam iustitiam, quæ tamen in illa vita erit perfecta, respiciunt ferè omnes loci Lutheri, quos citat Osiander pro suo dogmate, de essentiali iustitia Dei, qua coram Deo fieri nos iustos existimat.

## XX.

*Atqui Paulus ad Rom. 8. dicit, Deum nobis omnia donasse cum filio. Igitur etiam donavit nobis essentialem iustitiam filii.*

## RESPONSIO.

Scilicet ea ratione, qua supra dictum est, sed non ut per eam iustificemur coram Deo, assequamur diuinitatem, & efficiamur Dei, vel quòd nullum sit discrimen inter iustitiam nostram gratuitam, & inter iustitiam Christi essentialem quam habet ab æterno, & à natura semper habuit.

## XXI.

*Lutherus uocabulum naturæ apud Petrum intelligit de æterna ueritate, sapientia & uita æterna: itaque certum est, quòd iustitiam illam Dei, quæ est natura diuina, & iustitiam quæ ualet coram Deo, sentiat eandem esse.*

## RESPONSIO.

Nulla est consequentia, & magna vis est ac peruersitas, talem affingere glossam contra sententiam Lutheri totq; eius dicta, quorum aliqua supra annotauimus, in quibus negat essentialem Dei iustitiam esse iustitiam nostram, qua coram ipso iustificemur.

Præter



## DE OSIAN

Præterea vocabulum naturæ sic intelligendum est, ne tollatur discrimen inter Deum creatorem & inter nos, similiter & inter essentialem & æternam Dei iustitiam, & inter gratuitam nostram: non enim possumus esse Dñi, quemadmodum ipse Deus secundum diuinam naturam Deus est.

Harum similes obiectiones Osiander multò plures accumulatur, quibus suum dogma confirmare nititur, sed illæ omnes facillimè ex nostris & aliorum solutionibus solui possunt.

Nec offendere lectorem debet, quòd Osiander suam causam multis scripturæ testimonijs agit: sed potius attendat quàm impiè intellectum scripturarum torqueat & corrumpat. In vniuersum enim vbi cunq; in scriptura reperitur vocabulum iustitiæ, interpretatur essentialem Dei iustitiam, eo studio, vt iustificationem vitæ, quam Christus nobis sua perfecta obedientia peperit, quaq; coram Deo iustificamur, consistente in remissione peccatorum, extinguat, ne vllam inde habeant conscientie consolationem, sed vt intuentes in essentialem Dei iustitiam expauescant, & ad desperationem agantur.

tur.



DE

# DE CORRVPTE

## LA ARTICVLI DE

### VIRIBVS HVMANIS,

quod vocant Liberum  
arbitrium.



T PROPRIISSIME DE LIBERO  
arbitrio hominis differatur, & hæc  
tota doctrina rectè comprehenda-  
tur, ac intelligantur contrariæ falsi-  
tates: necesse est primum doceri de  
libero arbitrio hominis ante laps-  
sum: & postea de libero arbitrio hominis post laps-  
sum. Ac liberum arbitrium post lapsum hominis,  
porrò distinguendum est, in arbitrium rerum spira-  
taliū seu diuinarum, quæ ad Deum pertinent: & in  
arbitrium rerum, quæ immediatè & citra controuer-  
siam subiectæ sunt rationi. Postremò etiam liberum  
arbitrium in rebus spiritalibus seu diuinis rursus  
postulat distinctionem, quo ad facultatem hæc res  
verè volendi, cogitandi, intelligendi, & perficiendi:  
& rursus easdem aliquo modo, ductu naturæ, ratio-  
nis & viriū naturalium, sed non verè, volendi, co-  
gitandi, intelligendi, & perficiendi. Quod autem ad  
malum attinet, homo post lapsum plus satis habet  
liberi arbitrij.

### DE LIBERO ARBITRIO

hominis ante lapsum.

Hoc liberum arbitrium in homine fuit plena &  
libera potestas faciendi bona & mala, seruandi man-  
y data

## DE LIBERO

data Dei, & non seruandi, & cum tali arbitrio initio Deus hominem creauit: de hoc arbitrio proprie loquitur Syracides capite decimo quinto. Creauit hominem ab initio, & optionem ei dedit: si vis serua mandata, & facito ei placencia in vera fiducia, ignem & aquam proposuit tibi, elige vtrum velis: proposita est homini vita & mors, vtrum vult dabitur ei.

Quod autem homo etiam ante lapsum habuerit tale liberum arbitrium, non est mirandum, quia secundum imaginem Dei creatus fuit in veritate & iustitia.

Et huiusmodi liberum arbitrium necesse fuit habere primum hominem, vt ita labi posset, ne Deus autor peccati haberetur.

Causæ verò liberi arbitrii in primo homine fuerunt, Deus qui creauit illud in homine. Deinde ratio & voluntas: illa demonstrans bonum & contrarium malum: hæc amplectens vel excutiens bonum vel malum.

Augustinus de nouo cantico, cap. 8. Elegit primus homo ignem, & reliquit aquam. Quod elegit homo, liber accepit, malum voluit, hoc secutum est illum.

Item, lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 30. Primus homo secundum liberum arbitriū in quo rectus creatus est, potuit non peccare, & peccare.

Item de correptione & gratia, capite 11. Potuisset homo perseuerare, si voluisset, quod autem noluerit, de libero arbitrio descendit, quod tum ita liberum erat, vt bene, recte & male posset.

Hoc liberum arbitrium verè faciendi recta in rebus

rebus diuinis & spiritualibus, planè nobis periit: vnde Augustinus rectè dicit in Enchiridio. Homo ab usum est libero arbitrio, seque & ipsum perdidit.

DE LIBERO ARBITRIO HOMINIS post lapsum, res diuinas & spirituales rectè volentis, cogitantis, intelligentis & perficientis.

Hoc liberum arbitrium habet se purè passiuè, scilicet quo ad causam, & est opus diuinæ gratiæ & donum: non est enim penes hominem, & in viribus hominis res diuinas & spirituales rectè & verè velle, cogitare, intelligere, & perficere.

TESTIMONIA SCRIPTURAE

quod homo post lapsum in rebus diuinis & spiritualibus nihil rectè, boni & verè velle possit.

Ad Philippenses cap. 2. Deus est qui facit vt velletis. Et de hac voluntate tanquàm dono Dei intelligenda est voluntas Apostoli ad Rom. 7. cum dicit: Quod volo bonum, non facio

TESTIMONIA EX

dictis Patrum.

Augustinus ad Vitalem Episcopum, epistola 107. Quapropter ut Deum credamus, & piè viuamus, non volentis, nec currentis, sed miserentis Dei: non quia velle & currere non debemus, sed quia ipse in nobis, & velle operatur & currere.

Itè, lib. 3. Hypog. contra Pelag. Homo non praeuenit Deum voluntate sua, vt cognoscat, & quarat gratiã.

Ibidem. In omni opere sancto, prior est voluntas Dei: postea voluntas liberi arbitrij, id est, Deus operatur, homo cooperatur. Hæc verba Augustini sic sunt

DE RABI

intelligenda, quòd Deus operetur bonam voluntatem in nobis. Homo autem cooperatur, quando bonam voluntatem, quam Deus in ipso operatus est, trahit in vsum, vult quæ Deus offert ei ex gratia. Et hæc ipsa opera simul dat Deus homini.

Ibidem. Eos autem qui rationis capaces sunt, præuenit atque docet Deus, vt tamen velint, vt possint, paruulos verò sine vsu liberi arbitrii, facit gratia habere beatam, perpetuam, æternamque vitam.

Item, de peccatorum meritis & remis. lib. ii. cap. 18. Quòd nos ad Deum conuertimus, nisi ipso excitante atq; adiuuante non possumus, & hæc est voluntas bona.

Item, de spiritu & litera cap. 24. Quid habes quod non accepisti à Deo, propterea etiam voluntas, qua credimus, dono Dei attribuitur.

Item, ad Valentinum de gratia & libero arbitrio cap. 15. Gratia Dei semper est bona, & per hanc fit, vt sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ.

Item, de correptione & gratia. Sine gratia Dei nullum profus faciunt homines bonum, siue cogitando, siue volendo.

Ibidem. Tacitum quippe à spiritu sancto accenditur voluntas sanctorum, quòd ideò possint, quia sic velint, quia Deus operatur, vt velint.

Item, in lib. 83. Quæst. Quæstione 68. Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, siue intrinsecus, vbi nullus hominum videt, siue forinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.

Soli

Soliloquiorum cap. 24. Velle quod bonum est, non possum, nisi tu velis, nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet.

Item, de Eccles. dogmatibus cap. 27. Omni motus bonæ voluntatis ex Deo est.

Item, ad Simplicianum, lib. 1. Quæst. quæst. 11. Ut velimus, hoc dat Deus.

Ibidem. Deus est qui in nobis operatur velle & facere, iuxta bonam voluntatem suam: & si quis vellet interrogare, an bona voluntas sit donum Dei, profectò mirum esset, si quis hoc negaret.

Ibidem. Epistola 6. Quis potest gratiam cupere, nisi volens? Nisi autem Deus voluntatem in ipso operetur, nullo pacto velle potest.

Item, de Gratia & libero arbitrio, cap. 17. Ut velimus, id operatur in nobis: quando autem volumus ut faciamus, Deus cooperatur nobiscum.

Ambrosius in libro de vocatione gentium, lib. 1. Licet insit homini bonum velle, tamen nisi donatum non habet bonum velle. Illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.

Gregorius lib. 22. Moralium cap. 10. Fimus debitores Deo de accepto munere, qui & præueniendo dat hominibus bonum velle, quod voluerunt.

Item, Homelia 9. in Ezechielem. Nos præuenit ut velimus, & adiuuando subsequitur, ne frustra velimus. Hinc orat Ecclesia, in secretis Missæ, Dominica quinta à ferijs Pentecostes. Et nostras rebelles ad te compelle voluntates.

Hieronymus contra Pelagium Ctesiphontem. Velle & currere meum est: sed quod meum est, non est meum sine præsidio Dei.

DE LIBERO  
TESTIMONIA SCRIPTURAE

quod homo post lapsum in rebus diuinis  
seu spiritualibus nihil recti, boni,  
& veri cogitare possit.

Posteriore ad Corinth. 3. Non quod idonei simus  
quicquid cogitare ex nobis, tanquam ex nobis: sed quod  
idonei sumus à Deo est, qui facit nos idoneos.

Genesis sexto & octauo dicit Dominus: omnes  
cogitationes & meditationes hominis à iuuentute  
esse malas, si sunt malæ, nihil utique boni cogitare vel  
meditari possumus.

Psalmo nonagesimo tertio Propheta dicit, vanas  
esse cogitationes hominum.

TESTIMONIA EX

Augustino.

De correptione & gratia cap 82. Sine gratia po-  
test homo cogitare Deum bonum.

Item, de Eccles. dogmatibus cap. 27. Ita Deus in  
cordibus hominum, atque in ipso libero arbitrio ope-  
ratur, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque  
motus bonæ voluntatis ex Deo sit.

Ibidem, cap. 24. Ille hæretico spiritu decipitur, qui  
dicit, hominem ex se posse aliquid boni cogitare.

Item, contra 2. Epistolas Pelag. ad Bonifacium,  
lib. 2. cap. 8. Quis potest se per bonam cogitationem,  
ad cor bonum præparare.

Bernhardus in tractatu de gratia, & libero ar-  
bitrio. Homo nihil boni ex se cogitare potest, multo  
minus in bonum consentire. Et hæc verba non sunt  
mea, sed Apostoli, qui Deo, non suo libero arbitrio  
asscribit, ut bonum cogitet.

Ibidem.

Ibidem. Deus operatur in nobis, vt aliquid boni cogitemus: & hoc reuera sine nobis.

Ibidem. In eo quòd nobis dat bonam cogitationem, praueniet nos.

### TESTIMONIA SCRIPTURAE

quòd homo post lapsum in rebus spiritalibus seu diuinis nihil recti, boni & veri intelligere possit.

Matth. 13. Vobis datum est intelligere mysteria regni caelorum, ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant.

Ioh. 3. Nisi denuo renascamini, non potestis regnum caelorum videre, hoc est, recte intelligere.

Item spiritus sanctus ubiq; à Christo promittitur, tanq; inducens nos in omnem veritatem, & ita etiam in verum intellectum veritatis.

Psal. 69. Da mihi intellectum Domine, secundum verbum tuum.

Psal. 93. Beatus homo, quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris.

Item, Deuteronomij vicefimo nono: Dominus non dedit nobis cor intelligens, & oculos videntes.

Priore ad Cor. 2. Animalis homo non intelligit, quæ sunt spiritus Dei, stultitia est illi, nec potest cognoscere, sed spiritalis rimatur & iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.

### Testimonia ex libris Patrum.

Ambrosius de vocatione gentium, lib. 1. cap. 9. Vt Deus cognoscatur, id ex Deo est. Et hoc iuxta verba Prophetæ, Dabo eis cor vt cognoscant me.

Augustinus de gratia Christi, contra Pelag. & Celestium, lib. 1. Deus operatur in cordibus hominum,

non



## DE ARBITRIO

non solum reuelationem, sed etiam bonam voluntatem.

Item, de fide ad Petrum Diaconum, lib. 1. cap. 31. Firmissimè tene & nullatenus dubita, neminem hic hominum posse pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sua miseratione conuertit, vnde Apostolus dicit, 2. ad Timoth. 2. Nisi forte Deus det illis pœnitentiam, ad agnoscendam veritatem.

Item, de natura & gratia, contra Pelag. capite 4. Quòd si naturalis potentia, per liberum arbitrium, ad agnoscendum Deum, & ad rectè viuendum sufficiat, frustra mortuus est Christus.

### TESTIMONIA SCRIPTURAE

quòd homo post lapsum in rebus spiritalibus seu diuinis nihil recti, boni, & veri perficere possit.

Ad Philippenses 1. Qui cœpit in vobis opus bonum, is etiam perficiet.

Cap. 2. Deus est enim, qui operatur in vobis vt velitis, & perficiatis, quæ grata sunt ipsi.

Item, ad Rom. 7. Paulus regeneratus queritur sibi non deesse voluntatem, sed non posse perficere: si ergo regenerati habent impedimenta, quò minus faciant bona quæ volunt, quanto magis impediuntur non regenerati.

Primò Regum capite 8. Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendum mandata Dei.

Item, Petrus scribit, priore epistola capite quinto, Deum qui nos vocauit, etiam confirmaturum nos, & corroboraturum.

TESTI

## TESTIMONIA AVGV.

stini.

Lib. 3. contra Pelag. hypognosticon. Librum arbitrium est inidoneum ad ea quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certè peragere.

Ibidem. Nemo sibi ipsi sufficit per liberum arbitrium implere quod vult.

Ibidem. Eos autem qui rationis capaces sunt, Deus præuenit, & docet, vt velint bonum & possint.

Item in Enchiridion cap. 30. Quid potest homo perditus boni operari vbi à sua perditione non fuerit liberatus?

Item lib. 1. de prædestinatione sanctorum, cap. 2. In omni opere bono inchoando, & perficiendo, nostra idoneitas ex Deo est.

Item de correptione & gratia, cap. 82. Sine gratia homo nihil boni facere potest.

Item soliloquiorum cap. 24. Magna est multitudo miseriarum mearum mearum. Velle quippe mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Velle quòd bonum est non possum, nisi tu velis, nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet.

Ibidem. Dicebam aliquando, hoc faciam, illud perficiam, nec hoc nec illud faciebam, aderat voluntas, non erat facultas, non aberat voluntas, quoniam de meis viribus confidebam.

## APPENDIX.

Quemadmodum iam audiuimus de superioribus sensibus ac viribus hominis, veluti de voluntate, cogitatione, intellectu & perfectione rerum diuinarum & spiritualium: similiter sentiendum est de cæteris

## DE LIBERO

ris partibus, quæ hisce adherent: sic etiam animalis homo ex suis viribus nihil recti, boni & veri iudicare potest de rebus diuinis & spiritalibus: sed oportet esse hominem spiritalem, qui de rebus spiritalibus rectè & verè vult iudicare, priore ad Corinth. 2. Nihil item in rebus diuinis & spiritalibus recti & veri incipere potest. Ad Philippenses primo. Qui inchoauit in vobis opus bonum. Neq; in rebus diuinis & spiritalibus perseuerare: hinc enim diligenter Apostolus orat pro sua Ecclesia ad quam scribit, vt eam Deus confirmet, & seruet ei thesauros spirituales, quos agnouerat: nemo item propria sua voluntate vel viribus potest impleri agnitione Dei sapientiaq; & intellectu spiritali, similiter neq; dignè ambulare Deo ad eius placitum, multò minus fructum facere in omnibus operibus bonis, crescere in agnitione diuina, & in omni facultate ad patientiam, mansuetudinem, & similes virtutes. Ad Colossenses primo. Non cessamus pro vobis orare & precari Deum, vt impleamini agnitione voluntatis eius. Item vocamur ex gratia ad spiritalia regnum Christi, & ad spiritalia eius bona, priore Petri secundo. Præterea etiam vera conuersio ad Deum, & ad regnum eius, est donum Dei, posteriore ad Timotheum secundo. Nullus item homo potest esse verus ciuis in regno Christi sine regeneratione, Iohannis tertio.

Item, omnes nostræ actiones displicent Deo sine regeneratione: vnde omnia nostra opera rectè vocantur fructus spiritus, ad Gal. 5. Item, nemo venit ad Christum nisi traxerit eum pater.

### QVAESTIO.

*Quid autem respondendum est, cum dicunt defensores liberi arbitrij,*

*trij, in proprijs uiribus hominis naturalis situm esse, ut oblatam gratiam amplectatur, sibi eam applicet, & ei consentiat*

## RESPONSIO.

Non est dubium quosdam hoc tempore isto modo argumentari: sed quàm minimè animalis homo in rebus diuinis & spiritalibus quæ recta & vera sunt velle, cogitare, intelligere, perficere & iudicare potest: ita minimè oblatam gratiam Dei potest rectè & verè acceptare, sibi que applicare: non est enim consentaneum, acceptationem diuinæ gratiæ penes nostras esse vires, cum alioqui superiores sensus in rebus diuinis & spiritalibus nihil rectè & verè possint efficere: sed de his audiemus Bernhardum & Augustinum.

Bernhardus de gratia & libero arbitrio. Hoc ergo totum liberi arbitrii opus est, hoc solum eius meritum, quod consentit. Est prorsus. Non quidem, quòd vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit, cum nec cogitare (quod minus est, quàm consentire) aliquid à nobis, quasi ex nobis sufficientes simus. Loquitur autem Bernardus de libero arbitrio liberato per gratiam: nam huius solius opus est consentire.

Ibidem. Verba non sunt mea, sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, id est, cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate, attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis:

## DE LIBERO

primum profectò sine nobis : secundum nobiscum : tertium per nos facit : siquidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit, immutando etiam malam voluntatem sibi perconsensum iungit, ministrando & consensui facultatem facis per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.

Ibidem. Verum consensus vt opus, et si non ex nobis: non tamen sine nobis.

Ibidem. In hoc quia patimur cum obedientia, quòd Deus in nobis operetur consensum: inde appellamur cooperatores Dei.

Ibidem. Porrò coadiutorem fecit, cum fecit volentem, hoc est, suæ voluntati coconsentientem.

Ibidem. De libero arbitrio dicitur, quod cooperetur cum gratia, quæ salutem operatur, in eo quod liberum arbitrium consentit, hoc est, saluatur.

Augustinus in lib. de Eccles. dogmatibus cap. 24. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid ad salutem vitæ æternæ pertinens cogitare vt expedit, aut eligere, siue saluari, id est, Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absq; illuminatione & inspiratione spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & in credendo veritatem, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in euangelio, dicentis: sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli: non quòd idonei simus cogitare aliquid à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

## OBIECTIO.

Quia uero nostram uoluntatem & assensum oportet accedere, cum nobis Deus offert suam gratiam: necessario hinc sequuntur duo. Primum quòd hæc uoluntas & assensus sint opera nostra: deinde quòd se non habeant

beant purè passiue, hoc est, quòd non tantum sint opera gratiæ, sed etiam eiusmodi opera, quæ simul se habent actiue, quibus & nos aliquid agimus.

## RESPONSIO.

Quòd voluntas & assensus ad oblatam gratiam, tantum sint opera Dei & gratiæ ipsius, satis demonstratum est supra, attamen possunt etiam vocari nostra opera, quia non fiunt extra nos, & quia nos sumus subiecta, in quibus fiunt, imò personæ seu instrumenta facientia hæc ex gratiâ: sed nequaquam possunt vocari nostra opera, id est, nostri arbitrii & virium extra gratiam: verum sunt opera arbitrii nostri iam per gratiam restituti: ergo longè aliud est loqui de libero arbitrio seu viribus humanis ante gratiam, & de libero arbitrio seu viribus humanis post gratiam: illud est captiuum, hoc vero liberum: si quis ergo arbitrium in nobis restitutum sic describat, vti fecerunt quidam doctores: Liberum arbitrium est facultas, applicandi se ad oblatam gratiam, vel accipiendi eam, & assentiendi illi: nihil hic reprehendemus: in hac enim descriptione voluntas, acceptio, & assensus manent opera gratiæ: sed si intelligatur definitio de arbitrio extra gratiam, hac ratione, quòd voluntas seu appetitio oblatæ gratiæ, item apprehensio eius & assensus consistant in naturalibus viribus nostris ante gratiam, tum verò falsa est & repudianda. Et hinc oritur certamen nostri temporis de libero arbitrio, quòd ex nostris quidam existimantur intelligere hanc definitionem liberi arbitrii de arbitrio nondum restituto seu verè liberato per gratiam, & ei tribuere opera sequentia videlicet oblatam gratiam velle, apprehendere, & consentire.

## DE LIBERO

Quod autem attinet ad alteram consequentiam, videlicet quod voluntas seu appetitio gratiæ & apprehensio & assensus non habeant se purè passiuè, hoc est, quod non tantum sint opera gratiæ, sed etiam actiuè se habeant, ita vt etiam nos aliquid agamus: rectè respondemus, verissimum esse, quando nobis Deus suam gratiam offert, nosq; eam volumus, apprehendimus & assentimur: ibi tum nos simul facere hæc opera. sed non sequitur inde, quod hæc opera sint in naturali facultate & viribus hominis posita: sed sunt opera solius gratiæ, qua restituti & verè liberi effecti sumus, & sine qua nihil possumus rectè & verè facere. Quod si igitur hæc habent se purè passiuè, non possunt actiuè se habere, scilicet quo ad causam, quasi naturalis voluntas hominis sit causa horum operum: quod enim quis hæc opera facere potest & facit, nihil est nisi gratia, ac proinde hac in re nihil præter gratiam Dei prædicandum est, neque euehenda vis & facultas nostra sine gratia.

Huc iam consentiunt dicta supra citata Bernhardi & Augustini, in quibus veram voluntatem seu apprehensionem & assensum ad oblatam gratiam constituunt opera gratiæ diuinæ, quæ tamen extra nos fieri nequeunt, quæq; nos ex gratia simul facimus, qui tamen per nos ipsos tanq; homines naturales extra gratiam nihil sanum, nihil bonum, nihil Deo placens agimus: & ad eundem modum intelligenda sunt etiam sequentia Augustini dicta.

In epistolam Iohannis tractatu 4. Et omnis qui habet spem hanc in ipso, castificet semetipsum, sicut & ipse castus est. Videte quemadmodum non abstru-

lit

lit liberum arbitrium, vt diceret, castificet semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus? Sed Deus te nolentem non castificat, ergo quòd adiungis voluntatem tuam, Deo castificas temetipsum. castificas te, non de te, sed de illo, qui venit, vt habitet in te, tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributum est, vt dicas, sicut in Psalmo 26. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, si dicis. Adiutor meus esto, aliquid agis. Nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat?

Hoc dictum Augustini admonet nos cum Iohanne, vt purificemus nos ad exemplum Dei, qui & ipse purus est: sed hanc purificationem acceptam fert Deo. Quia verò Deus neminem vult purificare inuitum, necesse est accedere nostram voluntatem, hæc autem voluntas est opus Dei & gratiæ diuinæ vt sæpe superius indicauimus. Cum igitur hæc voluntas non sit extra nos, sed nos tanquam instrumenta eam operemur, tamen ex gratia in hoc casu aliquid nobis tribuit Augustinus, non quòd vires nostræ naturales sint causæ operationis, vel quòd voluntas sit opus virium naturalium vel arbitrij naturalis, sed quòd hæc actiones sint opera gratiæ, & voluntatis per gratiam restituta. Neq; Augustinus ideò vocat Deum cooperatorem nostrum, quòd nos ex viribus naturalibus verè possimus velle, sed quod Deus voluntatē, q̄ ipse iam ex gratia in nobis operatus est, in perficiendo adiuuat. Et sic Augustinū intelligi necesse est: aut sequetur inde, vires nostras naturales & gratiā Dei simul esse causas veræ voluntatis & assensus, & sic

August



## DE LIBERO

Augustinus secum pugnabit ipse, cum saepe dixerit antea, voluntatem boni in rebus diuinis & spiritualibus & assensum esse opera præcedentis gratiæ.

Itaq; hoc dictum Augustini intelligendum est de arbitrio restituto post gratiam, & non de arbitrio naturali nondum restituto ante gratiam.

Scribit item Augustinus alio loco de spiritu & litera capite tricesimo quarto. In omnibus misericordia Dei præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicuti dixi, propriè est voluntatis.

Et hoc dictum Augustini nullo modo sic intelligendum est, quòd assensus ad vocationem diuinam sit opus arbitrii naturalis, nondum per gratiam liberati & restituti: certè enim assensus si sit verus & non simulatus, est donum Dei, & opus gratiæ eius. Quòd autem naturalis homo oblatam vocationem gratiæ respuit, id ipsius est arbitrii, & propriæ facultatis: ad malum enim semper habet homo liberissimum arbitrium, sicut ostendit Augustinus ad Valentinum de gratia & libero arbitrio cap. 15. Voluntas semper est libera in nobis, sed non semper ad bonum.

Item, de Ecclesiasticis dogmatibus capite viceesimo primo. Initium ergo salutis nostræ Deo misericordie habemus, vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est. Vt adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, diuini est munus.

Hæc & similia dicta Augustini defensores liberi arbitrii pro se vsurpant, sed cum falso intellectu, & conuinc

conuincere conantur in naturalibus viribus hominis adhuc captiui, necdum per gratiam restituti inesse hanc vim, vt possit se applicare ad oblatam gratiam, eamq; apprehendere, & illi assentiri.

## OBIECTIO

Tamen & nos aliquid addimus, si uoluntas nostra, cum Deus suam nobis gratiam offert assentiatur, & hæc uoluntas actiue se habet utique, quia per eam aliquid agimus.

## RESPONSIO.

At ex viribus nostris naturalibus, vt volunt defensores liberi arbitrij, nihil agimus: sed quicquid in hac re agimus recte, id fit ex gratia, quod autem ex gratia fit, non possumus ascribere nostris viribus: & etiamsi hoc totum quicquid est, quædam est actio tamen est actio gratiæ & voluntatis restitutæ in nobis: post restitutionem enim homo spiritalis potest facere secundum voluntatem & beneplacitum Dei bona & vera, quanquam in magna infirmitate, quæ tamen credentibus in Christum non imputatur ad condemnationem, ad Rom. 8.

## OBIECTIO.

Sed tamen in nobis aliquid reliquum est, scintilla quædam & semina libertatis ad recte intelligendum res diuinas seu spirituales, oblatamq; gratiam uolendum, accipiendum, & ei assentiendum, quibus scintilla a spiritu sancto suscitatis & motis, possunt homines suis uiribus uere intelligere ac perficere res diuinas seu spirituales gratiamq; Dei accipere.

## RESPONSIO.

Hæc obiectio reperitur etiam in libro Augustano, de religione Interiecti temporis, qui docet uoluntatem hominis tantummodo labefactam & sauciatam esse, sed non deletam & perditam. Scripturaverò

Aa loquie

## DE LIBERO

loquitur de tota deletione & perditione: idque prorsus priuatiuè, & totam facultatem agendi adimit in his quæ sunt spiritus Dei. Vnde Augustinus inquit hominem per peccatum seipsum & liberum arbitrium voluntatis perdidisse. Item voluntatem nostram tantum habere libertatem ad malum: si ergo scintillæ in nobis restant liberi arbitrii, tantum sunt scintillæ ad malum, seu ad illud, quod neque rectum est, neque bonum. Deinde hæc obiectio vires nostras naturales cum spiritu sancto fingit esse causas coniunctas ad rectè intelligendum res diuinas & spirituales. Item ad volendum quoque, & ad accipiendum denique oblatam gratiam Dei.

### OBIECTIO.

*Mens cogitans, uoluntas non repugnans, sed inuocans auxilium Dei, & spiritus sanctus, qui mouet cor, simul sunt cause, ut res diuinas & spirituales rectè & uerè uelimus, cogitemus, intelligamus & perficiamus: item oblatam diuinam gratiam accipiamus. Ergo & nos aliquid addimus, neq; tantum res dictæ habent se purè passiue: sed etiam actiue.*

### RESPONSIO.

Non possunt hæc omnia simul esse causa dictorum operum. Animalis enim homo, quo ad causam, in rebus diuinis nihil rectè cogitat, vult & facit, ut supra dictum est: multò minus oblatam Dei gratiam recipit & assentitur: ergo naturalibus viribus nihil nos recti & veri addimus, neque addere possumus, & manet verissimū, sicut diximus, quòd hæc opera se habeant purè passiue quo ad causam, & non actiue: & spiritus sanctus & gratia tantum sunt causa horum operum.

Præterea spiritus sanctus non tantum mouet in nobis

nobis cogitationem & voluntatem verè cogitandi & volendi res diuinas : sed etiam operatur eas integrè in nobis, sine nostra opera ex sola gratia.

Sin autem hæc obiectio intelligatur de renouatione mentis, cogitationis & voluntatis post gratiam, & post arbitrium restitutum, tolerari sane posset, vbi enim restituta est volūtas, ibi bonus & verus intellectus adesse potest, & bonæ & veræ cogitationes, ibi non repugnatur, sed auxilium Dei vere & ardentè imploratur.

## OBIECTIO.

*Homo non est lapis, stipes, uel truncus: ergo & ipse aliquid agit in rebus spiritalibus ad uerè uolendum, cogitandum, intelligendum & perficiendum eas.*

## RESPONSIO.

Homo naturalis non est truncus, stipes, vel saxum per se: propterea etiam postea tribuuntur ei certo modo multa opera externa circa res spirituales: sed quod in his rebus aliquid rectè possit, imprudentia est dicere. Quicquid verò homo naturalis in hoc casu potest, illud habet ex gratia: ac si quid maxime efficit boni, hæc actio nihil est aliud, nisi gratia.

Ac profecto si consideremus Deum in homine naturali ex sola gratia efficere, ut res diuinas seu spirituales rectè & verè expetat, velit, cogitet, intelligat, perficiat, oblatam gratiam accipiat, non respuat: non adeò malè dicitur, hominem esse lapidem, stipitem & truncum, qui tantum patitur, ut in ipso Deus operetur neque

## DE LIBERO

suis viribus quicquàm additamenti afferre potest, sicut lapis patitur, vt eum faber seu statuarius incidat, & suo proposito adaptet.

Sed in hoc casu meritò non æstimatur homo pro saxo, stipite vel trunco, cum seruum seu captiuum arbitrium per gratiam & spiritum sanctum iam restitutum est: tum enim verè vult bonum in rebus spiritalibus, potest etiã velle, cogitare, intelligere & perficere: verum non ex se ipso, sed per gratiam. nequæ est quæstio, quid possit homo post gratiam & regenerationem rectè & verè efficere in rebus diuinis seu spiritalibus, verum quid in his rebus ante gratiam & regenerationem valeat.

### OBIECTIO.

*Spiritus sanctus, uerbum & uoluntas humana, assentiens nequæ repugnans uerbo, simul sunt cause conuersionis: ergo etiam homo aliquid fert adiumentum ad conuersionem suam.*

### RESPONSIO.

Verum est, quod spiritus sanctus in conuersione hominis agat per uerbum tanquàm externum medium: sed quòd uiribus naturalibus hominis reseruatum sit, rectè se ac verè conuertere, uocationem accipere, uerbo uocanti non repugnare, falsissimum est. Supra, enim probatum est, quòd uera uoluntas boni in rebus diuinis & spiritalibus, Dei sit opus & donum, sicut etiã Dei opus est oblatam gratiam accipere & non respuere: igitur accipere, assentiri, obedire uocationi ad conuersionem, & repugnare uerbo uocanti, sunt opera gratiæ siue uoluntatis per gratiam restituti in homine, & non naturalis ac humanæ uoluntatis in nobis. Alioqui autem non existimamus malè dici, uoluntatem gratiæ siue uoluntatem

tem restitutam hominis vnâ cum spiritu sancto & verbo in conuersione hominis etiam suas partes agere. Potest enim nunc oblatam gratiam rectè & verè velle & accipere, sed istud velle & accipere non potest verè ascribi voluntati in homine naturali, nec dum restitutæ.

## OBIECTIO.

*Qui vult habere spiritum sanctum & auxilium eius, hunc oportet non contemnere Deum, non repugnare, sed intus eum gemitibus inuocare: ergo hæc opera hominis prius sunt, quam accipitur spiritus sanctus. si sunt prius, iam sunt nostra opera, & habent se actiue, & non purè passiuè.*

## RESPONSIO.

Obiter, secundum ductum virium naturalium, potest homo naturalis Deum non contemnere, non repugnare, eum inuocare, antequàm accipit spiritum sanctum: vt autem hæc opera rectè & verè faciat sine spiritu sancto, planè fieri nequit.

## OBIECTIO.

*Atqui scriptum est in Actis capite quinto: Spiritum sanctum dedit obedientibus: ergo etiam possumus ante spiritum sanctum esse obedientes: & itaq; obedientia nostra opus est nostrum, quod habet se actiue.*

## RESPONSIO.

Hoc dictum loquitur de augmento obedientiæ nostræ, quam nos regenerati ex gratia iam habemus, & ad eam rem datur etiam nobis spiritus sanctus, qui non est solum dator donorum (sicut etiam vera obedientia est donum spiritus sancti) sed etiam cumulator eorum.

## OBIECTIO.

*Priore ad Corinthios capite tertio. Sumus cooperatores Dei: inde apparet Deum hæc opera uidelicet ut res spirituales uerè uelimus, uerè*

## DE LIBERO

accipiamus & similia, non tantum operari in nobis, sed nos operari ea cum ipso.

### RESPONSIO.

Nihil ibi Paulus loquitur de viribus naturalibus hominis, in rebus spiritualibus recte volendis, cogitandis, accipiendis: sed tantum loquitur de ministerio seu officio ecclesiastico, quod ministri per gratiam diuinam exercent, ita vt ipsi doceant, & Deus det incrementum. Ac licet aliquis vocabulum cooperatoris ad liberum arbitrium detorquere velit, tamen intelligi vocabulum de arbitrio per gratiam restituto necesse est: nam sine gratia nemo potest esse verus ac fidelis cooperator.

Ac Bernhardus in libro de gratia & libero arbitrio recte commonefacit, quamobrem cooperatores Dei nuncupemur, videlicet quod obedientes patiamur in cruce, & quod Deus exuscitet in nobis assensum,

### OBIECTIO.

At Augustinus dicit lib. 3. hypognosticon contra Pelagianos. Propterea in quolibet bono opere prius adest uoluntas Dei: postea accedit uoluntas nostra, hoc est, Deus operatur, & homo cooperatur. Item Bernhardus in libro de gratia & libero arbitrio. De libero arbitrio dicitur, quod cooperetur per gratiam, qua salutem operatur, in quo liberum arbitrium assentitur, hoc est, saluatur.

### RESPONSIO.

Vtrunque dictum est intelligendum de arbitrio per gratiam restituto. Cum enim restituitur uoluntas per gratiam, conceditur homini uis & facultas faciendi bona & recta in rebus spiritualibus seu diuinis: ac propterea uocatur cooperator, non quo ad causam, sed ad effectum, id est, non propterea quod pote

potestatem habeat homo ex naturalibus viribus quicquam recte agendi in rebus spiritualibus: sed quod ex gratia facit quicquid facit. Verum est igitur voluntatem regeneratam cooperari, id est, hoc addere quod accipit ex gratia, sed voluntas nondum regenerata non potest ita cooperari.

Item, expresse dicitur in hoc primo dicto: quod voluntas Dei præcedat, & nostra sequatur, in testimonium, quod nisi voluntas Dei operetur in nobis nostram voluntatem, nihil nos quidem possimus in rebus diuinis neque velle neque facere.

In altero dicto indicatur, quod gratia operetur salutem: igitur nos homines non operari. Operamur autem per gratiam seu cum gratia, cum nos saluati hoc facimus quod ex gratia facere valemus.

## OBIECTIO.

Nusquam in scriptis Lutheri reperitur, quod conuersio hominis se habeat pure passiuè, tanquam eiusmodi opus quod tantum patimur, agente in nobis Deo: merito igitur adhuc dicimus conuersionem hominis fieri actiuè, hoc est, addentibus nonnihil etiam nobis ex uiribus & facultatibus naturalibus.

## RESPONSIO.

Contrarium est verum. Lutherus enim super verba Iohannis. cap. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri sic scribit: Iohannes non loquitur de villo opere hominis neque magno neque paruo: sed de renouatione & inuersione veteris hominis, qui est filius diaboli, in nouum hominem, qui est filius Dei, & homo habet se merè passiuè, nec agit quicquam: sed totus tantum fit. De fiendo solummodo loquitur Iohannes, ac dicit filios Dei fieri per eam potestatem, quæ nobis à Deo concessa est: non per eam quæ insita est nobis ratione liberi arbitrij.

OBIECTIO.



181  
DE LIBERO  
OBIECTIO.

*Si uoluntas in rebus diuinis & spiritualibus haberet se purè passiuè, non inesset in homine lucta contra malum, nullum exercitium conferranda fidei, nullus pavor & angustia in sanctis.*

RESPONSIO.

Non sequitur: ut enim hæc lucta exercitium & pauores sint res veræ & non simulatæ, non possumus eiusmodi opera efficere uiribus nostris naturalibus: sed à Deo nobis per gratiam hæc donari oportet. Si dantur hæc dona per gratiam: certè patimur ea purè passiuè, scilicet quo ad causam.

OBIECTIO.

*Deus uolentem trahit: ergo uoluntas faciendi bona in rebus diuinis nostrum est opus naturale, quod facimus ex nobis, & non patimur tantum purè passiuè.*

RESPONSIO.

Verum est quòd Deus non trahat nisi uolentem, sed uoluntatem simul donat, ut supra sæpe audiui-  
mus, estq; illa opus gratiæ. Augustinus de Ecclesia-  
sticis dogmatibus capite quadragesimo quarto: Qui-  
cunq; dicit, quod aliquis sine illuminatione & inspi-  
ratione spiritus sancti, qui omnibus dulcedinem ad  
assentiendum & credendum ueritati dat, ex uirtute  
naturæ aliquid boni, quod ad salutem æternæ uitæ  
pertinet, uel cogitare, uel eligere possit, prout decet,  
uel in salutarem prædicationem euangelij consen-  
tire, decipitur hæretico spiritu.

OBIECTIO.

*Augustinus scribit præire gratiam, uoluntatem comitari: ergo uo-  
luntas est in uiribus naturalis hominis.*

RESPONSIO.

Hoc dictum nihil aliud sibi uult quàm uoluntas  
tem

tem nostram restitutam esse fructum diuinæ gratiæ qui non sequeretur, nisi præcederet gratia diuina: nec loquitur de voluntate virium nostrarum naturalium.

## OBIECTIO.

*Si uoluntas nostra habet se purè passiuè, neq; nos quicquàm de nostro addimus in rebus spiritalibus: ergo non est discrimen inter regeneratos & non regeneratos.*

## RESPONSIO.

Est, & semper manet ingens discrimen: nam regenerati possunt verè facere bona in rebus spiritalibus, quod non possunt facere qui nō sunt regenerati. Nec vera est consequentia, quam defensores liberi arbitrii hoc tempore eliciunt: cum dicūt. Non regenerati libertate suæ voluntatis possunt à Deo & gratia diuina discedere: similiter ergo suis uiribus possunt & accipere gratiam & retinere. Deinde & hoc est discrimen inter utrosque, quòd regenerati verè Deum inuocant, ut retineant gratiam: non regenerati discedunt ab ea propria sua voluntatis peruersitate. Item regenerati patiuntur, ut Deus bonum in eis per gratiam operetur: non regenerati propria sua uoluntate faciunt malum, ad quod perpetuò habent libertatem & facultatem plenissimam.

## OBIECTIO.

*Deus præcipit ut assentiamur promissioni: ergo ex uiribus nostris assentiri possumus.*

## RESPONSIO.

Vitiosa est consequentia: nam Deus etiam impossibilia præcepit: sed non sine causa, ut uide dicit à naturali nostra imbecillitate occasionem petamus, quæ

## DE LIBERO

rendi gratuitam gratiam Dei, cuius fructus & opus est, assentiri promissioni diuinæ.

**OBIECTIO.**

Paulus dicit: Velle mihi adesse. Ergo voluntas est opus nostrarum uirium.

## RESPONSIO.

Minime. Loquitur enim de voluntate restituta, quam habebat tanquam regeneratus, & non de voluntate naturali non regeneratorum.

## OBIECTIO.

Amplius scribit Paulus: Non est uolentis neque currentis, sed Dei miserentis. Ergo uelle & currere est in nostris uiribus.

## RESPONSIO.

Hoc dictum Pauli pro nobis facit, contra defensores libertatis.

Secundum enim naturales vires uelle & currere, nihil dum uerè facit ad ueram conuersionem & ut possimus rectè & uere uelle & facere quæ Dei sunt: sed necesse est accedere gratiam & misericordiam Dei: nisi enim Deus misereatur nostri, & ad ueram conuersionem nos flectat, nemo in æternum conuerteretur: Imò uoluntas & cursitatio hominis naturalis sine regeneratione, non dum quenquam efficiunt uerum ciuem in regno cælorum. Iohan. 3.

## OBIECTIO.

Hoc dictum Pauli Deum facere in nobis, ut uelimus & perficiamus, intelligendum est de bonis & salutaribus rebus & officijs uocationis, & non de uoluntate & perfectione in principio conuersionis: ergo hæc adhuc sunt opera nostrarum uirium.

## RESPONSIO.

Si uoluntas & perfectio sunt dona Dei post conuersionem, multò magis ante. Præterea æquum est, hoc

hoc dictum Pauli per aliud clarius explicari: dixit autem antea capite primo: Qui cœpit bonum in vobis, is etiam perficiet: & loquitur Paulus in genere de omni bono siue fiat in principio conversionis siue postea.

## OBIECTIO.

*Si non est in homine causa quod aliqui seruantur, aliqui pereunt: Deus est acceptor personarum & iniquus: ne igitur talis existimetur, necessario concedendum est, libertatem quantam esse uoluntatis humane, qua nonnulli libenter & ultrò gratiam Dei oblatam per uerbum accipiunt: ceteri uerò superbe & pertinaciter contemunt.*

## RESPONSIO.

Deus non est acceptor personarum, nec est iniustus, etiam si aliqui seruantur ac ceteri pereunt. Tum etiam Deus est Monodicos, id est, summus Dictator & exlex, nulli obnoxius legi: quomodo ergo potest iniuste agere? Ac necesse est nos hic acquiescere, sicut docet Apostolus ad Romanos nono, cum citat hoc dictum. Cuius miseretur Deus, eius miseretur. Quem uerò indurat, eum indurat, hoc est, sinit indurari. Ac si quis requirit causam huius rei, disceptationem instituat cum Deo, & expectet responsum Pauli: Deus propterea non est iniustus: neque conuenit, ut opus dicat factori suo, quare sic me facis? sigulus enim potestatem habet conglutinandi massam, & inde efficiendi aliud vas ad honorem, aliud ad turpitudinem, ad Rom. 9. Deinde satis demonstratum est supra, acceptionem gratiæ Dei oblata per uerbum esse donum Dei, & non opus uirium nostrarum natu-

## DE LIBERO

gatum: sed oblatam Dei gratiam respuere atque ab ea deficere nostrum est opus. Accipere autem eam, Dei opus est, ne quis se extollat. Si vero defensores libertatis, libertatem illam sponte accipiendi oblatam Dei gratiam, concedunt esse fructum voluntatis per gratiam restitutæ: nihil residet inter nos certaminis, nam oblatam per verbum gratiam Dei respuere, proprium est opus hominis.

### OBIECTIO

*Spiritus sanctus non datur inuitis & repugnantibus: si ergo non esset libertas in homine, daretur utiq; inuitis & repugnantibus, quod absurdum est & impium.*

### RESPONSIO.

Inuitis & repugnantibus spiritus sanctus non datur, sed volentibus & non reuoluentibus. Verum spiritus sanctus procul dubio satis potens est ad efficiendam voluntatem in his quibus vult se dedere, vt sponte eum velint ac recipiant. Deinde nostro iudicio, prout est omnipotens, non deest ei etiam vis ad preparanda sibi vasa, in quibus vult habitare. Præterea neq; hoc deest spiritui sancto, vt ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus non repugnantes efficiat. Et ita est libertas voluntatis in homine restituta.

### OBIECTIO.

*Si scirent homines non esse in suis viribus gratiam Dei oblatam per verbum uelle & accipere. Item, si his rebus non studendum sit: futurum est ut sint ad omnia bona in rebus diuinis & spiritalibus segnes & securi.*

### RESPONSIO.

Multò magis erunt securi & segnes, cum docentur, in suis esse viribus conuertere se, oblatam Dei gratiam

gratiam velle & accipere, facere bona & similia: videntes se ita faciliè res tantas assequi: vbi verò admonentur de difficultate, tantò magis quarent media conuersionis, & occasiones faciendi bona. Non autem sumus in hac sententiâ, quòd non sit currendum aut conandum, nec quarenda media conuersionis à Deo proposita: qua de re paulò post dicendum erit. Quòd autem nostrâ (quippe qui sumus naturales homines) actiones, operâ, labores, cursitationes & conatus sint efficientes & verâ causâ conuersionis: quòd item oblatam Dei gratiam verè velle & accipere, & in rebus diuinis quicquàm rectè agere possimus: id certò affirmare nemo bona conscientia potest.

OBIECTIO.

*Nazianzenus scribit, & si omnia bona opera sunt à Deo, tamen annuere seu assentiri hominem. Ergo adhuc est libertas quæ tam hominis in faciendo bono.*

RESPONSIO.

Hic nutus seu assensus, vt sit verus, necesse est à Deo per gratiam effici in nobis: alioquin enim manet tantùm carnalis & rationalis nutus, qui nihil rectè agit ad bonum. Porro Nazianzenus alibi satis dilucidè se explicat. Velle, inquit, bonum indiget ope diuinâ, vel quicquid est vtile ad eligendum, diuinum quiddam est, & donum diuinæ benignitatis. Item velle est à Deo, propterea omnia meritò tribuantur Deo, quantumcunq; etiam tute currere potes.

Ad hæc annuere seu assentiri hoc loco est fructus voluntatis restitutæ per gratiam, & non captiua seu naturalis.

DE LIBERO  
APPENDIX.

Summopere miramur, quid tandem sibi velint defensores libertatis voluntatis humanae, quod tam perniciosum dissidium mouent, cum tamen ipsorum speculatio nihil aliud agat, quam vt diminuat & obscuretur vera doctrina de gratia & gloria Dei, quam, si saperent, omni conatu amplificare deberent. Sed hoc inuicē non est mirandum, quod reperiuntur nonnulli, qui se prauis illis Defensoribus opponunt, id vnum studio habentes, vt gratia Dei & gloria eius magnificat. Quod autem viribus hominis naturalibus per hanc doctrinam derogatur, parum refert, si modo gratia Dei & gloria eius fastigium honoris obtineat.

QVAESTIO.

*Potest ne impediri in homine haec libertas voluntatis post lapsum qua res spirituales seu diuinas recte & uere uult, cogitat, intelligit, accipit, perficit*

RESPONSIO.

Potest: sicut eius generis impedimenti illustre habemus exemplum in Paulo Apostolo, qui iam iustificatus & regeneratus erat, & ex gratia voluntatis reformationem adeptus: queritur enim se bonum etiam quod uelit, non facere ac perficere, ad Romanos septimo. Similiter de his impedimentis testatur etiam comunis experientia.

ALIA APPENDIX.

Quoniam ergo particulatim & in specie ostendimus hominem naturalem in rebus spiritualibus seu diuinis nihil recti, boni & ueri uelle, cogitare, intelligere, perficere, accipere, iudicare: Deinceps iam demonstrabimus idem in genere tum ex scriptura, quam ex patrum testimonijs.

DICTA

## DICTA SCRIPTURAE.

Genesis octauca. Cogitatio cordis humani mala est omni tempore. Psalmo decimo quarto: Deus respexit de caelo super filios hominum, vt videret an quisq; sciret, Deumq; requireret, sed declinauerunt omnes, & simul omnes inutiles facti sunt: non est faciens bonum, non est vsq; ad vnum. Psalmo centesimo decimo sexto: Omnis homo mendax. Ad Romanos septimo: Nihil habitat boni in carne mea. Capite nono: Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Capite octauo: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum, non enim subiicitur legi, quia non potest subiici. Psalmo centesimo decimo tertio: Sicut animal brutum factus sum coram te, ac semper sum talis. Psalmo quadragesimo nono: Homo cum esset in honore non intellexit, similis est factus iumentis. Ieremiae decimo: Scio Domine quod non est hominis via, neque viri, vt dirigat gressus suos. Capite decimo septimo: Cor hominis est prauum & ærum nosum. Proverbiorum vicesimo primo: Cor regis est in manu Domini, & quocunq; vult, inflectitur illud. Iohannis tertio Christus dicit sine regeneratione neminem posse videre regnum Dei, hoc est, intelligere, vel ingredi. Capite sexto: Nemo potest ad me venire, nisi pater traxerit eum. Capite decimo tertio: Sine me nihil potestis facere. Priori ad Corinthios capite quarto: Quid habes, quod non accepisti? Ad Ephesios primo: Deus operatur omnia in omnibus. Ibidem capite secundo: Sumus natura filij iræ.

DICTA



DE LIBERO  
DICTA AVGVSTINI.

Lib. 3. contra Pelag. Liberum arbitrium est inidoneitas ad ea quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inclinare, aut certè perficere.

Item, contra 2. epistolas Pelag. ad Bonifacium, lib. 1. cap. 3. Non potest esse liberum arbitrium ad bonum, ubi redemptor illum non liberauerit.

Item, de cantico nouo capite octauo. Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adâ demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi adiuuetur à Deo.

Item, lib. 1. hypog. contra Pelag. Liberum arbitrium confertur cum animali. Gratia verò cum equite insidente.

Item, ad Paulinum. Epistola 106. Cum homo sine gratia Dei non potuit salutem custodire, quam acciperat, quomodo ergo sine gratia potest id recipere quod amisit?

Item, contra 2. Epistolas Pelag. ad Bonifacium lib. 1. cap. 3. Sequens gratia adiuuat bonum propositum hominis: tamen nec bonum propositum esset, nisi gratia præcessisset. Ita etiam bonus conatus hominis, etsi esse cœperit, adiuuatur tamen gratia, nec tamen incipit sine gratia, sed ab ipsa infunditur.

Ibidem. Quemadmodum nemo bonum incipere potest sine Domino: ita etiam nemo perficere potest.

In Enchiridîo ad Laurentium capite. 30. Quid potest homo perditus boni facere, nisi à perditione liberatus fuerit?

Item, ad Valentinum epistola 2. Quæ scilicet Catholica fides, non negat liberum arbitrium siue in  
malam

malam vitam, siue in bonam uitam, nec tantum ei tri-  
buo, vt sine gratia Dei valeat aliquid, siue ex malo  
conuertatur in bonum, siue vt in bono perseueranter  
perficiat.

Item ad Valentinum de gratia & libero arbitrio  
cap. 16. Certum est nos facere aliquid cum id facimus:  
sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas  
voluntati.

Item de correptione & gratia cap. 82. Sine gra-  
tia homines non possunt facere bonū, neque cogitan-  
do, neque volendo, neque conando, neque agendo.

Item de verbis Apostoli, sermone 1. Ecce Deus  
noster regnat, non liberum arbitrium quod seruit.

Item ad Hilarium epistola 89. Libertas sine gra-  
tia nihil est aliud quam præsumptio, & nulla liber-  
tas. Non enim prius sumus liberi, quam vbi filius  
nos liberauit.

Item de spiritu & litera, cap. 3. Ideò quid audent  
miseri homines de libero arbitrio, antequam sunt li-  
berati? Quia vbi spiritus domini est, ibi liberas. Et  
cum sint serui peccati, quomodo audent gloriari se  
esse liberos?

Item de natura & gratia contra Pelag. cap. 13. Vt  
autem redeat homo ad iustitiam, opus habet medico:  
quonia[m] sanus non est, opus habet viuificatore, quia  
mortuus est.

Item sermone 192. de tempore. Liberum sic con-  
fitemur a rbitrium, vt confiteamur nos semper egere  
Dei auxilio.

Item de verbis Apostoli, sermone 11. Liberum ar-  
bitrium nihil est sine gratia.

## DE LIBERO

Item lib. 1. contra 2. epistolae Pelag. capite decimo nono, super verba: Nemo venit ad me, nisi quem pater traxerit: Non dicit duxerit, ne quis intelligat præcedentem voluntatem. Quis autem trahitur qui vult? Tamen non venit nisi vult? Trahitur autem mirabili modo, vt velit, ab illo, qui potest intus in cordibus hominum operari. Non vt homines (quod fieri non potest) credant, sed vt ex nolentibus volentes fiant.

Item de lib. arbitrio & gratia cap. 20. Hominis arbitrium non aboletur per gratiam: sed malū mutatur in bonum, & quando bonum nunc est, adiuuatur.

Item, de spiritu & litera, capite 3. Liberum arbitrium ad nihil valet, nisi ad peccandum.

Item, ad Bonifacium lib. 3. cap. 8. Captiuum liberum arbitrium tantum valet ad peccandum, ad iustitiam verò nihil valet, nisi fuerit à Deo liberatum, & adiutum.

Maxentius, in lib. de fide. Liberum aut naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantum & differenda carnalia, siue secularia: quæ non apud Deum, sed apud homines possunt fortassis videri gloriosa. Ad ea verò quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec proficere posse, nisi per infusionem & inoperationem intrinsecus spiritus sancti. Item, abominamur etiam eos, qui contra vocem Apostoli audent dicere. Nostrum est velle, Dei verò perficere: Cum idem doctor & velle, & perficere donum testetur esse diuinum. Vixit autem hic Maxentius alia quanto post Augustinum.

Luthes

Lutherus in 2. capite Geneſeos. Pertinet autem hoc etiam eò, vt diſcamus virtutem liberi arbitrij, quod aduerſarij tantopere iactant. Habemus quidem liberum quodammodo arbitrium, in ijs quæ infra nos ſunt: ſumus etiam conſtituti mandato diuino domini piſcium maris, volatilium cæli, & beſtiarum agrî. Hæc interficimus cum libet, fruimur cibus quos ſuppeditant, & alijs commodis. Sed in ijs quæ ad Deum attinent, & ſunt ſupra nos, homo nullum habet liberum arbitrium: ſed verè eſt ſicut lutum in manu figulî, poſitus in mera potentia paſſiua, & non actiua. Ibidem: Non eligimus, non facimus aliquid, ſed eligimur, paramur, regeneramur, accipimus, ſicut Iſaias dicit: Tu figulus, nos lutum tuum.

## APPENDIX.

Ex præcedentibus ſcripturæ & Patrum teſtimonijs facile colligitur, quòd impoſſibile ſit homini naturali in genere & planiſſimè res diuinas ſeu ſpirituales rectè & verè velle, cogitare, intelligere, perficere, accipere. Vnde merito dicitur naturalis voluntas hominis naturalis, in his rebus eſſe captiua. Et hanc doctrinam confirmat porrò doctrina de præueniente gratia Dei, quæ in genere nos in omnibus actionibus & negocijs noſtris præuenit, vt aliquid rectè & verè velimus, cogitemus, intelligamus, faciamus, in rebus diuinis & ſpiritalibus.

## DE GRATIA DEI PRÆVENI-

ente nos in omnibus rectis & veris  
actionibus.

Ad Rom. ii. Quis prius ei dedit, vt viciffim donec  
tur ei: quia ex ipſo & per ipſum, & in ipſum ſunt omnia.

DE LIBERO

Priore ad Corinthios cap. 4. Quid habes quod non accepisti?

Ad Ephesios primo: Qui elegit nos per ipsum antequam facerentur fundamenta mundi.

Primæ Iohannis 4. Ipse prior nos dilexit, & filium suum ad reconciliationem misit.

Augustinus lib. 3. contra Pelag. Hypog. Non ergo homo voluntate sua, adhuc in vicio liberi arbitrii claudicante, præuenit Deum, vt cognoscat, & querat gratiam, non quam pro meritis accepturus, sed præcedit, vt iam dixi misericordissima gratia sua Deus homines ignorantes.

Ibidem. Quod si dicas, & dicere consuefcis, quia ego prior volui, Deus noluit: lam meritum facis.

Item, contra 2. Epistolas Pelag. ad Bonifacium, cap. 3. Homo non potest habere bonum propositum, sine præcedente gratia. Præterea nec bonus conatus incipit in homine, sine gratia Dei.

Item, de Eccles. dogmatibus, cap. 21. Initium salutis nostræ habemus miserente Deo.

Item, de spiritu & litera, cap. 34. His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat: neque enim credere potest quilibet arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat, profectò & ipsum velle credere operatur Deus in homine, & in omnibus misericordia præuenit nos: consentire autem vocationi, vel ab ea dissentire, sicuti dixi, propria voluntatis est, scilicet vt consensus sit liberi arbitrii per gratiam: dissentire verò naturalis voluntatis.

Item lib. 3. Hypog. contra Pelag. Audi stulte hæretice, & hostis fidei veritatis, bona opera liberi arbitrii præparantur per gratiam præcedentem. Bern.

Bernhardus in lib. de gratia & libero arbitrio.  
Deus præuenit te gratia, excitat te, & dat tibi initium.

Ibidem. Nos non possumus præuenire nos: qui autem nunc neminem inuenit bonum, is etiam neminem saluat, quem non præuenit. Ideò sine dubio initium salutis nostræ à Deo est, certè non per nos, & nobiscum: sed consensus, tanquàm opus, etsi non est ex nobis, tamen non sine nobis.

## MAGISTER SENTENTIA

rum lib. 2. Dist. 25. & 26.

Hæc est gratia operans & cooperans, operans enim gratia præparat hominis voluntatem, vt velit bonum: gratia cooperans adiutat, ne frustra velit: unde Augustinus de gratia & libero arbitrio. Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit: quia ipse vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Vt ergo velimus, & sic velimus, vt perficiamus, nobis cooperatur: & tamen sine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante, cum volumus, bona opera pietatis nihil valeamus.

## DE LIBERO ARBITRIO HOMI-

nis post lapsum aliquomodo, quemadmodum à natura, ratione & viribus humanis ducitur, & tamen non rectè & verè volentis, cogitantis, intelligentis, perficientis res diuinas.

Quòd homo post lapsum in externis rebus pertinentibus ad res diuinas, aliquomodo possit aliquid agere, velle, cogitare, intelligere, perficere, non est

## DE LIBERO

dubium: neque vnquam Dei beneficio in nostris Ecclesiis in controuersiam venit. Homo enim non est lapis aut truncus. Deinde reperitur etiam in scriptura, quod homini naturali tribuitur appetitus, studium, voluntas, cursus. Et recensentur exempla, quem admodum aliqui de rebus diuinis seu spiritalibus iudicauerint ex persuasione naturæ & rationis: & quod non nihil in his rebus egerint. Apparet item, quam securi & segnes efficiantur homines ad omnes bonas actiones, cum audiunt sibi adimi omne studium, conatum, laborem, cursum, voluntatem, cogitationem, intellectum, perfectionem, iudicium, actionem: quare vel hoc nomine rectè tribuuntur quidam similia opera homini.

### QVAESTIO.

*Quæ sunt autem opera, quæ tribuuntur homini naturali?*

### RESPONSIO.

Aliquo modo ex ductu naturæ & virium naturalium res diuinas appetere, querere, studio habere, ad eas contendere, currere, festinare, velle, cogitare, intelligere, agere, iudicare, de his loqui, conferre, disputare, scrutari, conciones auscultare, foris complecti verbum auribus, externa vitia fugere, externis verbis & factis legem seruare, oblatam gratiam carnaliter accipere, neque totam respuere, sed tamen sine assensu cordis: facere iustitiam carnis, seruare externam disciplinam, & similia.

### DE HIS ACTIONIBVS SE-

quentia scripturæ testimonia  
loquuntur.

Prouerb. 16. Cor hominis excogitat viam suam,  
sed Dominus dirigit gressum eius. Psal.

Pfalmo tricesimo via viri quam proponit, adiuvantur dicitur à Domino.

Lucæ decimo nono tribuitur Zachæo, quod concupuerit videre Christum, propterea consecutus eum ascendit in arborem, ut videret eum transeuntem.

Nicodemus Iohannis tertio nondum regeneratus ex libero arbitrio sic alloquitur Christum. Magister scimus quod veneris a Deo doctor, & nemo potest facere hæc signa quæ tu facis, nisi Deus sit cum eo.

Iohan. i. Qui non ex sanguinibus nati sunt, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri.

Ipsi etiam Apostoli sæpius antequam spiritum sanctum acceperunt die Pentecostes, carnaliter & rationaliter de regno Christi locuti sunt, iudicaverunt, disputarunt: ac propterea à Christo obiurgati sunt sæpius Matthæi decimo octavo, decimo nono: Lucæ vicesimo primo & alibi.

Ad Rom. 9. Non est volentis neque currentis: sed miserentis Dei.

### EXEMPLA SCRIPTURAE

de his operibus.

Quantum valeat liberum arbitrium seu vis hominis naturalis ante gratiam Dei, & ante regenerationem in rebus spiritualibus, ostendunt exempla Zachæi Lucæ decimo nono, Nicodemi Iohannis tertio, Eunuchi Reginae Aethiopum Actorum octavo. Hic legens Esaiam non intelligit: sed Philippum consulit de vero intellectu, quem etiam consequitur in occasionem videlicet suæ conversionis.

TESTI.



DE LIBERO  
TESTIMONIA AVGV

stini.

Ad Vitalem epistola 107. Quapropter vt Deum credamus, & piè, non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est: non quia velle & currere non debemus, sed quia ipse in nobis operatur, & velle, & currere.

Item, contra 2. epistolas Pelag. ad Bonifacium, lib. 1. cap. 3. Bonus conatus hominis adiuuatur à gratia, nec tamen incipit sine gratia, sed infunditur ab ipsa.

QVAESTIO.

Quanta ergo est dignitas actionum nostrarum?

RESPONSIO.

Non amplius quàm quod sunt imperfectæ, neque quicquam recti & veri in rebus spiritalibus adhuc possunt: imò hæc opera nondum efficiunt verum Christianum seu ciuem regni Christi, idq; ex responso Domini ad Nicodemum, qui multis huiusmodi operibus vestitus erat.

Iohan. 3. Amen dico tibi, nisi quis denuò regeneratus fuerit non potest videre regnum Dei.

Item. Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest venire in regnum Dei. Idem probat exemplum Zachæi, Lucæ decimo nono, qui cursitatione & scansione sua nihil magnopere profecisset ad salutem suam, nisi eum Christus postea ex gratia his verbis vocasset. Zachæe confestim descendende, oportet enim hodie me esse in domo tua.

OBIECTIO.

Si non est maior horum operum dignitas quàm de qua audimus, merito igitur omittenda & contemnentia.

RESPON

ARBITRIO.  
RESPONSIO.

191

Nequaquam: in his enim sunt quædam tanquam media ordinata à Deo ad conuersionem, vt quis verus ciuis fiat regni Christi, resq; spiritales rectè & verè velit, cogitet, intelligat, perficiat. Propterea non sunt omittenda & reiicienda. Imò si reiiciantur & omittantur, ingens committitur peccatum. Nam qui hoc faciunt, Deum tentant. Deum autem tentare nihil est aliud, quam externa media ordinata à Deo contemnere & abijcere: vnde rectè dictum est à quibusdam patribus. Deus trahit volentem & non repugnantem, hoc est, vt breuissimè dicamus, non omittentem ac respicientem media ordinata à Deo ad conuersionem, & ad promouendam salutem.

Item rectè dicitur prouerbio: Nos faciamus nostrum officium quantum possumus, etiam si hoc ipsum nihil adhuc rectum ac verum est, Deus etiam faciet suum officium. Ita debemus verbum Dei audire, legere, exercere, audire, scrutari, querere, de hoc disputare, conferre, loqui: ac tum etiam Deus suum officium faciet per hæc externa media vt verbum auditum rectè & verè agnoscamus, amemus, intelligamus, credamus, accipiamus. Licet autem Deus pro sua omnipotentia non est alligatus externis medijs, & sine illis veram dilectionem & agnitionem dare, fidem, intellectum & acceptionem in nobis efficere potest: tamen in genere ordinauit quædam harum rerum media. Ac ministri Ecclesiæ fideliter ac diligenter commonefacere de his rebus auditores debent, sicut Dei beneficio quoque fit à nobis: sed hinc non sequitur, cum vtimur talibus medijs quæ posita sunt in naturalibus viribus hominis:

D d

quòd

## DE LIBERO

quòd perinde nos ex ijsdem viribus res spirituales verè velle, cogitare, intelligere, & perficere possimus, hæc enim omnia donari à Deo oportet.

### OBIECTIO.

*Audimus igitur hæc opera nihilominus esse causas coniunctas unà cum gratia & spiritu sancto, omnis ueræ uoluntatis cogitationis, intellectus, perfectionis, acceptionis in rebus spiritualibus.*

### RESPONSIO.

Minimè: hæc enim opera, videlicet res spirituales rectè & verè velle, cogitare, amplecti, habent se purè passiuè, & tantùm sunt munera diuinæ gratiæ: præterea quicquid agat homo naturalis in rebus diuinis ex viribus naturalibus: tamen nihil est verum, nihil rectum, neque efficit vllum verum & rectum ciuem regni cœlorum: sicut ostendit exemplum Nicodemî nondum regenerati.

### QVAESTIO.

*Possunt ne hæc opera impediri in hominibus, cum quidem uideantur planè esse liberrimi arbitrij?*

### RESPONSIO.

Possunt. Docet enim hoc quotidiana experientia: interdum enim diabolus eò trahit malos homines, vt hæc opera planè contemnant & respuant, neque se in illis exerceant: sed segnes fiant, & adeò securi, vt cœlestes tantùm & miraculosos raptus & illuminationes expectent, intus tantùm à Deo doceri & vocari velint, quales nostro tempore passim vagantur Anabaptistæ & Suencofeltiani.

### QVAESTIO.

*Potest ne dici de his operibus, quod habeant se actiuè?*

RESPON.

ARBITRIO.  
RESPONSIO.

192

Potest. Neque de hac re dimicamus: tantùm hoc concipi postulamur, quòd diabolus impedire, homines possit, & à bonis actionibus abducere, & has actiones nondum esse ita rectas & veras, vt rectos & veros ciues regni Christi efficiât, qui rectè & vere in rebus diuinis & spiritalibus velle, cogitare, intellegere queant.

QVAESTIO.

*Fiunt ne haec opera casu uel temere sine generali prouidentia & operatione diuina omnipotentiae?*

RESPONSIO.

Non. Deus enim conseruat naturas, sicut nunc sunt, coerccet eas foris, & inclinât ad conseruationem humanæ societatis, etiamsi intus non regenerat ac purificat.

QVAESTIO.

*Facile concesserimus huiusmodi esse conditionem horum operum, sicut dictum, in ijs qui nunquam conuersi fuerunt antea: sed eorum opera qui fuerunt conuersi & relapsi sunt, necesse est aliam habere conditionem?*

RESPONSIO.

Qui conuersus fuit & relapsus est, æquè indiget gratia ad resurgendum à lapsu, atque is qui omnium primum iam conuertitur.

APPENDIX.

De hac proxima ratione libertatis, in rebus spiritalibus qua homo naturalis potest & debet currere, studere, laborare: nostro tempore nulla sunt certamina, nisi quòd nōnulli defensores libertatis opera voluntatis naturalis vna cum gratia & spiritu sancto faciunt

## DE LIBERO

coniunctas ad verè volendum & amplectendum res  
diuinas seu spirituales: quod quidem falsissimum est.

## DE LIBERO ARBITRIO HO-

minis in his rebus, quæ citra controuersiam  
subiecta sunt rationi.

Etiam de hoc in nostris Ecclesiis Dei beneficio  
nullum est certamen, & nos ad stabilendam hanc  
libertatem approbamus illustre illud dictum Augu-  
stini libro tertio Hypognosticon.

Esse fatemur liberum arbitrium omnibus homi-  
nibus, habens quidem iudicium rationis, non per  
quod sit idoneum in ijs quæ ad Deum pertinent, sine  
Deo aut inchoare, aut certe peragere, sed tantum in  
operibus vitæ præsentis tam bonis quam etiam ma-  
lis: Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est,  
velle laborare in agro, velle manducare & bibere,  
velle habere amicum, velle habere indumenta, velle  
fabricare domum, vxorem velle ducere, pecora nu-  
trire, artem discere diuersarum rerum bonarum, vel-  
le quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam.  
Quæ omnia non sine diuino gubernaculo subsistunt  
imò ex ipso & per ipsum sunt, & esse cœperunt. Ma-  
lis verò dico, vt est velle idolum colere, velle homi-  
cidium.

## QVAESTIO.

*Potest ne & hæc libertas in hominibus impediri*

## RESPONSIO.

Potest. Et huc pertinet querela Medæ: Video  
meliora probor, Deteriora sequor,

DE

## DE LIBERO ARBITRIO

ad malum. ¶

Quod habeat homo libertatem ad malum, non est controuersum in nostris Ecclesiis in quibus magno consensu docemus, malum esse à diabolo, & maligna nostra voluntate, idq; iuxta doctrinam Christi, Iohannis octauo. Vos à patre diabolo estis, & patris vestri concupiscentijs vultis obsequi. Is est homicida à principio, neq; perseuerauit in veritate. Non est enim in eo veritas: cum loquitur mendacium de proprio loquitur: est enim mendax & pater mendacij.

Augustinus de nouo cantico cap. 8. Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi adiuuetur à Deo.

Item, libro vndecimo, de meritis & remissione peccatorum, capite decimo octauo. Vt nos, à Deo auertamus, nostrum opus est, & est hæc mala

voluntas,



# DE CORRVPTE

## LA ARTICVLI DE

### IYSTIFICATIONE SEV

de propositione, Bona opera  
sunt necessaria ad  
salutem.



**H**AEC PROPOSITIO EST PAPISTICA, ab ipsis Pontificijs excogitata & ita concinnata: nusquam enim reperitur in scriptura neque etiam facile reperietur in libris Patrum maxime cum eo intellectu quem affingunt Papistæ, quod bona opera sint causæ efficientes partiales & meritorix salutis. Ac etiamsi hæc propositio in aliam duntaxat sententiam, afficta quadam glossula, inflectatur: tamen hic sensus præ cæteris eminet, quem contextus verborum repræsentat. Neq; verò sinent Papistæ, primi huius propositionis inuectores, nouam ei sententiam astrui præter ipsorum verborum naturam & proprietatem. Hanc propositionem diuinus Lutherus acerrimè oppugnauit, sicut testantur passim eius libri. nam in primo Tomo Germanico Vuitebergæ excuso sic scribit quòd hæc propositio, Bona opera sunt necessaria ad salutem, legem & euangelium confundat, tanta quidem iactura & detrimento, quantum ratio humana neque comprehendere neque intelligere possit. Per eam enim obscurari doctrinam de gratia, Christum cum omnibus suis beneficijs reuelli, totum euangelium peruerti.

Ibidem

Ibidem dicit: Lubrica est oratio & vana sic pronunciare: fidem quidem operibus & meritis niti non debere, sed tamen necesse esse habere bona opera, tanquam necessaria ad salutem. Hoc totum nihil est. Si enim sunt necessaria ad salutem, salus sine ipsis venire non potest, & ergo non sola fide saluamur: sed hoc falsum est, & ab vniuersa scriptura dissentit.

Scribit ibidem, in Synodo Ierosolymatana decretum fuisse, opera legis ad salutem non esse necessaria.

Tomo quarto, pagina quingentesima quinquagesima: Nisi tres Apostoli stetissent, totum conuenticulum recidisset, ac decreuisset, opera legis necessaria esse ad salutem.

Tomo septimo pagina sexagesima prima: Octauo diligenter hic animaduertendum est & magno studio obseruandum, quod sola fides sine vllis operibus faciat iustos, liberos & saluos.

Pagina sexagesima tertia: Inde conspicitur clare, quemadmodum homo Christianus sit liber ab omnibus rebus, & super omnes res, ita vt non indigeat operibus ad iustitiam & salutem, sed fides omnia confert ei abunde: ac si ita insaniat, vt per vllum bonum opus iustus, liber, saluus & Christianus fieri speret, amittit fidem cum omnibus adminiculis, sicut canis ille qui cum portionem carnis in ore gestaret, vmbra aquæ inhians, simul carnem & vmbra amittebat.

Pagina sexagesima quinta: Nullum opus & nullum mandatum necessarium est Christiano ad salutem.

Ibidem: Quanquam in hac vita homo non potest esse sine operibus, non tamen ei necessaria sunt ad iustitiam & salutem.

Pagina



## DE CONTROVERSA

Pagina sexagesima sexta: Contētus sit homo Christianus fide sua quæ est vita, iustitia & salus eius, & persuasum habeat se nihilo amplius ad eam rem indigere, quàm vt credat rem verissimè ita se habere.

In concione quadam de ascensione, edita anno vicesimo tertio: Caue glosam seu fucum illum Philosophorum & Academiæ: Qui credit & habet bona opera saluus erit, non ita Christus dicit: sed tantum, Qui credit, inquit.

In concionibus Oeconomicis, Noribergæ editis Anno quadragesimo quinto, Pagina quadragesima prima: Saluos fieri, tantum contingit nobis per remissionem peccatorum.

In Postillis maioribus ab Aduentu vsq; ad Dominicam Paschatis, pagina centesima secunda: Christus semel nos saluauit duplici ratione. Primum fecit omnia quæcunq; fieri necesse est, vt salui fiamus. Deinde in baptismo communicauit nobis omnia sua beneficia.

His & similibus locis referti sunt libri Lutheri neq; commemorabimus plures: sed imprimis hanc propositionem, Bona opera sunt necessaria ad salutem Lutherus fortissimè deiecit in disputatione de operibus legis & gratiæ Vuitebergæ habita anno millesimo quingentesimo tricesimo septimo, in qua disputatione prorsus reijcit necessitatem operum ad salutem, & eam omnino non vult tolerare, si ergo cuiq; animus fuisset hanc propositionem post mortem Lutheri rursus inuehere, & ita pacem & concordiam Ecclesiæ conuellere atque dirumpere, debuissent hæc tunc temporis cum ipso Lutero disputari atq; decerni.

Etiam

Etiam aliàs in nostris Ecclesiis toto tempore post obitum Lutheri elapso, nemo fecit mentionem huius perniciosæ propositionis, sed tanquàm inusitata perpetuo erat oppressa silentio, omnes enim facilime contenti erant doctrina confessionis Augustanæ, Neceffe est bene operari: & de hoc nunquàm fuit disceptatio.

Post obitum Lutheri hæc propositio rursum emerfit: quibus autoribus, demonstratu facilimum est, eorum enim disputationes pro hac propositione extāt, ac licet vanæ causæ prætenduntur, quibus assertores huius dogmatis se permotos esse affirmant: tamen hæc nullius sunt momenti ad immensam illam iacturam & religionis Christianæ detrimentum, quod inde sequitur. ac si postea abstinere hac dogmate voluissent, sicut Dei beneficio factum est: satius fuisset nunquàm in lucem reuexisse, & multæ disputationes hoc modo caueri potuissent, Papistæ iustitiarum non fuissent confirmati in impio suo dogmate de necessitate bonorū operum ad salutem, imbecilliores Christiani in nostris Ecclesiis non fuissent turbati.

Causæ vero restitutæ propositionis hæc proferuntur: Primum quòd Antinomi manifestè docent, hominem semel regeneratum nihilominus retinere gratiam & spiritum sanctum, etiamsi ruat in peccata contra conscientiam, sit adulter, defraudator, potator, profusor.

Secundò, quòd aliqui dicuntur fuisse qui iocose & argutè declamauerint, saltem necessitatis computruisse, seu, vt in vernacula lingua maior est gra-

DE BONIS

ia prouerbij, per amphiboliam vocabuli, quod alias necessitatem, alias obsonium significat, *Das mus ist versaltzen.*

Quartò, quòd aliqui vocabulum debiti ferre noluerint.

Quintò, quòd omnes homines ad bona opera iam dudum sint remissi, segnes & ignaui.

Sextò, quòd aliqui particulam Sola ita intellexerint, quod non tantum excludat meritum bonorum operum, sed etiam presentiam.

Harum causarum aliquæ satis sunt honestæ & idoneæ: ac manifestum est Antinomos ita, uti dictum est, docere, tum etiam ignauia & languiditas hominum ad bona opera, pro dolor, nemini est ignota: cæteræ causæ minus sunt notæ. Ac dicere audemus nos toto tempore vitæ nostræ ex nemine hasce opiniones audiuisse. Si quis autem est qui huiusmodi deliria professus est, ei non patrociamur. Præterea extat locus Lutheri contra hanc sextam causam, quem citamus ex Postillis maioribus à Paschate vsq; ad Aduentum pagina centesima nona, ubi dicit: Propterea hæc doctrina de fide non excludit bona opera quasi adesse ea neque debeant, neque opus sit, neque de hac re quæstio est.

At si qui essent maximè, qui huiusmodi opinionibus aliquo modo dedissent occasionem repetendæ doctrinæ de dignitate bonorum operum: tamen alijs facilioribus & minus perniciosis rationibus remedium huic audaciæ dari potuisset. Non enim idcirco faciendum est malum ut malum consopiat: sed bona media quærenda sunt, quibus malum tollatur.

OBIE

## OPERIBVS.

190

## OBIECTIO.

Non est malum, cum dicitur: *Bona opera sunt necessaria ad salutem.*

## RESPONSIO.

Certè bonum non est: obscuratur enim doctrina de gratia Dei & merito Christi, sicut aliqui per se fatentur qui hanc propositionem de necessitate operum ad salutem nostro tempore vsurparunt, sed nunc missam faciunt. deinde doctrina nostrarum Ecclesiarum de sola fide faciente iustos & saluos euertitur. Præterea bona opera vnà cum fide simul censentur causæ salutis efficientes & meritoria. Confirmatur item doctrina Papistica quòd fides magis principaliter, bona opera minus principaliter iustificent. Item, confirmatur doctrina libri Augustani de religione Interiecti temporis, quòd fides initium quidem faciat ad iustificationem seu salutem, sed per bona opera fieri oportere perfectionem. Quid, quòd contumeliosum est omnipotentia diuinæ, bona opera esse necessaria ad salutem, & ita necessaria vt sine his nemo hominum saluatus sit vnquam, & amplius, impossibile esse vllum hominem sine his saluari: tales enim formæ loquendi alligant Deum ad causas secundas seu externa media, tanquàm non possit homines sine his saluare. Adhæc vulgus auditorum turbatur: non enim intelligit has propositiones aliter, quam bona opera esse causas efficientes & meritorias salutis. Item, adigit homines efficacissimo modo ad desperationem. Cum enim homines deducuntur ad bona opera tanquàm causas

Et 2 effici

DE BONIS

efficientes & meritorias salutis, & ipsi suam imbecillitatem & fragilitatem animaduertunt: tandem eos desperare necesse est. Item promissio gratiæ redditur incerta, Romanos quarto. Imò mors Christi & omnia eius beneficia annihilantur & obliterantur, vt taceamus alias infinitas incommoditates quas hæc censura bonorum operum secum trahit, si dicantur necessaria ad salutem.

Seorsim autem hæc Papistica propositio de necessitate bonorum operum ad salutem, tandem in loco quodam non obscuro re ipsa & violenter erupit & pro concione inculcata est, cum lateret antea & serperet tantum intra parietes Academiarum. Et hac de re possemus veram narrationem contexere, quemadmodum hæc propositio ibi cœperit & in suggestu magna contentione agitata sit: cuiusmodi etiam de hortationes ab alijs doctoribus factæ sint: quemadmodum sæpe promissa sit retractatio dogmatis seu palinodia, & quemadmodum tamen hæc promissio euauerit: quæ fuerint multorum de his rebus iudicia, & similes circumstantias ad veritatem historię non inutiles, commemorare possemus: sed concordię causa non necessarium iudicamus historiam huius negocij semel explicare.

Et quamuis principio persuaderi non potuimus, hanc esse sententiam assertorum huius propositionis de necessitate bonorum operum ad salutem, quod effectiuè, partialiter, meritorie cōferre aliquid saluti possint: tamen postea calidæ illæ & vehementes defensiones huius propositionis nobis atq; alijs aliud ex alio suspicandi dederunt occasionem: alioquin

quin enim si visum quibusdam fuisset, statim hoc incendium in principio restinctum fuisset: nec dicemus quanto studio primum ipsi defenderimus hos Assertores & quanta dexteritate eorum sententiam interpretati fuerimus, secundum enim dilectionem Christianam semper meliora sperauimus de tantis viris, tantopere à Deo multiplici donorum varietate ornatis.

Neque tamen planè spe nostra decepti sumus, nam Dei beneficio postea secuta est declaratio aliqua, quòd propositio non sit ita intelligenda, quasi bona opera sint causæ efficientes partiales & meritorix salutis sed tantum conseruatrices: & in hac sententia fuit etiam olim D. Erasmus Sarcerius reuerendissimus pater & Superintendens noster, sicut ipsius libri testantur: vehementer enim placebat ei hæc similitudo & verum scopum se tenere putabat, cum diceret: Quemadmodum ignis conseruatur sub cineribus, ita per bona opera conseruantur in nobis, gratia Dei, indies, spiritus sanctus, remissio peccatorum, iustitia, salus & vita æterna: tandem autem cum diligentius rem consideraret, inuenit hæc suam sententiam dicto Petri aduersariam esse, qui in priorè epistola capite primo dicit: Vos custodimini per fidem ad salutem. Videbat item absurdum esse dicere, causas efficientes conseruari à suis effectibus, id est, ab operibus: sicut incongruum est si dicatur: Poma conseruant arborem, cum quidem arbor conseruet poma, quandiu ei adhærescunt. Testatur autem hanc erroneam sententiam sibi displicere, & rogat vt si quis offensus ea fuerit, veniam det propter Christum

## DE BONIS

neq; eam retineat vel propaget: sed doctrinam Petri amplectatur. Similiter nunc audimus Assertores necessitatis bonorum operum ad salutem, hanc etiam suam erroneam sententiam omittere. Imò non tantùm sententiam, sed etiam hanc additionem, Ad salutem, & ita regrediuntur ad confessionem Augustanam, quæ dicit, Necessè est bene operari, seu noua obedientia est necessària. Speramus etiam deinceps Deum pro sua benignitate effecturum, vt successu temporis etiam tota propositio damnetur. Bona opera esse necessària ad salutem, non quòd bona opera non sint necessària, sed quòd ad salutem non sint necessària: & hoc non tantùm propterea velimus fieri vt acquiescat imperita multitudo, quæ per falsum intellectum abutitur propositione de bonis operibus, tanquàm de efficientibus & meritorijs causis salutis: sed multò magis quòd ipsa propositio per se est inusitata: nemo enim solet ita loqui quòd opus sit necessàrium siue ad efficiendum siue conseruandum suam causam: sed quòd causa sit necessària ad efficiendum & conseruandum opus. Præterea quòd multòs habet sibi coniunctos perniciosos errores neque aliud quicquàm facit, quàm vt per eam sincera & sana doctrina de iustitia gratuita opprimatur. Neque impediantur illi aliquibus speciosis causis, quò minus hanc doctrinam nobis restituant in integrum: qua de re postea dicetur copiosius.

Sed ex hac propositione interea temporis natæ sunt etiam aliæ perniciosæ corruptelæ, vt ferè fit, error errorem parit: & errorem Deus errore punit. Ideo dixerunt: sine bonis operibus neminem homi-

num

num vnq̄ saluatum esse: item impossibile esse quen-  
 quam hominem sine bonis operibus saluari posse:  
 Item bona opera prodesse ad conseruationem salu-  
 tis: item inuenerunt Philosophicam illam causam  
 sine qua non: item docuerunt bona opera etiam ante  
 fidem esse posse: renouationem item hominis esse par-  
 tem iustitiæ coram Deo: proinde inter iustitiam vitæ  
 qua coram Deo iustificamur & inter inchoatam iu-  
 stitiam nihil distinguunt. Item iustitiam esse ipsam fi-  
 dem tanquam opus quo coram Deo iustificamur.  
 Item quod per fidem & bona opera beneficia Chri-  
 sti nobis applicemus.

**PRAECIPVA ARGVMENTA PRO**  
 hac propositione, Quòd bona opera sint necessaria  
 ad salutem, in eo intellectu quo eam Papi-  
 stæ cum imitatoribus suis intelligunt,  
 vnà cum refutatione eorundem.

**PRIMUM.**

*Ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiã, & ore fit confessio ad salute.*

**CONFVTATIO**

Primum obseruandum est hoc loco quòd scriptu-  
 ra vsitatè pro eodem accipiat remissionem peccato-  
 rum, iustitiam coram Deo, salutem & vitam æternam,  
 quia cognata sunt inuicem. Vnde Lutherus in dis-  
 putatione de operibus legis & gratiæ, anno supra mil-  
 lesimum quingentesimum tricesimo septimo Vuite-  
 bergæ habita, iustitiam & salutem apud Paulum in  
 loco citato pro eodem accipit, & hoc modo inter-  
 pretatur verba Apostoli: Ore fit confessio ad salu-  
 tem, scilicet testificandam, salutem videlicet per fidẽ  
 acquisitam. Et profectò si considerabimus quod sit  
 præciã



## DE BONIS

præcipuum opus confessionis, oportebit hoc concedi quod utilis sit ad testificandum de iustitia siue salute fidei. Præter hoc confitentur aliqui de numero Assertorum huius propositionis in declarationibus suis, quòd non eam ita intelligant, quasi bona opera sint causæ salutis efficientes, partiales & meritoria. Deinde nonnulli omittunt hanc glossam quod pro sint ad conseruandam salutem. Verum potest etiam dictum Pauli hoc modo intelligi, Ore fit confessio ad salutem, quia cæteri homines nostra confessione deducuntur ad agnitionem iustitiæ siue salutis, isq; est vel maximus nostræ confessionis fructus. Hæ interpretationes si displicent Assertoribus, ipsi sanè aliam afferant meliorem, eam nos verò cognoscere, & si sit idonea, etiam amplecti desideramus.

## SECUNDVM.

*Secunda ad Corinthios septimo: Tristitia secundum Deum operatur ad salutem pœnitentiam non pœnitendam.*

## CONFVTATIO

Quòd tristitia quæ est secundum voluntatem diuinam operetur pœnitentiam ad salutem, non pœnitendam, facile concedimus. Verum quia Assertores ipsi confitentur, opera non esse causas efficientes, partiales & meritorias salutis, neq; etiam conseruatrices: necesse est hanc esse Pauli sententiã. Tristitia secundum Deum operatur pœnitentiam ad salutem, hoc est, iuxta Lutheri interpretationem, opus eiusmodi, quod de salute testificatur. Ac proinde bona opera vocamus testimonia iustitiæ ac salutis. Si ergo neq; hæc sententia verborum Pauli recipi potest,

potest, oramus Assertores, vt ipsi verba Apostoli com-  
modius interpretentur, nosque (vt æquum est) eru-  
diant.

## TERTIVM.

Philipp. 2. *In timore & tremore operamini salutem uestram.*

## CONFVTATIO.

Operari significat hoc loco laborare & sollicitum  
se habere de vera via, quam Deus salutem consequen-  
dam proposuit. Hæc via siue hoc medium est fides.  
Marci decimo sexto: Qui crediderit & baptisatus  
fuerit saluus erit. Et Iohannis tertio: Qui credit in  
me, habet vitam æternam. Deque hoc medio vide  
Lutherum in Postillis maioribus ab Aduentu vsque  
ad festum Paschatis, folio centesimo nono: Timor &  
tremor sunt de vera forma operationis, quæ simul  
excludit hypocrisin & securitatem.

## QVARTVM.

*Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Ioelis 2.*

## CONFVTATIO.

Dictum Ioelis hoc adeo vult, quod inuocatio no-  
minis diuini testimonium sit acceptæ salutis per fi-  
dem. nemo enim rectè inuocat nomen diuinum &  
absque simulatione, nisi filius Dei & regeneratus  
Galatis quarto.

## QVINTVM.

*Res est mali exempli damnare hanc propositionem, Bona opera sunt  
necessaria ad salutem: ergo est retinenda.*

## CONFVTATIO.

Non est satis opinari de malo exemplo, seu acci-  
pere scandalum, nisi quis videat, an etiam iustas &  
idoneas habeat sui scandali causas. Porrò non sunt  
sufficientes causæ scandali, cum damnata proposi-

Ff tione

## DE BONIS.

tione de operum necessitate ad salutem, sincera doctrina de gratia Dei & iustitia gratuita, imò de gloria & dignitate meritorum Christi conseruatur. Nihil enim aliud quærit propositio, sicut ex Assertoribus aliqui nunc confitentur vtrò, quam vt statim intelligatur de operibus tanquàm efficacibus causis & meritorijs iustitiæ & salutis, ad oppressionem puræ doctrinæ de gratia Dei & meritis Christi. Igitur si quis omnino offendi velit, is è contrario consideret incommoda quæ sequuntur ex eadem propositione, si retineatur, qua de re supra meminimus, tum verò facile reiiciet omnem offendiculi sui occasionem.

### SEXTVM.

*Fides sine pœnitentia consistere non potest: ergo bona opera sunt necessaria ad salutem.*

### CONFVTATIO.

Antecedens concedimus, docent enim & nostræ Ecclesiæ vno consensu, quòd fides pars sit veræ pœnitentiæ, sed conclusio est vitiosa. Et si enim in vera conuersione contritio, nouitas vitæ, & confessio peccatorum simul adsunt vnà cum fide, tamen sola fides iustos & saluos efficit, sicut Christus toties dicit: Fides tua te saluum fecit.

### SEPTIMVM.

*Nouitas est necessaria ad salutem. Nouitas est inchoata obedientia operum: ergo inchoata obedientia est necessaria ad salutem.*

### CONFVTATIO

Nouitas non est necessaria ad salutem neq; efficiendam neq; merendam, sicut ex ipsis Assertoribus nonnulli fatentur, neq; prodest ad conseruandam salutem, sic enim loquitur Petrus: Qui custodimini per  
fidem

fidem ad salutem. Nec est consentaneum quod effectus suas conseruent causas. Sed de his postea. Si ergo non est hoc modo utilis, quomodo ergo? Vt sit testimonium acceptæ salutis per fidem: nouitas enim sequitur demum iustitiam siue salutem gratiæ. Nam hæc certè est doctrina nostrarum Ecclesiarum & ipsius Apostoli, ad Gal. 4. Cum igitur per fidem gratis saluati sumus & facti filij Dei, tunc datur nobis & spiritus sanctus: qui facit nos nouas creaturas, donatque nobis vim & facultatem ad voluntatem diuinam orandi, cæteraque præstandi bona opera: quapropter etiã hi vocantur fructus spiritus sancti, ad Gal. 5.

## OCTAVVM.

*Reconciliatio est necessaria ad salutem. Nouitas est fructus reconciliationis: ergo nouitas est necessaria ad salutem.*

## CONFVTATIO.

Conclusio huius argumenti est vitiosa. Plus enim in ea est quam in præmissis. Sed hæc est vera conclusio: ergo nouitas post acceptam salutem per fidem gratis, sequi debet. Et hoc facile concedimus. Reconciliatio enim per Christum facta, est causa efficiens salutis: nouitas non est. Præterea non est necessarium vt quodquem opus idem efficiat quod ipsius causa: ita fides saluat, dilectio, spes, & cætera opera, fidem consequentia, non saluant. Si ergo scriptura fidei tribuit hanc dignitatem, meritò acquiescendum est.

## NONVM.

*Fides est necessaria ad salutem. Fides est medium, quo renouantur corda: ergo etiam renouatio necessaria est ad salutem.*

## CONFVTATIO.

Fides quidem est necessaria ad salutem, verū non vt opus, sed quia apprehendit gratiã & misericordiã

## DE BONIS

Dei meritaque & beneficia Christi, tanquam causas salutis. Illud autem nouitas ac cætera bona opera coniuncta non præstant: ergo non sunt necessaria ad salutem.

### X.

*Lex citra omnem controuersiam est uera. Hæc propositio, Bona opera sunt necessaria ad salutem, desunt a est ex lege: ergo citra omnem controuersiam uera est.*

### CONFUTATIO.

Si lex doceret iustitiam siue salutem coram Deo, & eam nos præstare possemus: tolerari posset hoc argumentum. Quia verò iustitiam & salutem coram Deo valentem lex non docet, & ipsam nos seruari non possumus, irritum est & superuacuum. Ac si maxime in doctrina legis esset uera propositio, si modò satisfacere legi possemus (quod impossibile est) tamen in doctrina Euangelij non est uera, quæ docet omnibus temporibus salutem & iustitiam per fidem quærere ex gratia.

### XI.

*Vera & non simulata fides quæ efficiat iustos & saluos, necessaria est ad salutem. Vera fides in corde esse nequit sine præcedentibus, concurrentibus & sequentibus operibus a Deo præceptis: ergo opera sunt necessaria ad salutem, etiamsi neq; iustos neq; saluos faciant.*

### CONFUTATIO.

Maior transit cum hac conditione, ut fides hoc loco accipiatur pro efficiente causa salutis, tanquam apprehendens gratiam & misericordiam Dei ad iustitiam seu salutem. Minor falsa est. Primum quod bona opera ante fidem esse dicuntur contra sequentia scripturæ dicta. Ad Romanos octauo: Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Capite decimo quarto:

quarto: Quicquid sine fide fit, peccatum est. Heb. ij. Impossibile est sine fide placere Deo. Et hac de re depugnat acriter Lutherus in decimum sextum caput Matthæi. Sed de his postea. Hoc autem concedimus quod cum fide coniuncta sint multa opera, quæ Deus præcepit. Postremo & conclusio falsa est. Est enim fallacia accidentis, à causa ad non causam. Nam in minore attribuntur fidei quæ est necessaria ad salutem opera tanquam accidens. Conclusio verò bona opera facit efficientes causas salutis, quas alii qui ex Assertoribus ipsi negant esse.

## XII.

Non inchoantes nouam obedientiam amittunt salutem sola fide acquisitam. Vt ergo conseruetur salus, bona opera sunt necessaria ad salutem.

## CONFUTATIO.

Antecedens verum est, consequens falsum: quam obrem autem sit falsum, postea dicetur, & supra de hac re aliquo modo indicatum est.

## XIII.

Iohan. 3. Nisi quis regeneratus fuerit aqua & spiritu, non potest uenire in regnum Dei. Et qui hoc modo ex Deo natus est, non facit peccatum. primæ Iohannis tertio. ergo non facere peccatum seu facere bona opera, necessarium est ad salutem.

## CONFUTATIO.

Maior vera est rectè intellecta, nempe quòd nemo sine regeneratione possit venire in regnum cælorum vt sit verus in eo ciuis. Sed non idcirco sequitur bona Opera esse ad salutem necessaria, sed hæc est vera consequentia huius argumenti: Ergo qui non faciunt peccatum, sed bona opera faciunt, testantur

## DE BONIS

quod veri sint ciues regni cœlestis. Est & fallacia  
accidentis, & à causa ad non causam.

### XIIII.

*Omnis arbor quæ non facit fructus bonos, præciditur & in ignem  
conicitur. Est autem necessarium ad salutem, ut quis in ignem non projiciatur. Ergo facere bona opera est necessarium ad salutem.*

### CONFUTATIO.

Et hoc argumentum est vitiosum. Plus est enim  
in conclusione, quam in præmissis. In maiore ponun-  
tur bona opera pro fructibus fidei. In conclusione  
pro efficientibus & meritorijs causis salutis.

### XV.

*Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Credere autem &  
baptisari, sunt bona opera: ergo bona opera sunt necessaria ad salutem.*

### CONFUTATIO.

Fides non saluat in quantum opus, sed quia gra-  
tiam & misericordiam Dei tanquam causam salutis  
apprehendit. Neq; etiam baptismus saluat in quan-  
tum opus, sed est sigillum gratiæ exhibens salutem  
quam fides impetrauit, credens videlicet promi-  
ssioni Christi baptismo annexæ. Cum ergo fides &  
baptismus in quantum opera non saluent, multò mi-  
nus cætera bona opera. Sic Lutherus super verba  
Marci, capite decimo sexto in Postillis maioribus ab  
Aduentu ad festum Paschatis. Non ita, inquit, mi vir,  
neesse est cœlum prius habeas & sis saluus, anteq̃  
bona opera facias.

### XVI.

*Qui perseuerauerit usque ad finem saluus erit. Perseuerare  
usque ad finem, est bonum opus. Ergo bona opera sunt necessaria ad sa-  
lutem.*

### CONFU-

OPERIBVS.  
CONFVTATIO.

198

Maior loquitur de perseverantia fidei quæ saluat tanquàm causa efficiens instrumentalis. Conclusio loquitur de bonis operibus, quæ non possunt saluare, nec sunt efficientes causæ salutis, sicut ipsi Asseriores fatentur.

XVII.

*Zachæus promittit Christo se facturum bona opera, & quidem faciebat, cum diceret: Impertio semissem facultatum mearum in pauperes, ac si quem defraulaui, quadruplum reddo. Ac respondet Christus: Zachæe, hodie facta est salus domui tuæ, quia hic est filius Abrahæ. Ergo bona opera sunt necessaria ad salutem.*

CONFVTATIO.

Zachæi conuersio vt esset salutaris necesse habuit fide præpollere, & fides non fuit vacua bonis operibus, quibus tamen Christus non attribuit salutem. Sed hodie, inquit, facta est salus huic domui, qua filius est Abrahæ, hoc est, quia secundum exemplum Abrahæ credidit. Nam etiamsi fides necessaria est ad salutem, propterea quia misericordiam Dei apprehendit tanquàm salutis causam, tamen cætera hoc non possunt opera. Propterea etiam saluare non possunt.

XVIII.

*Necesse est hominem qui vult saluari, audire uerbum Dei, agnoscere & confiteri peccata, contritionem habere, & fidem, & nouam obedientiam. Ergo bona opera sunt necessaria ad salutem.*

CONFVTATIO.

Quòd in conuersione hominis multa bona opera concurrant non inficiamur, quòd autem operentur salutem opera, falsum est, sicut obuia est hæc sententia Papisticæ propositionis, Bona opera sunt necessaria ad salutem.

XIX.



DE BONIS

XIX.

*Mala opera merentur aeternam damnationem. Ergo bona opera aeternam salutem.*

CONFUTATIO.

De malis operibus, damnantibus hominem scriptura testatur, de bonis operibus saluantibus hominem, nihil extat simile. Et præterea est magna dissimilitudo inter bona & mala opera.

XX.

*Itē maledicti in ignem aeternum, Esuriui enim, & non dedistis mihi cibum. Ergo bona opera sunt necessaria ad salutem.*

CONFUTATIO.

Quin mala opera mereantur ignem aeternum, nemo est qui dubitet, quod autem ē contrarium bona opera mereantur salutem, falsum est & impium. ac propterea dicit Christus, benedictos possessuros esse regnum aeternum, quod inde vsque ab initio præparatum eis est, videlicet, ex gratia & non ex meritis operum. Deinde ipsi beati confitentur, suis se operibus aeternum regnum non meruisse. Dicunt enim: Quam do vidimus te esurientem?

XXI.

*Bona opera mercedem habent aeternam uitam. Matth. 19. Ergo sunt necessaria ad salutem.*

CONFUTATIO.

Antecedens verum est, consequens falsum. Et si enim bona opera iuxta promissionem Dei mercedem habent vitæ aeternæ, tamen non sunt necessaria vt causæ meritoriae illius aeternæ vitæ. Vita enim aeterna donum Dei est, Rom. 6.

## XXII.

Vita æterna est cognoscere Deum patrem & filium Iesum Christum, Ioh. 17. Ergo bona opera sunt necessaria ad salutem.

## CONFVTATIO.

Antecedens verum est, consequens non item. Salus enim seu vita æterna est donum Dei, ad Rom. 6. Et Christus ipse dat vitam æternam, Iohannis decimo septimo. Si ergo donum est Dei & munus Christi, non efficiunt eam opera, multo minus merentur.

## XXIII.

Qui saluus est, salutem certè habet. Remissio peccatorum & inchoata nouitas est salus. Ergo hæc res sunt necessariae ad salutem.

## CONFVTATIO.

Major transit. Minor falsa est, inchoata enim nouitas non est remissio peccatorum siue salus nostra, sed est fructus sequens remissionem peccatorum seu salutem. Statim enim postquam per fidem gratis accepimus remissionem peccatorum seu salutem, simul datur spiritus sanctus, qui renouat nos & impertit vim atque facultatem bona opera secundum voluntatem Dei rectè & vere faciendi Gal. 4.5.

## XXIIII.

Fides est necessaria ad salutem. Fides est opus. Ergo opera sunt necessaria ad salutem.

## CONFVTATIO.

Fides non est necessaria ad salutem tanquam opus operans eam aut promouens: sed in quantum gratiam & misericordiam Dei tanquam veram causam salutis apprehendit.

## DE BONIS

### XXV.

*Quicquid prodest ad disciplinam Ecclesie retinendum est. Hæc propositio, Bona opera sunt necessaria ad salutem, prodest ad disciplinam Ecclesie. Ergo est retinenda.*

#### CONFUTATIO.

Verum est quod illa quæ profunt ad disciplinã in ecclesia propagandam, sint retinenda, sed non omnia profunt ad disciplinã, quæ prodesse putant homines. Neq; videmus quo pacto hæc propositio disciplinã confirmare possit. Cum enim audiunt homines se tam facile bonis operibus salutem consequi posse, segniores fiunt & securiores, quam fuerunt antea.

### XXVI.

*Logomachia est, seu contentio uerbalis, pugnare de uocabulis in hac propositione, Bona opera sunt necessaria ad salutem. Ergo fugienda sunt rixæ de hoc negotio.*

#### CONFUTATIO.

Logomachias non probamus, quibus videlicet res bonæ impediuntur. Sed si promouent res bonas, non improbamus. Sed hæc contentio de noua propositione non tam est uerbalis quàm realis, videlicet de vera causa salutis nostræ, quæ est gratia & misericordia Dei & non opera seu merita nostra.

Huiusmodi & similia argumenta multo plura crepant discipuli nouæ propositionis. Sed quæ recensuimus sunt principaliora. Quæ uero supersunt, ex superioribus solutionibus facile dijudicari possunt.

#### OBIECTIO.

*Confutationes superiorum argumentorum tantum nituntur in eum intellectum nouæ propositionis, quasi bona opera sint cause efficientes & meritoria salutis. Sed hoc nolunt. Assertores, sicut patet ex eorum declarationibus. Ergo fit eis iniuria.*

#### RESPONSIO.

Est tamen utuntur & ipsi his argumentis. Siqui

autem in hac re nobiscum consentiunt, illis etiam  
 cōfutationes nostræ profunt. Ac gratias agimus Deo  
 pro consensu quē in maioribus & grauioribus rebus  
 tuemur mutuò, neq; diffidimus, fore vt saniores in  
 hoc meliori negocio ad nos transeant, & nouam pro  
 positionem tanq̃ falsam reñciant atq; damnent: licet  
 iam quodammodò faciunt, cum fatentur, bona opera  
 non esse causas efficientes & meritorias salutis, quo  
 ipso damnant vtq; in falsum intellectum totam pro  
 positionem, Bona opera sunt necessaria ad salutem.

## OBIECTIO.

*Etiamsi profiteamur, aiunt, bona opera non esse necessaria ad salutem  
 tanquam causas efficientes & meritorias, tamen utimur his argumentis in  
 alio intellectu, videlicet quòd sint conseruatrices salutis. Item aliis modis  
 intelligimus, de quibus non est necesse nos iam predicare.*

## RESPONSIO.

De primo intellectu propositionis paulo post dicē  
 tur, tametsi ex Assertoribus aliqui etiam illum omit  
 tunt. Superest igitur alius quispiam intellectus nobis  
 ignotus, quem si rescissemus, poteramus nostrū indi  
 care de eo iudicium, ac si opus fuisset, argumentis  
 eum confutare. Necesse est latere nescio quid insi  
 diosum, quia fatentur ex ipsis aliqui, bona opera non  
 esse propterea ad salutem necessaria, quod efficaces  
 sint vel meritoria causa, neq; etiam propterea, quòd  
 conseruatrices: & tamen manibus pedibusq; reluctā  
 tur ne sua propositio, tanquam falsa condemnetur.

## QVAESTIO.

*Fortassis hunc intellectum habent reconditum, quòd bona opera  
 propterea sint ad salutem necessaria, quia de illa testificantur, uel quia  
 sequuntur?*

## RESPONSIO.

Hoc modo intelligit Lutherus dicta scripturæ, in

## DE BONIS

quibus fit mentio bonorum operum circa salutem. Et eundem nos intellectum præceptoris nostri retinemus. Sed, quod videtur, neque hoc intellectu contenti sunt, neque argumenta hæcenus commemorata ad illum scopum respiciunt. Nam si consentirent nobiscum Assertores in eo intellectu, in vniuersum non esset opus illa propositione, Bona opera sunt necessaria ad salutem, sed simpliciter diceretur, Bona opera testificantur de salute: &, Bona opera sequuntur salutem. In hunc modum locutus est Lutherus, & eodem modo nos loquimur, neque indigemus illa Papistica propositione, quæ verè est cothurnus & pomum Eridos. Et ipsi Assertores fatètur facile eam in hanc sententiam inflecti posse, nempe quod sint efficaces & meritoria causa salutis.

### RATIONES QUAMOBREM

hæc propositio, vt falsa, damnari  
debeat.

Prima: Quia initio à Papistis inuenta est. Secunda: Quia nunquam eam aliter intellexerunt Papistæ quam de merito. Tertia: Quia Papistæ non agnoscunt glossam nostram, sed intelligunt propositionem de dicto, seu ad verbum, vt sonat, & sicut initio intellecta est cum reperiretur. Quarta: Quia confirmantur Papistæ in errore suo, quo tantam operibus dignitatem asseribunt, vt mereantur salutem. Quinta: Perturbantur piæ mentes, vt incipiant dubitare de veris causis salutis, vel omnino fortasse deficient ad doctrinam de falsis causis salutis. Sexta: Datur occasio multitudini, vt puram doctrinam de gratuita salute odibile incipiat, & contemnat meritum Christi,  
quo

quo salutem nobis peperit. Septima: Vera doctrina de gratia & meritis Christi obscuratur & opprimitur. Octaua: Doctrina de salutē ex gratia & ipsa salus vocatur in dubium. Nona: Propositio intelligitur de merito, quocunq; tandem modo conciliatur. In hoc enim à Papistis inuenta est, vt complectatur meritum: neque igitur contra naturam sermonis excludendum est meritum. Decima: Proprietas omnium linguarum testatur vocabulum necessitatis non tantum intelligi de causa sine qua non, sed multo magis de efficiente & meritoria causa, quæ producit & conseruat rem ipsam: sicut necessaria sunt architecto cæmenta, lapides, & instrumenta fabrilia, ad excitandum ædificium. Vndecima: Inusitata est locutio in omnibus linguis dicere, quod fructus sint necessarij ad constituendam bonam arborem, vel effectus ad suam efficientem vel constituendam vel conseruandam. Sed sic dici solet: Bona arbor necessariò, fert bonos fructus, iustitia & salus necessariò efficiunt bona opera. Vnde rectè dicit Iohannes, primæ capite tertio: Qui iustus est, iusta facit. Et Augustinus dicit: Quomodò potest iusta opera facere, qui nondum est iustus? quemodò sancta, qui nondum est sanctus? Item, Bona opera non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum: sicut & Lutherus loquitur in Postillis maioribus, ab Aduentu vsque ad festum Paschatis. folio 24. Necessè est prius saluus sis, quàm bona opera facere possis. Has & similes causas multo plures supra recensuimus, quibus Assertores perpelli meritò deberent, quò facilius suam illam nouam propositionem omitterent & damnarent.

## DE BONIS OBIECTIO.

Si damnanda est hæc propositio, tanquam falsa & erronea, futurum est ut multi homines offendantur, neque rectè explicari poterunt dicta scripturæ quæ loquuntur de bonis operibus circa salutem.

## RESPONSIO.

Quid intelligant Assertores rectè explicari, ignoramus. Si autem hic est verus intellectus, quod bona opera non sint efficientes & meritoria causa salutis necque etiam conseruatrices, remanet intellectus scripturæ, Augustini & Lutheri, quod omnia dicta scripturæ quæ coniungunt bona opera cum salute explicanda sint & intelligenda, de testimonijs salutis ex gratia, quibus utique Deo gratias agere debemus.

Porro ad eam rem ut supra dictum est, non indigemus hac noua propositione, quæ verius, simpliciter intellecta, euertit verum intellectum scripturæ. Deinde nihil est offendiculum, si quis offenditur sine iusta & pia causa. Siquis autem omninò vult offendi, offendatur sanè hac ancipiti propositione, qua tribuitur bonis operibus, quòd sint efficientes & conseruatrices nostræ salutis causa. Denique hac propositione euertitur ordo causarum & effectuum, & adscribitur fructibus quod ipsi potius arbori ascribi debebat.

## DE PROPOSITIONE, QUOD nullus homo vnquam sine bonis operibus saluatus sit.

Si hæc propositio sic intelligitur, quod bona opera sint effectrices & meritoria salutis causa & quæ conseruent ipsam salutem, falsa est & impia: Si autem sic intelligitur, quod saluati per gratiam, fecerint bona opera ad testificandum de accepta salute & ad agendum gratias Deo, sine periculo tolerari possent.

Verum

Verum & ipsa est ambigua, & potest intelligi de efficiente causa & conseruare. Et præterea, quoniam in scriptura nõ extat, & anxijs conscientijs facile dat occasionem ad desperandũ, & quòd plura hinc sequuntur incommoda, quam commoda: idcirco melius est abstinere his inuitatis propositionibus, ne contradicendi sit alijs occasio, in hunc videlicet modũ, Quòd omnes homines, qui vnq̃ saluati sint, sint saluati sine bonis operibus, & tamen postea de salute per bona opera testificati sint, Deoq̃ fuerint grati. Postq̃ enim homines iustificati & saluati sunt per fidem, regenerantur ad bona opera & suggeritur ipsis facultas & vis ad præstanda bona opera.

#### DE PROPOSITIONE, QVOD

impossibile sit quenq̃ hominem saluari posse sine bonis operibus.

Et hæc propositio periculosa est, propter commemoratas causas, atq̃ melius omittitur, quam vsurpatur, nam & ipsa nihil aliud, quam desperationem molitur, ac perinde facile dici potest: Possibile est, homines sine bonis operibus posse saluari, vel, omnes homines, omnibus temporibus sine bonis operibus saluati sunt, sicut alioqui de iustificatis dicitur: Omnes homines, qui vnq̃ iustificati sunt, sine bonis operibus iustificati sunt, & tamen bonis operibus de sua iustitia testati sunt, Deoq̃ gratias egerunt.

#### O B I E C T I O.

Differentia est inter salutem & salutem. Quando enim salus accipitur pro remissione peccatorum seu pro iustitia coram Deo, necesse est sine operibus hominem saluari: uerum quando salus pro uita æterna accipitur, manent hæc propositiones: Nullus homo unquam saluatus est, sine bonis operibus, item impossibile est quenquam hominem sine bonis operibus posse saluari.

R E S P O N S.



## DE BONIS RESPONSIO.

Supra dictum est antea, quod scriptura remissionem peccatorum iustitiam, salutem & vitam æternam, tam arctè coniungat, vt sine periculo facile diuellì non possint. si verò concedamus salutem pro remissionem peccatorum & iustitia non accipi, sed pro vita æterna, tamen hæc propositiones rursus falsæ sunt. Christus enim dat vitam æternam tanquàm donum, Iohannis decimo septimo, & Apostolus dicit ad Rom. 6. quod vita æterna sit donum Dei.

Postremò omnes hæc propositiones sunt periculose. ac si vtendum ijs est apud perterritas & de magnitudine suorum peccatorum & iræ diuinæ consternatas conscientias, multi homines ad desperationem adfigentur.

### DE PROPOSITIONE, BONA opera necessaria sunt ad conseruandam salutem.

Hæc propositio manifestè contradicit dicto Petri i. Petri primo: Qui custodimini seu conseruamini potentia Dei per fidem ad salutem: & abhorrent aures cum effectus dicuntur suas conseruare causas, poma videlicet suam actorem. Item, hæc propositio detrahit gratiæ Dei, & auget fiduciam bonorum operum, impedit precationem de conseruanda salute, securos facit homines & abducit eos à veris medijs; quibus conseruatur salus.

### DE CAUSA SINE qua non.

Hæc causa solis philosophis & medicis nota est, scriptura eam planè non agnoscit, nequætiã vera theologia, sicut & Patres eam ignorauerunt. Porro sic  
vocant

vocant eiusmodi quandam rem, sine qua quid fieri nequit: sed hic non est illi locus, & conuenientius est, has philosophicas, locutiones longe à Theologia remoueri, ne rursus ex Theologia & Philosophia nouum & mirabile monstrum efficiatur, sicut doctrina Scholastica in Papatu fuit horribile monstrum.

## OBIECTIO.

*Scriptura dehortatur à malo, & contra hortatur ad bonum: atque hæc adeò est causa sine qua non.*

## RESPONSIO.

Ita verò, sicut dicis: alioquin autem Theologi de de his operibus sic loquuntur: Dux sunt partæ nouæ vitæ, desistere à malo, & facere bonum. Et hoc dictum est perspicue atque simpliciter, neque opus est omnino philosophica illa causa.

## DE PROPOSITIONE, QVOD

bona opera ante fidem esse possint.

Repugnant huic paradoxo, sequentia scripturæ dicta. Ad Romanos decimo quarto: Quicquid fit sine fide peccatum est. Heb. 10. Impossibile est Deo placere sine fide. Postremo refutat hanc propositionem Lutherus potentissimè, super Matthæum capite decimo sexto, multis quidem & illustribus argumentis, & inter cætera sic inquit: Si quis dicat, bona opera ante fidem esse posse: perinde verum est, ac si dicat, vera opera politica ante rationem esse posse.

Augustinus super euangelium Iohannis tractatu octuagesimo sexto: Nihil est quod dicis, Antequàm crederem faciebam bona opera, & propterea sum

H h electus.

## DE BONIS.

electus. Quodnam enim bonum opus ante fidem esse potest, cum dicat Apostolus: Quicquid non est ex fide, peccatum est:

In lib. de patientia cap. 20. Etiam fidem præuenit ex qua omnia bona opera incipiunt.

In præfatione Psalmi 31. Proinde nemo reputet sua bona opera ante fidem: Vbi enim fides non est, ibi necq̄ vllum bonū opus. Nemo igitur sua bona opera faceret ante fidem, & nemo etiam piger sit ad bona opera post acceptam fidem.

## DE DOGMATE, QVOD RENOVATIO hominis sit iustificatio seu salus coram Deo.

Et hoc dogma falsum est, nam iustitia siue salus quæ coram Deo valet præcedit renovationem, Cum enim iustificamur seu saluamur sola fide in Christum ex mera gratia & misericordia Dei, datur nobis spiritus sanctus qui regenerat nos & facultatem tribuit faciendi bona opera Galatis 4. & 5. Si ergo iustificatio & salus præcedunt renovationem nostram, quomodo potest renovatio esse pars iustificationis.

Deinde, si renovatio intelligenda est hoc loco de iustitia inchoata, quæ est fructus renovationis, neque ita potest esse pars iustificationis coram Deo. Hanc enim præcedere, & illam videlicet inchoatam iustitiam sequi oportet. Et rursus hic error valde est perniciosus, confundit enim iustitiam coram Deo valentem, cum inchoata iustitia bonorum operum, cum quidem tam procul, quam cælum & terra, inter se distent: quapropter merito discerni debent.

Necq̄ probat hanc propositionem D. Philippus in decretis

Decretis Noribergensibus aduersus Osiandrum, Anni 1555. Hæc enim inter cætera sunt ipsius verba. Neque sic loquendum est: Dux vel plures sunt partes iustificationis, veluti fides, inhabitatio, bona opera. Nam iustificatio coram Deo est accipere remissionem peccatorum & placere Deo propter Christum. Hæc discernenda sunt à sequentibus actionibus diuinis & bonis operibus, ne huiusmodi intellectus affingatur, iustos nos esse propter sequentem inchoatam nouam obedientiam: ac proinde hæc & similes propositiones merito reijciuntur: Iustificatio in hac vita complectitur remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ, donationem spiritus sancti, renouationem hominis, & spem vitæ æternæ.

#### DE DOGMATE QVOD IUSTITIA SIT IPSA FIDES.

Hoc dogma & Osiander oppugnavit: accusat enim nos, quod nullam habeamus certam iustitiam, quia tam varias res vocemus iustitiam, & inter eas etiam fidem. Etsi vero & Paulus Romanos quarto iustitiam vocat fidem, ubi meminit de Ahrahamo, quemadmodum crediderit, & per fidem imputationem acceperit iustitiæ, tamen figuratè hoc intelligendū est. Proprie loquendo fides non est ipsa iustitia sed instrumentum seu mediū quo gratia & misericordia Dei ad salutem apprehenditur. Ephes. 2. Gratia saluati estis per fidem, id est non ex vobis.

Nos autē idcirco oppugnamus hoc dogma, quod videtur huiusmodi præ se ferre intellectum, quod propter fidem tanquam opus coram Deo iustificemur, ad stabiliendā doctrinam Papisticam de iusticia operum.

## DE BONIS.

Præter hæc inusitata est propositio in nostris Ecclesiis, iustitiam esse ipsam fidem: sed hæc propositio nes vilitate sunt: Iustitia est remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo & acceptatio, ad vitam æternam.

Et sicut hæc doctrina fidem in nobis efficit partem iustificationis, ita & alias virtutes in nobis facit partes iustificationis. Atque hæc sunt verba, quibus vtuntur huius dogmatis autores: Iustitia fidei est credere quod filius Dei propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælo, verbum de filio Dei nato & crucifixo habere in corde, lætari in eo & acquiescere, ore confiteri, spargere. Item ad confirmanda hæc omnia dicunt amplius: Iustitia fidei duo complectitur, nempe, fidem cordis & confessionem oris vnâ cum alijs fructibus fidei seu renouationis hominis. In hunc modum antehac quod sciamus, nemo in Ecclesiis nostris locutus est, & profectio hæc res carere suspitione non potest.

### DE DOGMATE, QVOD PER FIDEM & bona opera, nobis applicemus beneficia Christi.

Et hæc nova est doctrina quæ nunquam antehac in nostris Ecclesiis ita sonuit. Nos enim Dei beneficio nunquam aliter docuimus, neque docebimus in omnem æternitatem, q̄ solam fidem esse medium illud seu instrumentum quo applicamus nobis beneficia Christi. Contrarium est planè hoc aliorum dogma, quod per fidem & confessionem applicemus nobis beneficia Christi: Quod ergo tribuitur hoc loco confessioni, meritò tribuitur & alijs operibus.

Sed

Sed hæc doctrina est admodum pernicioſa. Primum enim ſuſpicari quis inde poteſt huiuſmodi doctoribus excidiſſe animo doctrinam de ſola fide iuſtificante. Similiter & cauſa poteſt animaduerti, quamobrem antehac pro neceſſitate operum ad ſalutem tantopere pugnauerint. Deinde hoc ſuo dogmate incertam faciunt impetrationem beneficiorum Chriſti. Quis enim ſcit, quando ſatis habeat operum, quibus dignus & idoneus fiat ad applicanda ſibi beneficia Chriſti.

## OBIECTIO.

*Quoniam igitur bona opera non ſunt neceſſaria ad ſalutem, quæ eſt ergo eorum utilitas? Ac ſi id ita eſſet, quiſnam obſecro ſtudere uellet bonis operibus?*

## RESPONSIO.

Non ſequitur, ſi dicas rem ad hoc vel illud non prodeſſe, in vniuerſum ergo non prodeſſe. Verum ut clare cõſpiciatur, quas utilitates tribuamus operibus pro conferuanda eorum excellentiã, dignitate, ſplendore & maiestate, quasdam ex præcipuis enumerabimus ordine.

Primum. Bona opera certa ſunt ſigna & notæ, quæ teſtantur de nobis quòd ſimus Chriſtiani. De hac utilitate loquitur Chriſtus Iohannis decimo tertio: Ex hoc intelligent omnes homines, quod mei ſitis diſcipuli, ſi diligatis vos mutuo.

Secundo. Teſtimonia ſunt de vera noſtra & efficaci fide. Si enim vera eſt & non ſimulata, declarabit ſe bonis operibus, ut agnoſcatur veluti arbor bona per fructus bonos. Inde doctiores Eccleſiæ opera vocant teſtimonia fidei. & eò reſpexit Iacobus capite ſecundo cum dicit: *Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis.*

## DE BONIS

Tertio, testantur bona opera de remissione peccatorum, de iustitia, salute & vita æterna, nam hæ res sunt æternæ, quæ neq; videri neq; tangi possunt. Vt aut certò sciri possit, q; habeat homo hæc bona, id ab externis bonis operibus, tanq; fructibus, animaduerti, oportet. Hinc. n. Malachias. cap. 2. bona opera vocat sacrificia iustitiæ, qua eadē appellatione vtitur & David, non p;pterea, sicut imaginantur iustitiarij, q; operentur iustitiam coram Deo valentē, sed qd' eius p;sentiam testantur. Adeo etiam bona opera possunt appellari sacrificia remis. pec. salutis & vitæ æternæ.

Quarto, bona opera glorificant & honore afficiunt Deum eiq; agunt gratias p; omnibus beneficijs, hinc enim David vocat ea sacrificia laudis, quæadmodum etiam alibi dicit Psalm. 49. Inuoca me tempore afflictionis, et ego te exaudiam, tuq; me glorificabis. Huc alludit etiam Esaias capite. 49. & 61. cum describit nos tanq; plantulas Domini, ad eum finem confitas, vt colamus, celebremus, glorificemus Deum p; bona opera, congruit eò & dictū Petri: Si quis patitur tanq; Christianus nō erubescat, sed honore Deum afficiat.

Quinto, alia est etiam vtilitas honorum operum, quod alijs exemplum damus, vt & ipsi bene discant operari Deumq; cœlestem patrem glorificent. Meminit huius vtilitatis Mat. 5. Christus, cum dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum cœlestem.

Sexto, bona opera gloriam & nomen et verbū Dei ppagāt atq; amplificāt, sicut mala opera dant exemplum blasphemijs gloriæ & nominis et verbi diuini. Hinc precipit Apostolus vt honestè viuamus, ne afficiatur contumelia verbū Dei p;pter nostra flagitia.

Septimo, bona opera aliquo modo confirmant im-

becilles in vera doctrina, solidiorisq; fidei efficiunt. ceterum enim doctrina semper est vera, utcumq; viuant homines, tamen haud parum proficit ad confirmationem infirmorum, cum aequè doctores atque auditores pie & religiose viuunt, sicut è regione vita turpis & flagitiosa multos homines adeò offendit, ut dubitare incipiunt de agnita veritate tandemq; prorsus ab ea deficiant, imò & qui nondum agnouerunt veritatem, impediuntur turpitudinibus nostris, quo minus eam amplectantur, tametsi non rectè faciunt, non enim doctrina ex moribus iudicanda est, sicut Christus docet Matt. 23. audiendos esse doctores ordinarios seu sedentes in cathedra, hoc est, si rectè doceant, neq; curandum esse quibus tandem modis vitam peragant.

Octauò, comonefaciunt nos de imbecillitate nostra, q̄ non simus pares præstandis officijs à Deo preceptis. Lu. 13. Cum omnia feceritis, inquit, quæ facere debuistis, dicite: Nihil serui sumus. Hanc utilitatem idcirco libentius annotamus, ut significemus quam peruersè faciant veteres & noui iustitiarij, qui deducunt homines ad fiduciam suorum operum tanq; causam iustitiæ & salutis. quid. n. hi agunt aliud, q̄ ut homines ad desperationem adigant, cogituros, etiam cum omnia fecerunt quæ facere debuerunt, tamen se seruos esse nihili, qui mandata Dei nondum perfecte impleuerunt, quapropter neq; iustitiam & salutem sibi expectandam esse, propter hanc suam imperfectam obedientiam.

Nonò. Bona opera sunt remedia aduersus peccatum. dum enim bene agimus, cessamus male agere: dum qui est misericors, cessat esse durus & inhumanus: dum quis diligit alium, non odit. Et hæc est sententia dicti: Eleemosinæ delent peccata, hoc est, sunt remedia contra peccata, siue testimonia quod peccata sunt remissa.



## DE BONIS

Decimò. Bona opera temporalem & æternam habent mercedem huius & illius vitæ. Matth. 5. & 6. Luca 6. & 16. Primæ Timoth. 4. Pietas, inquit, ad omnia utilis est, habens promissionem præsentis & futuræ vitæ. Sed hæc merces non sequitur actiones propter dignitatem ipsarum actionum seu operum, ex opere (vt aiunt) operato, seu propter opus operatum, sed propter promissionem gratiæ, quam Deus proposuit omnibus, qui verè faciunt bona opera ex fide post acceptam iustitiam atque salutem. Et hæc utilitas atque merces certa est, quia promissio est certa & non fallax.

Has & similes utilitates fideliter urgemus in nostris Ecclesiis, vt hortemur & inuitemus homines ad ad faciendum vera bona opera. Neque indiligentes sumus, vt quicquam præmittamus officij in cohortandis auditoribus ad bonas actiones externas & internas, vsque adeò vt eam ob causam multas atque graues iniurias & contumelias toleremus. Ac Dei beneficio simul etiam censuram seu disciplinam Ecclesiasticam ereximus, ac debito modo in manifesta scelera atque flagitia animaduertimus, totisque viribus conuincimur, quò possimus regnum Christi quamplurimus exornare pijs ciuibus & bono exemplo

iuiuare cæteros. Interim tamen videmus  
vsu venire, quæ est peruersitas hominum,  
vt ij qui maximè litigant de  
bonis operibus, minimum  
curent disciplinam  
& bona opera.

ra.

DE

# DE CORRVP-

## TELA DOCTRINAE

### DE REBUS INDIFFEREN-

tibus in Ecclesia, quæ nominan-  
tur Adiaphora.



**N**TSI VERVM EST, MAG-  
nas de rebus adiaphoricis hoc  
tempore post obitum diuini  
herois Martini Lutheri ex-  
titisse contentiones & dissi-  
dia in ecclesia, quibus omnes  
pij debent ex animo affici, &  
ardentibus votis apud Deum  
instare, quò difficultas huius  
negocij tandem aliquando deposita omni acerbitate  
in tranquillum restitatur: Tamen non est dubium,  
hæc ipsa certamina non planè sine vllò fructu abiisse.  
Nam tota controuersia de adiaphoris ita pertra-  
ctata est, vt nemo iam ignoret, quæ sint vera adia-  
phora, quæ eorum sint vsus & fines, quomodo ad uti-  
litatem Ecclesiæ ijs vtendum sit, quatenus se exten-  
dant, vbi denique & quando habeant locum, vt pro-  
sint & non obsint Ecclesiæ. Meritò igitur gratias agi-  
mus Deo quod ita nunc de rebus adiaphoricis insti-  
tuti sumus, vt in perpetuum haud quaquam de illis  
vllam in nostris Ecclesiis fore controuersiam sperari  
possit.

Nam etiam si quis ex nostris in hoc negotio impru-  
denter

## DE CONTROVERSA

denter egit aut languide, tamen is postea facile se corrigit. Cateri vero qui Dei beneficio hac in causa nihil egerunt imprudenter & languide, vel saltem non tantopere, facilius illi veniam dabunt alijs, cogitantes sibi eadem, quæ illis, accidere quotidie posse.

Porrò notum est omnibus, etiam inter doctos semper multum discrepationum fuisse de rebus adiaphoris, & plus dedisse hanc controversiam laborum, & molestiarum in omnibus ferè conuentibus, synodis, colloquijs, & deliberationibus, quàm ipsum corpus doctrinæ Christianæ. Proinde celebrandus est Deus, qui tot nobis, tanq̃ vtiles libros, in his postremis, & periculosissimis temporibus reliquit, ex quibus hæc controversia inter nos facile diiudicari & componi potest. Et per quos etiam pontificijs, si erit forte aliquod deinceps colloquium, vel liberum concilium, imponi silentium potest.

Neque mirandum est adeò, tantas controversiam adiaphoricam in nostris Ecclesijs dedisse turbas. Sic enim fieri solet, vt semper adiaphora maiores excitent tumultus, quàm ipsa doctrina. Sic de traditionibus humanis & falsis cultibus plus certaminum habuerunt propheta quàm de doctrina, & Christus ipse de his rebus dimicauit, sicut probatur ex Mattheo, capite decimo quinto & vicesimo tertio. Temporibus Augustini tantæ fuerunt concertationes de traditionibus humanis & rebus indifferentibus vt secuta sit inde miserabilis vastitas in Ecclesia, qua de re conqueritur Augustinus his verbis, ad inquisitiones

tiones Ianuarij libro primo capite secundo: Cum dolore & inconstitutine expertus sum, magna tristitia esse affectos infirmos, propter quorundam fratrum rixosam pertinaciam & non necessariam timiditatem in eiusmodi rebus, quæ neque per autoritatem scripturæ, nec per catholicæ Ecclesiæ traditionem, neque per ullam utilitatem corrigendæ vitæ ad certum finem perducî possunt, nisi quòd leuissimam causam suarum cogitationum habuerunt, vel quòd in sua patria sic vlitatum esset.

Ac notissima sunt omnibus dissidia, de quibus testantur historix, quæ exorta sunt de festo Paschali, quo nam illud die celebrandum esset, tanto quidem impetu & feruore, vt Episcopi alter alterum excommunicarent. Nec dubitamus affirmare, quodocunque tandem erit concilium, plus nobis facesset negotij controuersia de adiaphoris quàm tota doctrina. Cæterum hæc ideò commemoramus, ne quis nimium admiretur, tantam esse factam Ecclesiarum turbationem, in hoc certamine de rebus medijs, ideoque non etiã expauescat nimium aut ita offendatur, vt ruat in desperationem, apostasiam, vel abnegationem, multò minus propter hanc controuersiam, doctrinam iudicet esse falsam. Quomodò enim doctrinæ imputabitur, quòd aliqui doctores vel humano metu, vel imbecillitate vel alijs causis impulsî de rebus medijs contendere cœperunt.

## DE CONTROVERSA

Vnde autem veniat hominibus tam prava cupido de adiaphoris dissidia mouendi in Ecclesia, facile est videre. Primum, quod nonnulli veram & simplicem cultum contemnentes, tantum afficiuntur magifico & splendor apparatu ceremoniarum & rituum, vt expleantur aures & oculi, & quidam veluti habitus nudo per se cultui accommodetur, in verbo & sacramentis. Quocirca reperiuntur adhuc, qui delectantur ornatu ceremoniarum qui fuit adhibitus in Papatu, etiam si ipsas ceremonias non probant. Deinde nonnulli tempore persecutionis sperauerunt se admittendis & multiplicandis adiaphoris, hostium mitigaturos iracundiam. Contra primam causam tenenda est hæc consolatio, quod Deus eligit & diligit, id quod maxime coram mundo est abiectum & sordidum I. Corinth. I. Contra secundam scimus, omnes spes de placatione hostium esse frustrata. Non enim acquiescunt admissis aliquibus (vt aestimantur) leuiusculis, seu quæ reputantur pro indifferentibus, sed volunt integrum suarum falsitatum corpus admitti ac recipi. Quoniam ergo alterum est impium, alterum desperatum, nihil fieri potest rectius, quam perferre & obdurare tempore persecutionis, neque vllas recipere de rebus medijs conditiones, ne habeant aduersarij, quod gaudeant, neque pij turbentur, nosque velut inconstantes vbique proclamitemur, quos omnes terrent auræ, qui facile contremiscamus metu periculorū, Ceu tremunt à quouis fraxina virga noto. Commemorabimus autem exemplū, quo deterreantur aliqui. Superioribus annis princeps quidam conciliationem religionis scribi

scribi iubebat (vt placaret magistratum suum) nempe ita vt in speciem similis esset editæ reformationi Cæsaris, quod vulgo vocabant Interim. Scriptam per legatos exhibet magistratui, sperans fore illum contentum. Magistratus diligenter percognito scripto respondet legatis: lectam à se esse formulam, & placere quæ tantisper egisset princeps, neque dubitare, quin vt in aliquibus articulis nonnihil concessum sit, ita progressu temporis & de cæteris articulis daturus operam esset, vt nihil dissensionis relinquatur. Et hæc responsio est communis, quam existimamus certi præmij loco habituros omnes, qui tempore persecutionis quærunt effugia & mitigationes per adiaphoricam largitionem. Hæc etiam est pœna, qua diuinitus afficiuntur, qui per abiectionem animi in rebus Ecclesiasticis mutationem admittunt: sicut nota sunt exempla, quemadmodum Deus aliquos iam ex istis largitoribus puniuit, quæ commemorare possemus: & ipsi qui pro nomine diuino nihil tolerare voluerunt, pro libidine diaboli duplū perpessi sunt præter cæteros, qui vt probarent ecclesiæ suam constantiã, adiaphora non receperunt.

Adeo igitur omnibus temporibus fugienda sunt largitiones vel omissiones rerum indifferentium, præsertim tempore persecutionis: tum etiam variæ de his rebus in mentem veniunt cogitationes, quibus impeditur confessio veritatis: ac verè statuimus, nihil esse efficacius ad faciendum eiusmodi impedimentum, quàm ipsa adiaphora, quæ latè extenduntur, & comprehenduntur sub eo titulo multæ res quæ perse non sunt indifferentes, sed vel præceptæ à Deo vel prohibitæ.

DE CONTROVERSIÀ

QVAE SVNTERGO MIRABIL

les illæ & variæ cogitationes, quas  
mouet tempore persecutionis  
res adiaphoricae

RESPONSIO.

Confessionem veritatis quæ vel ore fit, vel ipso  
facio expeditur aduersus edictum magistratus, simi-  
lem esse contumaciã.

Perfidiam esse discedere à falsa doctrina & cultu  
idolatrico eos qui deuincti sunt magistratui, tanq̃  
inferiores, fidei iurisiurandi.

Excusatos esse inferiores, si per vim eis obtruda-  
tur à suis superioribus falsa doctrina & idolatria.

Christianum hominem posse reconditam habere  
fidem suam in pectore, neque eam necesse habere  
tempore persecutionis cum periculo vitæ & omni-  
um fortunarum profiteri.

Nemini deserendã esse vocationem propter con-  
fessionem.

Stultum & insanum esse Zelum propter confes-  
sionem veritatis obijcere se periculo.

Christianũ hominem, qui veram habet cognitio-  
nem verbũ diuinũ, salua conscientia posse sciũem esse  
reipublicæ Papistice, legibus eorum, ceremonijsq̃  
& moribus inseruire, astare celebrationi missæ, vti  
cœna dominica sub vna specie, interesse tricesimis  
vigilijs, recordationibus, missis pro animabus, & si-  
milibus.

Non esse malum aut perniciosum interesse missæ  
Papistice, sacrificare idolis, candelas gestare mani-  
bus, cineribus aspergi, cum faciant id magni & pro-  
fessionis euangelicæ viri. Ido

Idolatriam tantum corde perpetrari non exterius gestibus, astando, & alijs.

Non esse iniustum, ad cauendam iram magistratus & conseruandam pacem publicam, foris simulare cultum & inuocationem idolorum, si modò non fiat id animo, sed vnus solus verus & viuus Deus cogitetur.

Non esse peccatum sumere sacramentum coenae Dominicae sub vna specie in missa Papistica, sicut vsitatum est, & à multis principibus fieri solet.

Et si est impium interesse idolatriae Papisticae, tamen alia res est de ceremonijs Papisticis.

Sicut in loco Papistico viuenti non sit copia sacramenti sub vtraque specie, bona conscientia posse sumere sub vna.

Etiam si quis Papisticas ceremonias exercet vel adiuuat, nihil referre, modò per eas colat verum Deum.

Siquis Christianus viuat inter Turcos, non esse malum, si templum illic ingrediatur, & simulet foris placere sibi illas idolomanias, neque tamen verè irascentiat. Multò minus esse malum, si quis apud Papistas templum ingressus talia simulet.

Non esse impium, si homo Christianus assuet missae Papisticae, neque aliud quicquam cogitet, quam salutarem passionem atque mortem Christi.

Eliseum prophetam Namano Syro permisisse, vt in templo idolorum ministraret regi, & cum rege adora-



## DE CONTROVERSIA

adoraret. Qui minus ergo nobis Christianis id liceret?

Cum in quadam epistola, quæ Ieremiæ tribuitur, scriptum sit: Si videritis aureos & argenteos Deos, & Babylonios flectentes coram eis genua, dicite in cordibus vestris: Te solum Deum adorari & coli oportet. Ergo etiam in ipsa idolatria adorari & coli Deum posse.

Paulum etsi sciebat Mosaicas leges & ceremonias esse abrogatas, tamen rasisse caput, & vouisse votum purificationis, secundum consuetudinem legis. Quare ergo nobis prohibitum sit auscultare missam Papisticam, & interesse illorum ceremoniarum.

Nemini dandum esse scandalum, quapropter non esse ita malum assistere ceremoniarum & missificationi Papisticae, ne illi offendantur.

Etsi sit peccatum assistere missæ Papisticae, & ceremoniarum eorum, tamen non esse tantum.

Si veritas omnibus nobis manifestè & propalatum constanda sit, non fore vllum afflictionibus, cadibus & laniationibus neque modum neque finem, ergo licere tempore persecutionis agere remissius.

Prudentem virum decere, ut inseruiat temporibus: ergo non semper idem sentiendum, sed idem spectandum esse.

Non esse mediocrem virtutem accommodare religionem personis, temporibus & locis, in quibus sumus.

Melius esse, aliquas recipere Papisticas ceremonias tempore persecutionis, quam totam religionem amittere.

Planè

Planè nihil concedere tempore persecutionis, turpem esse & Stoicam pertinaciã, nullo modo laude dignam.

Rem parvam esse de linea veste.

Dubitari posse, vtri habeant veram religionem. Si enim sub Papatu errare homines potuerunt, potest haud dubie nostris doctoribus idem accidere.

Hæ & sine numero aliæ cogitationes non desinant turbare animum hominis, tempore persecutionis, quibus utique vnusquilibet imaginatur sibi mitigationes qualdam, quò facultates & fortunas, & vxorem & liberos, suam denique vitam relinquere non cogatur. Et quamuis in hac serie multæ reperiuntur impietates, tamen per occæcationem diaboli & rationis tantum vocantur adiaphora & res mediæ. Mirabilis est artifex diabolus ad offundendas hominibus præstigias, vt putent se quicquid in his rebus faciunt, bona conscientia facere posse, & tum incipiunt illa sophismata rationis atque reformationes, & Interisticus liber vnus cuditur post alterum vt mitigatio adhibeatur persecutioni, vera doctrina intermoritur, nec fieri potest, vt tunc falsa dogmata prorsus excutiantur, quæ in tali rerum statu sponte & improuisò dare se obuiam solent, sicut exempla testantur his nostris annis conspecta. Qui verò resistere his cogitationibus possunt, nec seducuntur per res ad dubitationem, metum & defectionem, nullas faciunt perniciosas conciliationes ac reformationes, puramque doctrinam verbi diuini non deprauant & corrumpunt, illi verò sunt artifices omnium excellentissimè, & peculiare habent donum Dei.

## DE CONTROVERSA

Quòd autem nostro tempore multis defuit hoc artificium & donum, non est sanè mirandum, in tanta humanæ mentis cæcitate & imbecillitate. Sed caueant illi, nec peccent amplius, neque dubitamus, primum lapsum eos deterriturum, ne de cætero similiter labantur. Cæteri vero quibus Deus suo beneficio illam artem & donum concessit, operam dent, ne sint securi, lapsosq; contemnant, sed patienter eos ferant, non sint nimium asperi & vehementes, sed placidi & clementes, vt vincant, erigant & confirment illos, cogitentque eadem sibi accidere posse quæ cæteris acciderunt. Est enim reuera, vti abbas ille suo cuidam monacho respondit, gratulanti lapsum alterius fratris, Hodie (inquit) mihi, cras tibi.

Sed hoc miramur apprimè in hoc toto negotio, quòd multos pudet suam imbecillitatem & languiditatem confiteri, & ita concordiam, & tranquillitatem Ecclesiæ impediunt, cum tamen humanum sit labi & errare, & confessio culpæ in tali causa non sit ignominiosa sed laudabilis coram Deo & hominibus. Non ita fecit sanctus ille doctor Augustinus, sed cum & per se animaduertisset, quosdam inesse in scriptis suis errores, & per alios fideles fratres commonefieri, statim confecit libros Retractionum & laudi sibi duxit quòd liceret sibi hoc modo suos libros à mendis & fallis opinionibus repurgare, & cauere, ne Ecclesia suis aliquando scriptis turbaretur.

Fatemur & nos, & quidem libenter, nos etiam  
tempore

tempore persecutionis cum formula Augustana ingentes excitaret tumultus, longe fuisse timidiore quam decebat nostram personam, deinde cogitationes, quas longa seri recensuimus supra, magno impetu animos nostros habebant occupatos, & saepe ita fuimus angusto animo, ut quorsum nos conuerteremus incertum esset, atque ipse mitigationes & concessiones ita nos adoriebantur, ut non dubitarem aliquid esse concedendum. Ac si vehementius tentati fuissetus & ad aulicas deliberationes adhibiti, haud scimus an non aliquid largiti fuissetus. Quod autem retinuimus veram doctrinam, verum usum sacramentorum & ceteros cultus sine corruptelis, neque languidissime & praeter modum omisse egimus, agnoscendum est beneficij loco a Deo accepti & pro eo pater caelestis celebrandus.

Et ego Erasmus Sarcerius fateor amplius de me & scriptis meis, quae in publicum prodierunt, quorum magnus est numerus, me neque scientem ac volentem neque pertinaciter ac temere, aut ad turbandam Ecclesiae concordiam, nihil quicquam neque docuisse neque scripsisse, sed quicquid horum feci, bona fide & animo beneuolo fecisse, & ut prodessem ecclesiae, Scholis & alijs hominibus. Et quamuis non sum conscius mihi ullius erroris, tamen fieri potest, ut alicubi hallucinatus sim & a scopo veritatis aberrauerim.

## DE CONTROVERSA

ac sæpe numero non ita perspicue & proprie de rebus diuinis locutus sum, sicut necessitas postulabat. Quicquid igitur horum acciderit, si fraterna beneuolentia admonitus fuero, libenter reuocabo & corrigam. Ac propter Deum precor ut legantur scripta mea cum iudicio, ac siquid occurreret in eis reprehensione dignum, nempe quod manifeste pugnet cum verbo Dei, ne id recipiatur, sed reijciatur atque damnetur, quemadmodum & ego siqua sunt eiusmodi damnata volo. Meis enim scriptis nullam equidem sponte dabo ecclesiis dissidiorum, certaminum & errorum occasionem. Et opto omnes hoc tempore doctores, diuina iuuante gratia, mecum in hoc negotio sentire, sperauerim facile nos pacem & concordiam Ecclesie recuperaturos & posteritati nostrae doctrinam integram & nullis haeresium vel secliarum maculis inquinatam reddituros.

### OBIECTIO.

*Siquis errauit & falsa docuit, facile persuaderi potest ad palinodiam, si autem error ex falsa doctrina falso ei tribuitur, re nondum dijudicata & satis probata, nihil molestius est, quam fateri uel reuocare errorem.*

### RESPONSIO.

Nemini possumus esse autores vel suasores ut falsam doctrinam & errorem confiteatur vel reuocet, si sit extra culpam: nos quidem adduci non possumus. Potius enim omnes opes & ipsa vita in dubium ponenda est, quam iustitia & veritas contra conscientiam deferenda. Quapropter eorum scripta maxime probamus, qui cum calumniam erroris & falsi dogmatis prater suum meritum sustineant, prudenter

denter & patienter ac modestè, vt est homine Chrístiano dignum se excusant. Et illorum apologia non ingrátè leguntur, neque etiam sine fructu. Sed male-dicos & famosos libellos ( quibus nunc refertus est orbis ) nemo cum iucunditate legit, cum sint malo exemplo, neq; vllam afferant vtilitatem.

Porro tria sunt eorum genera qui in rebus adia-phoricis languidè & imprudenter egerunt. Aliqui integram formulam Augustanam receperunt, sicut luce meridiana clarius est, & exempla nota sunt. Alij conscripserunt Epitomas, reformationes, conciliationes, iudicia, quibus abusi sunt ad extrahendum tempus executionis, & etiam si fuerunt aliquibus autores seruandæ formulæ Interisticæ, tamen prouidit Deus mirabili modo, ne consilia in ipsum factum erumperent, sicut & neque mutatio neque persecutio vlla per eos subsequuta est. Qui sunt tertij generis, non tantùm epitomas & similes rhapsodias conscripserunt, sed etiam factum vrserunt, mutationes fecerunt, doctores quosdam, qui non irent pedibus in eorum sententiã, persecuti sunt & prorsus abegerunt.

Primi illi digni sunt qui arguantur & quorum vituperetur inconstantia, sicut meritò factum est ab aliquibus.

Secundi, etsi non tantopere peccauerunt, tamen neque ipsi vacant culpa. Nam vt minimum egerunt languidè & obliuiosè. Qua de re si à nonnullis admóniti fuerunt & partim etiam increpiti, nihil indignum tulerunt.

## DE CONTROVERSA

Tertij vehementer sunt culpabiles, quare si vehementius etiam sunt accusati, pro suo merito tractati sunt.

Cæterum non inficiamur, quosdam monitores nimium fuisse vehementes, & ex aliorum relatu quædam accepisse malignius, quam vt gesta erant, ideoque asperius monuisse. Sed etiamsi mediocritatem exceſſerant, speramus magis pio Zelo id factum esse, quam alijs illicitis causis. Si verò ex inuidia, iracundia, odio, similitate & similibus cupiditatibus quicquam factum est (quod non arbitramur) non defutura est illis autoribus pœna diuina.

Ex his tribus generibus nemo est qui videri velit quòd disceſſerit à vera doctrina vel quicquid de ea corrumperit, vtcunq; manifestum sit omnibus quid egerint, quanq; grauiter peccauerint.

Contra verò certum est, in actionibus adia phoricis multas & varias doctrinae corruptelas irrepsisse. Qui sunt primi generis non possunt se prorsus purgare de corruptelis. Nam formula Interistica multas continet errores, quos aliqui ex nostrarum Ecclesiarum doctoribus commonstratos refutarunt. Posterioribus duobus generibus ex animo optaremus, prorsus eos esse innocentes.

Inficiationes autem perpetuas altera pars non recipit, vidit enim quam varia corruptelæ inuectæ fuerint in Ecclesiam. Propterea vrgent damnationem corruptelarum, neq; iniuria. Hoc cæteri non fatentur, multò minus addunt consensum, anteq; audiatur & cognoscatur causa, ac velunt se non accusari solum, sed etiam conuinci.

Diffi-

Difficile est ergo in his grauissimis causis agere, ubi altera pars ait, altera negat. Quemadmodū igitur non iudicamus indignum eos facere, qui cum accusati sint, audiri controuersiam & cognosci seque conuinci volunt: ita vicissim neque illos culpamus, qui conuicturos se, & honestè suam causam tuituros respondent.

## QVAESTIO.

*Quid obstat igitur, quò minus hoc perniciosum dissidium tollatur  
& pie componatur?*

## RESPONSIO.

Miseri nos & securi Germani sic occupati sumus rebus politicis & negociatorijs, seruientibus auaritiæ & luxui, ut vacare negocijs religionis non possimus: neque sentimus aliter, quam si vnā horulam impendamus rebus diuinis, operam nobis & tempus perijisse. Non ergo digni sumus pia & Christiana synodo, propterea & pauci erūt principes, qui aliquid sumtuum in opus tam pium & sanctum conferre velint. Porrò nihil dicemus de causis quæ solent afferri, quod his periculosis temporibus plus nocitura sit synodus in tanta animorum exacerbatione, quæ inter Theologos tandiu creuit. Sed hoc dicimus & certo affirmamus, quodocumque erit ordinaria quædam Synodus cui Christiani principes aliquot præsidebunt non contaminati sententiis & erroribus, quibus erit plena potestas de sententiâ omnium cæterorum Augustanæ confessionis statuum, qui sua autoritate tanquàm præsides synodi



## DE CONTROVERSA

Synodi omnes res pacabunt exemplo Constantini, principio priuatas tollendo iniurias ( prudenter tamen & extra cuiusque partis ignominiam ) nemini Theologo indebito modo litigandi permittendo facultatem, qui totum negocium vrgebunt: tum denique fore speramus, vt omnes turbæ ad Christianam reconciliationem & veram concordiam & quidem sine maximo labore & molestia componantur. Rixarum enim & litium Christianos doctores iam distædet. Siqui autem contumaciter sine veris & honestis causis omnes pacificationes recusabunt, maioresque turbationes Ecclesiæ molientur, illi post dignam cognitionem causæ ad silendum cogantur, si forte Deus interea mentem det illis meliorem.

Præterea multi nobis supersunt Christiani Theologi & pacis amantes, qui de sua diligētia nihil facturi sunt reliquum, sed omnes tolerabunt molestias & omnem suam dedicabunt paci constituendæ operam. Nec dubitamus, & reuera sic esse statuimus, quod in hoc toto negotio paucissimi tam sint exacerbati, quin pacem quam discordiam malint, modo consequi eam sine veritatis detrimento possint. Deinde neque sic res habet, quod propter præsens hoc negocium exacerbatio animorum sit tanta, vt discipuli debitam reuerentiam & amorem præceptoribus suis à quibus doctrinam & multa officia acceperunt, ingrati recusent. Quod autem interim à leuissimis hominibus falsæ obrectationes ad præceptores deferuntur, in præsentia concedi illis oportet, donec aliquid tempus aliud docebit. Et, vt paucis dicamus, ita sumus animati, vt amici simus personarum, negociorum

tiorum inimici. Ac posset quidem instaurari concordia si modo media quærentur. Synodus patefaciet, veta pars magis indulgeat priuatis cupiditatibus & affectibus: ac fieri potest, vt tunc demum, qui hoc tempore existimantur acerbissimi, lenissimos se comprobent. Tantum diabolus & homines mali præstigias faciunt hominibus, ac si Theologi tam sint exacerbati, vt nulla pax, etiamsi congregaretur Synodus, expectari possit. Contrarium nos statuimus, neque per experientiam aliter inuenimus. Sed diuinare possumus qui nam impediunt, quæque sint impedimentorum causæ, quò minus permittatur congressus Theologis, vt per familiare colloquium ad reconciliationem & piam concordiam coalescant. Nam Theologorum concordia non est utilis omnibus. Ac si quando Christiana illa Theologorum concordia (sicut precamur & optamus) instaurabitur, non fiet hoc cum illarum viperarum & Democriti similibus derisorum commodo. Hoc norunt ipsi, propterea manibus pedibusque resistunt ne talis aliqua sanatio suscipiatur.

## OBIECTIO.

*Qui sunt ergo illi errores, qui per actiones adiaphoricas in Ecclesiam inuecti sunt, & pro erroribus declarantur?*

## RESPONSIO.

Eos Theologi quidam publicè ediderunt, indicatis locis, vbi reperiuntur in scriptis eorum qui tunc largiebantur adia phora. Propterea superuacaneum est, hoc loco catalogum recensere.

## QVAESTIO.

*Sed quid aiunt illi qui largitores dicuntur rerum Adiaphoricarum, cogitentur ne se errores stabiliffet?*

LI      RESPON.

DE CONTROVERSA  
RESPONSIO.

Non aiunt: sed aliqui prorsus volunt esse puri. Deinde aliqui fatentur de aliquibus. Tertio aliqui dicunt multa esse mutilata, alicubi quædam adiecta, quædam mutata, sententia calumniose per malitiam corrupta. Quarto, audent aliqui, nonnullos errores de nemine vnquam auditos, sed esse maliciosè excogitados. Quintò, volunt quosdam esse incertos, de quibus tantum aurium testimonia non fide dignæ probationes habeantur. Sextò, quosdam dicunt ex mera susceptione prouenire.

QVAESTIO.

*Quid igitur faciendum est, ut nihilominus pax & concordia resarciatur?*

RESPONSIO.

Vbi altera pars affirmat, altera negat, necesse est principio pars affirmans afferat probationes. Reliqui autem, qui præ se ferunt mutilationes, additiones, mutationes, calumnias, maliciosas sententiæ corruptelas, quòd item aliquid confictum, aliquid incertum sit, aliquid à solo auditu & falsis narrationibus, vel etiam suspicionibus profectum: illi inquam proferant hæc, & quid accusent ostendant.

Alter ergo pars probauit publicis scriptis, & alterius partis scripta indicatis dictorum locis citauit. Ad hæc respondere alteram partem oportebat, quod

quod nondum est integrè factum, quare adhuc pendet controuersia.

Aduersus hoc nullum est præsentius remedium (quoniam non volunt illi ad propositas probationes directè respondere, fortasse quod aliqui innocentes se putant, vel quòd à malis hominibus à responsione retractantur, vel quæcunque alia adsunt impedimenta) quàm vt synodus conuocetur, in qua utrobique argumenta & responsiones & utrorumque declarationes audiantur. Vbi si reperietur, quosdam errores esse inuectos, sicut re vera sunt: cur non ad gloriam Dei, & utilitatem Ecclesiæ, & pacis atque concordiaë conseruationem, scandali, dubitationis, & defectionis vitandæ causa, damnentur? Si contra confessionem veritatis alicubi languidè & negligenter actum est, priuatim vel publice, quare pudeat eos hoc confiteri? quare sua pernegatione iram Dei temporalesque & æternas pœnas sibi accumulare velint? sicubi inconstantia dubitatione & defectione peccatum est, quare tacendo vel simulatis excusationibus maiori se obijciunt periculo? si honestas excusationes in promptu habent, & utiles declarationes, quare reseruantur, quo minus ad Ecclesiam suam utilitates redeant? si denique ex priuatis affectibus, inuidia, odio, animo irato, similitate, superbia, vel sua opinione aut si qua sunt similia, aliquid in hoc toto negotio actum est, cur non sponte ac libenter gloria DEI & utilitati Ecclesiæ id condonatur?

## DE CONTROVERSA

Similiter Theologi si mutuas habent inter se offensas, si alter alterum contumelia vel iniuria affecit, vel malum verbum obiecit, quid rei est, quin alter alteri reconcilietur? vel nihil iam Theologorum est, nisi vindictæ cupiditas priuata? aut an temere dictum est. Mihi vindictam & ego retribuam?

Deinde an solis Theologis obijciendum erit, quod ipsi alios ad fraternam dilectionem, ad patientiam, ad condonationem & reconciliationem hortentur, & sibi easdem virtutes deesse sinant? turpissimum est adeo, hæc de Theologis audiri & prædicari? Quid obsecro principibus veniet in mentem? quid alijs hominibus pijs, cum de hac re tanta, tanq̃ perniciosa exacerbatione inter Theologos cogitant? nihil profecto mirum, si veram doctrinam propter ipsas docentium personas odisse, de doctrina dubitare, & paulatim deficere incipiant? tamen si impiū hoc esset, nam vera doctrina non est iudicanda ex personis, sicut Christus dicit Matthæi vicesimo tertio: Audiendos esse doctores sedentes in Cathedra Moysis, id est, rectè docentes verbum seu legem diuinam, quacunque tandem ratione vivant modò turpitudines eorum & vitia nostris moribus non exprimamus.

Item, quare non afficimur calamitate Ecclesiæ in his postremis & periculosis temporibus? cur non vere & ex animo eius vicem commiserescimus, & gemimus ita miserabiliter turbatam & laceratam esse Ecclesiam, vt magis inclinare quàm surgere videatur?

Postremo, quid obsecro causæ est, quod Christiani

stiani Principes, in hoc necessario & maximo negotio, quæ dilationem sine summa iactura & detrimento, ferre non potest, tam altè dormiunt, quasi nihil ad ipsos pertineat hæc calamitas Ecclesiæ, & tamen iuxta dictum Esaia, videri volunt eius nutritores & beneficii. Cur non piam synodum vel conciliū Theologorum conuocant, vbi audiant vtranque partem, coerceant contumaces, defendant bonos & iustos, vt aliquando tandem Ecclesia repurgata erroribus rursus in tranquillum sistatur, pars rea causam habeat agnito delicto suo resipiscendi, pars innocens quæta esse ab aliorum tumultibus possit.

Si hæc perniciofa dissensio accidisset Constantini temporibus vel Theodosii, vel aliorum piorum imp̃p: nonne omnem diligentiam, operam & laborem adhibuissent, ad sopiendam & tollendam illam? nonne relictis rebus omnibus pacem Ecclesiæ profecti essent? imò verò quietē non cepissent, donec perficerent. Constantinus factus imperator, cum videret quantum Ecclesiæ per Arianam hæresin laceratæ essent, non hoc solum sibi credidit negotij dari, vt sui regni populares civili ornaret iustitia, & ab iniusta vī defenderet, sed vt etiam Ecclesiæ fideliter curam susceperet, quo tanquàm suæ pietatis documento restatum faceret, se esse nutritium Ecclesiæ. Proinde iustum concilium in oppido Niceno conuocauit, cui ipse non interfuit solum, sed etiam perfuit, in medio tenens locum inter episcopos & doctores, idque honorificum sibi duxit, adeo vt dixerit etiam, Ecce adsum, tanquàm vnus ex vobis, neque inficiari possum, gaude re me vestrum esse Synergum, quod ad præsentem disputationem attinet. Rectè igitur quidam lauda-

## DE CONTROVERSA

urus hinc optimum imperatorē, Dignus inquit: erat princeps laude, qui sui iudicauit esse officij interesse cognitioni, & cum eruditis conferre. Similiter Theodosius (cuius Zelum, benevolentiam diligentiam & labores pro vera religione, Ambrosius Mediolani Episcopus non satis commendare potest) toto pectore & omnibus viribus haresin Nestorij extirpare, & pacem restituere afflictæ Ecclesiæ contendit. Gratianus vehementer exoptauit & summa cum lætitia perfecit, vt ad exemplū Constantini conuocato concilio, ipse interesset cognitioni, quò manifesta fieret veritas & omnia dissidia Ecclesiæ conquiescerent. Ad eundem modum fecerunt & alij multi imperatores & Principes, quorum exempla sibi proponunt nostri.

Cogitant fortasse potentes, pro suis imaginationibus se oppressuros hanc distractionem nihil agendo vel tacendo, vt postremò totum negocium Laconica quadam amnistia consilescat, vel certè si opus sit per vim conciliaturos concordiam. Si hæ sunt ipsorum imaginationes, persuasum habeant, nihil esse inanius, etsi verum est, quosdam Theologos & iureconsultos sua consilia illuc intendere. Nam conscientie turbatæ certaminibus Adiaphoricis, non pacantur nihil agendo vel tacendo, neque etiam vim patiuntur. Conscientie non possunt cogi, sicut homines coguntur vinculis & compedibus, vel carcere. Sed de pijs rectè dicitur: Non possunt cogi, qui possunt pati. Postremò, conscientie verbo Dei volunt sanari, non tacendo vel vi opprimi. Ad eam rem nihil est vtilius synodo, in qua perfecta cognitio & libera fiat  
execu

executio iuxta verbum Dei, quæ est vera norma illarum controuersiarum. Præterea nonnulli Theologi in negotio Adiaphorico ita sunt perturbati & capti, vt sine declaratione scripturæ non possint acquiescere. Quare igitur tantopere obliuiscamur Christianæ dilectioni vt illos erudire nolimus per decreta synodi alicuius. Tacemus, etiam Principes esse quosdam quorum lesæ sunt conscientiæ in actionibus Adiaphoricis, quibus & ipsis debetur sanatio. Sin autem ita existimant Theologi, se violentia quadam vsuros, & conuictorum atque scommatum suorum cumulo labefacturos cæteri, vt tacere incipiant, hæc ratio omnium minimè succedit. Quandiu enim erroribus qui in actionibus adiaphoricis irrepserunt, non inuenitur remedium, nulla expectariconcordia potest, sed verendum est prius excitaturum lapides Deum, qui reclamitent turbatoribus.

Ac per commemoratas causas nonnulli fortasse instigati, omnia media parcis præsertim synodali cõuocationem (quæ est præsentissima ratio pacificandi in rebus diuinis) recusarunt. Qui ergo non curant talia, profectò illi gloriam Dei & Ecclesiæ vtilitatem minimè promouere volunt.

#### OBIECTIO.

*Vtraq; pars offert se cognitioni synodali, & utriq; sperant se iustam & honestam habere actionem. Agnoscunt item utriq; incommoda, quæ ex præsentis dissidio enascuntur.*

#### RESPONSIO.

Quin ergo conuocatur synodus? Cur non vtraq; pars suam proponit accusationem, suam audiri causam



## DE CONTROVERSIA

ſam cognosci & diiudicari poſtulat: cur non quærun-  
tur rationes quibus tollantur hæc incommoda. Non  
eſt profecto melior ratio, quàm ſi congregetur ſyno-  
dus, in qua de publico ſcripto conueniat, in quo dam-  
nentur inuecti noui errores, & amplecti illos con-  
ſenſum veræ doctrinæ oſtendatur.

### QVÆSTIO.

*Quid ſi nulli errores in cognitione ſynodali uerè demonſtrari poſ-  
ſent?*

### RESPONSIO.

Melius erat id quidem: ſed manifeſtum eſt plures  
demonſtratum iri, quàm pro utilitate Eccleſiæ. Et  
qui eos inuexerunt, respondebunt pro illis. Poſteſt  
tamen fieri, vt tribuantur aliquibus falſa dogmata,  
quæ non ſunt illorum: ſed inde non ſequitur, falſa  
non eſſe. Verum & hoc eſt, non omnia falſa dog-  
mata, omnibus qui ſub titulo Adiaſphorico cenſen-  
tur, tribui poſſe. Quædam enim eiufmodi ſunt, vt ab  
aliquibus Adiaſphorice ſectæ confederatis non pro-  
bentur: ac nobis moleſtum eſt, omnes peræque his  
falſis dogmatibus eſſe commaculatos. Ac fere affir-  
mare poſſumus eos qui maximã admiſerunt in Adia-  
phorico negotio culpam, nunc tacere abſterſoque  
labello abire, neque vlllo affici impedimento, quali  
de nullo vnquàm turbato fonte conſcire ſibi poſ-  
ſint, cum tamen integram formulam Interſtiticam  
amplexi totam ſuam doctrinam ad illius amuſſim  
comparauerint: & tamen dedolere atque obliuiſci  
poſſunt, & propemodum minimè redarguuntur.

Cum igitur Adiaſphorica ſecta longè lateque diſſe-  
minata ſit, & diuerſis in locis ſerpat, non eſt æquum,  
cum de ea cenſetur aliquid, vnã aliquam provin-  
ciam

ciam vel oppidum id ad se transferre, sed omnes perstringuntur quicumque in hac causa, languide vel parum prudenter egerunt ut doleant omnes de admissio peccato, & veniam à Deo petant, deinceps reconciliantur Ecclesie, medeantur scandalo, inuectos errores propulsent. Ceteri similiter, quos Deus tempore tentationis confirmavit, lapsos clementer recipiant, neque indignis modis grauentur, ne plus quam Christiana dilectio & pius affectus, appareant simultates, invidia, odium, contemptus, cogitantes, multos esse ex illorum numero, qui maligne & insperato pertracti sunt ad novas deliberationes. Notum est enim à quibus hominibus coacti sint discedere à pristina constantia, & quantis verborum illecebris aulicisque insidijs persuasi ut scribere & facere inciperent, quæ minimè oportebat. Constat item, quinam sint, qui hæc nobis mutationes per suas formulas atque reformationes seu deformationes potius Interisticas pararunt, & improvidioribus non nihil Theologis exhibentes, ad amplectendum eas ratione multorum & insignium commodorum quæ inde extarent, hortatores fuerunt. Quosdam etiam Principes excusare possumus, qui suis illis mandatis quibus conciliationem postularunt, mutationes doctrinæ non quæsierunt, sed nunquid salva conscientia in externis ceremonijs largiri possent, consuluerunt. Quod autem postea maiores mutationes consecutæ sunt & quædam pro adiaphoris tradita, quæ non erant, illis imputandum est, qui mandata principum amplius extenderunt, quam oportuit. Ac miramur, tanto artificio & calliditate diabolum in his actionibus usum fuisse, vix ut animad-

## DE CONTROVERSA

uerti possit in multis locis, quemadmodum & per quos mutationes doctrinae irreperint. Tunc enim multi homines ita erant externae pacis cupidi, & persecutionis Papisticae pertæsi, ut nescirent ipsi quid agerent.

Tum autem Adiaphorici doctores magis expectent pacem & concordiam, cum intelligere volent & animo putare suo, quanta incommoda & mala secuta sint in ecclesia post suas illas actiones, quanta item accidere deinceps possint. Primum enim negari non potest, malum exemplum posteritati propositum esse siqua venturis temporibus accidet persecutio, ut & ipsi similiter agant languide, unde similia oriuntur certamina & offensiones. Deinde Papistæ supra modum confirmati sunt in impietate sua, quibus alio qui ratione constantiæ nostræ perpetua fuisset dubitatio de sua religione. Tertio, infirmi quidam nostræ religionis homines, ita sunt offensi nostra inconstantia, ita labefactati & prosecti, ut multi de veritate nostræ doctrinae ambigere, multi eam deserere ceperint. Quarto, ita sunt distracti per has actiones Theologorum animi, ut metuenda sint in futurum maiora mala. Vbi enim Theologi non consentiunt, tandem veritas doctrinae corrumpitur, verus usus sacramentorum & totus pietatis Christianæ cultus amittitur. Quinto, nihil certius expectari potest ex his actionibus Adiaphoricis, quæ ut & alios nobis errores pariant, sicut est error hæcundus. Sexto, hæc certamina ita inoleuerunt in iuniorum Theologorum animis, ut nulla ferè spes sit concordia apud posteritatem, & ita rursus aliud ex alio malum.

Septimò,

Septimò, nisi sublata erunt priuata nostra atque interestina certamina ( quod oramus Deum, vt statim fiat ) omnes occasiones conuersionis adimentur Papistis & alijs nondū conuersis, & ita per nostras contentiones & rixas regnum Christi impediatur. Octauò, nostri infirmi hærebunt in dubio & perturbatione, & simul aperietur eis magna fenestra ad defectionem. Nonò, animantur Papistæ, vt maiori confidentia persequantur Christianos ea spe, quòd necessario tandem ad ipsos accessuri simus, cum regnum inter se distractum diuturnū & perpetuum esse non possit. Decimò, doctrina de Adiaphoris semper erit velamen omnium falsorum dogmatum, quæ iam irreperunt, quæque postea excogitabuntur ad palliandos eos & ornandos. Cætera incommoda quorum est magnus numerus nunc omitemus.

Si ergo Adiaphorici doctores his incommodis non mouentur, quò sint propensiores ad sopiendas turbas, vt tollatur scandalum & exoptatissima nobis pax reflorescat, moueantur sanè contrarijs commodis, quæ sublata discordia redibunt ad Ecclesiam. Primum enim aboleretur exemplum prauæ imitationis, & admoneretur Ecclesia, vt aliàs cautius & prouidentius ageret tempore persecutionis, non facile assentiretur fraudibus nec admitteret mutationes, sed audentius contrairet, neque ad dexteram neque sinistram declinaret, neque occasionem daret perniciosæ dissipationis. Deinde, Papistæ fractiori essent animo, & dubitarent de sua religione, ac tandem rebus desperatis eam desererent.

## DE CONTROVERSIÀ

Tertiò, nostri infirmi quibus datum est scandalum, vt dubitare de doctrina cœperint, resurgent & corroborabuntur. Quarto, coniungentur animi Theologorum, & pacem inter se colent, ad gloriam Dei & immensam Ecclesiæ utilitatem multa facient & dicent utilissima. Quintò, noui errores & falsa dogmata nullum habebunt amplius locum, sed intercedent prorsus, neque occasionem habebunt petulantia ingenia deinceps alia fingendi noua. Sextò iuniores Theologi ad exemplum seniorum illorum qui adhuc sunt superstites, pacis & concordie amantes erunt, & omnia dissidia & certamina cauebunt. Septimò, dabitur occasio Papistis resipiscendi. Nostra enim coniunctione nihil est efficacius ad conuertendos Papistas. Octauò, nostri desinent dubitare & deficere à vera doctrina. Nonò, desinent & Papistæ vltra tam vehementer persequi Christianos, & eorum spes penitus contabescant. Decimò, doctrina de rebus Adia phorís non erit amplius velum nequitie, & quis omnes utilitates potest recensere? Tempus verò plures dabit, quàm quisquàm nunc excogitare queat.

Eadem porrò & commoda & incommoda nihil minus consideret etiam altera pars, quæ aliquantò stetit fortius, neque omnia ad vnguem rescanda suscipiat & iure peragenda, ne nimium res exulceratæ insuper exagitentur, & præsentí malo aliud peius malum offundatur. Pacifici enim interdum etiam de suo iure non nihil concedunt, salua tamen veritate, vt pacem & concordiam stabiliant. Debet igitur illud vniuersum, quod per imbecillitatem vel omissionem factum est, condonari, privati affectus,  
simul-

simultates & exacerbationes omnes deponi, quaerenda non nostra sed Dei gloria, non nostrae sed Ecclesiae utilitates, omnes iniuriae obliuioni reddendae, quantumuis dura sit talis iniuriarum amnestia.

Vt autem nihilominus, quod in hoc negotio peccatum est, postea in perpetuum caueatur, duo sunt, de quibus conuenire Theologis oportet. Primum, vt confessio veritatis deinceps tempore persecutio- nis edatur pura & sincera. Alterum, vt statuatur quid faciendum sit in rebus medijs futuris temporibus cum ab aduersarijs vel sollicitamur, vel affligimur.

### GENERALIS CONFESSIO DE

veris & vtilibus Adiaphoris.

De adiaphoris quae profunt ad disciplinam & vt omnia fiant in Ecclesia decenter & ordine, vel quibus aliquo modo verus cultus promouetur, non pugnamus, neque Dei beneficio in nostris Ecclesiis de his vlla est dubitatio, nullaque diuersitas, nisi quod aliae minus, aliae magis eas obseruant. Quia vero in his rebus indifferentibus facile peccari potest, tenendae sunt sequentes regulae.

#### PRIMA.

Adiaphora in ecclesia per se esse traditiones humanas, & propter ea veris cultibus non anumerandas. Sic etiam Christus discernit inter traditiones humanas & verum cultum Mat. 5. vbi citat dictum Esa. 29.

#### SECUNDA.

Ecclesiam non esse nimis onerandam rebus medijs. Vbi enim inualescunt humanae traditiones, ibi tandem verum cultum cedere oportet, cuius rei abunde suppeditat nobis Papatus exempla.

DE CONTROVERSA  
TERTIA.

Quoniam adiaphora neque præcepit Deus neque prohibuit, non sunt ponendi hominibus laquei neque vulnerandæ conscientiæ, sicut docet Apostolus 1. Corinth. 7. Non ut laqueum vobis iniiciam.

QUARTA.

Ne in vniuersum & promiscue omnes traditiones humanæ habeantur pro Adiaphoris. Sola enim dicenda sunt Adiaphora, quæ Deus expressè neque mandauit, neque prohibuit, quæque per sese sine peccato vsurpari & omitti possunt. Eiusmodi non sunt sal. consecratus, aqua, ignis, cineres consecrati, quibus diabolus profligari, & quotidiani lapsus abstergi existimantur. Non enim ad hunc vsu neque condidit neque destinauit illas creaturas Deus: sed ut in seruiant utilitati nostræ, quò possimus inde agnoscere Deum, & cum gratiarū actione illis uti. 1. Tim. 4. Sed si per eas diabolus arcendus, & quotidiani lapsus eluendi sunt, ut docet agmen Pontificium, tum verò in perniciosam idolatriam vertitur, quam Deus prohibuit.

Eodem modo ritus vñctionis, confirmationis, eleuationis, adorationis, circumgestationis, non sunt Adiaphora, neque à Papistis adhuc in rebus indifferentibus censentur: sicut etiam Eusebius scribit, Ecclesiast. hist. lib. 6. cap. 43. confirmationem ita esse necessariam, ut absq; illa Nouatus spiritum sanctum habere non potuerit. Concilium item Aurelianense non agnoscit Christianum, nisi qui confirmatus est ab Episcopo & chrismo inunctus. Multitudo item Sacramentorum ab hominibus excogitata, in Ecclesia pontificia nuncq; pro re indifferenti habita est, sed pro necessario cultu, & ad remissionem peccatorum

vtili qua opinione adhuc in cœtu Pontificio infecti sunt homines, qui chrismo & oleo vtuntur.

De oleo Catechumenorum docuerunt, inesse ei potentiam & efficaciam ad profligandos diabolos.

Elevatio quoniã adorationẽ puocat, æq; est cultus Idolatrię atq; ipsa adoratio & circũgestatio sacrãeti.

Neque indifferens est, vti sacramento sub vna specie, vbi non est sub vtraq; sumendi copia, si tantum credatur (vt affirmant aliqui) sub vna specie tantundem accipi, quantum sub duabus.

Neque indifferentia sunt, auscultare missam Papiſticam, sacrificare idolis, faculas ardentes tenere manibus, gestare cœlos in processionibus.

Ergo non omnes ceremoniæ sunt adiaphora, quæ appellantur adiaphora. Vera sunt autem adiaphora, edere, bibere, radere, vngere, refecare, inclinare caput, geniculari, incedere, stare, cum similibus alijs.

#### QVINTA.

Quòd res indifferentes per se sine peccato vsurpare & negligere possimus, quæ est pars Christianæ libertatis, quam tueri vtiq; debemus iuxta verba apostoli: State in libertate, in qua Deus vos vocauit, neq; inuoluimini iugo seruitutis. Item magno redempti estis, nolite serui fieri hominum.

#### SEXTA.

Vera adiaphora debent esse libera, neq; obrudẽda sunt hominibus in detrimentũ libertatis Christianæ. Statim enim quando coguntur homines ad recipienda adiaphora, eaq; obruduntur tanq; res necessarię, amittunt suum verum titulum. Et talis coactio est tyrannis, quam & Irenæus in victore Episcopo Rom. valde reprehendit.

#### SEPTIMA.

Adiaphora quibus pura doctrina Euangelij con-



## DE CONTROVERSIÀ

taminatur, & propter quæ instituitur persecutio, nullo modo toleranda sunt, neque admittenda.

### OCTAVA.

Cum offensa est ecclesia rebus adiaphoricis, & quum est fieri reconciliationem.

### NONA.

Dissimilitudo adiaphororum prodest ad conservandam libertatem Christianam.

### DECIMA.

Quæ adiaphora verum cultum obscurant, opprimunt vel evertunt, merito rejiciuntur.

### VNDECIMA.

Quæ adiaphora verum cultum promouent, merito retinentur.

### DVODECIMA.

Inutiles, stultæ, ridiculæ, malæ traditiones, quæ in nostris Ecclesiis cessauerunt, nequaquam sub titulo adiaphorico instaurari debent, idque propter sequentes causas. Primum, quia non habemus mandatum Dei de instaurandis illis. Deinde quia hæ traditiones quæ successu temporis decreuerunt, magna ex parte in horribiles abusus accommodatæ fuerunt. Tertio turpe est erigere, quæ antea ex iusta causa deiecta sunt. Quarto, traditiones quæ iam cessant, sine offendiculo instaurari non possunt, quandoquidem tantum eis peperit abusus contemptum. Quinto, traditiones sublatae in nostris Ecclesiis non sunt verus cultus, neque in vniuersum profunt quicquam ad amplificationem regni Christi, neque ut omnia fiant decenter, honestè, ordinatè & tranquillè in cœtu Ecclesiæ,

Ecclesiæ, & multò minus ad adificationem Ecclesiæ, & ad conseruationem disciplinæ. Propterea meritò negliguntur. Sexto, infirmis datur malum exemplum, possent aliqui dubitare de veritate & certitudine doctrinæ, aliqui totam religionem inciperent contemnere, alij deficere. Septimo, impij confirmantur in impietate sua, & à conuersione retrahuntur. Octauo, damnamus nos ipsos, & obijcimus tyrannidi ac persecutioni hostium, quasi contumaciter & sine vlla iusta & necessaria causa abolitis illis traditionibus. Nonò periculosum est instaurare veteres traditiones etiam omisis abusibus, ne videlicet illi ex interuallo reserpant. Decimo, nihil hic inest comodi, & multiplex est damnum. Vndecimò, Ecclesia non est oneranda non necessarijs & inutilibus traditionibus. Duodecimo, non concedendum est, vt eripiatur nobis libertas Christiana in hac causa.

## REGVLAE QVAEDAM EX

libello Brentij de Adiaphoris.

## PRIMA.

Adiaphora neque bona sunt, neque mala respectu suo, sine conditione. Igitur bona conscientia fieri vel omitti possunt, Rom. 14. Hoc scio & certus sum in domino Iesu, quod nihil sit immundum per se. 1. Corinth. 7. Circumcisio nihil est, sed impletio præceptorum Dei.

## SECUNDA.

Adiaphora ex suis conditionibus iudicanda sunt. Si enim bona est conditio, bonum est etiam adiaphoron, & mandata eius observatio. Sin autem conditio

Nn est

## DE CONTROVERSIÀ

est mala, malum est etiã adia phoron, & prohibita eius obseruatio. Ita circumcisio est adia phoron, quod fieri vel omitti potest. Fieri tamẽ potest & debet, cum conditio eius sua natura bona est, veluti cum proximo aliqua inde potest existere utilitas, qua regnum Christi amplificatur, tum verò bonum est opus & mandatum, quia dilectio Christiana, quæ circumcissioni adheret, sua natura est bonum opus. Et proinde Pau. circumcidit Tim. Act. 16. TERTIA.

Vbi & natura & conditio rei mala sunt, ibi & adia phora sunt mala: veluti quando per circumcissionem gloria Christi, & ipsa doctrina Euangelij detrimentum capit, & frater offenditur, tum circumcisio malum est opus. Propterea Titum Paulus circumcidi noluit: & porrò ad Galatas dicit: Si circumcidamini nihil vobis prodest Christus, hoc est, negatis Christum.

### QUARTA.

Primum cum conuertit homines per sanam euangelij doctrinam possunt, vtile est & bonum aliquandiu retinere papistarum adia phora, propter infirmos, ne offendantur, sed per infirmitatem sanitati restituantur. Sed cum euangelium cœpit potenter illucescere, & infirmi qui ad sanitatem redierunt, ferre potuerint vt impij & insinceri abusus tollerentur, & in veros & bonos vsus conuerterentur: ibi non sunt restituendi ritus antea sublati, neq; sinendũ, vt adigamure d, mul tò minus ferendũ, vt sint laqueus conscientie Col. 2.

### QUINTA.

Vbi dilectio & fides periclitantur, neq; vi neq; vilo modo ad recipienda adia phora perPELLI debemus. Si vero perPELLIMUR, negatur Christus & euangelium, sicut Paulus dicit de circumcissione. Si circumcidamini nihil vobis prodest Christus. SEX.

## SEXTA.

Nouitius Christianus extra persecutionem & tentationem sola dilectione cognoscitur, Ioh. 13. In persecutione vel tentatione, sola confessione & constantia cognoscitur. SEPTIMA.

Tertulliani temporibus iniquum habebatur gestare sertum siue corollam capite, & cum gentilibus thura in ignem iniicere, non propter ipsa hæc opera, quæ per se adiaphora erant, sed quòd apud gentiles adiuncta eis erat confessio idolatrica. Ita multa negligenda sunt Adiaphora, propter impiam conditionem, quæ illis annexa est, ne vera confessio periclitetur.

## OCTAVA.

Etiam si politicus magistratus postulat recipi adiaphora tanquam politicas constitutiones, & res externas, e quibus tamen scandalum & contumelia euangelij exoritur: non sunt recipienda, & in hoc imitari debemus socios Danielis, de quibus ille cap. 1. narrat quod mandauerit eis Nebucadnezarus ut prostrati in genua reuenter adorarent statuam Babilonicam. Ipsi uero recusabant, neque morabatur eos quicquam, quòd externus ritus geniculationis & similes essent adiaphora. Causa uero recusatae obedientiae erat, ne propter adorationem viderentur abnegasse fidem. Sic etiam Daniel mandatum regium non solum contemnit, sed etiam aperit fenestras, ut omnes viderent, se scientem & prudentem impio aduersari edicto regis. Verum, propter hanc liberam confessionem obijcitur leonibus in spelunca, Dan. 6.

## NONA.

Quanta contumelia euangelium afficitur per abusione in libertatis Christianae, qua scandalum obijcitur infirmis, tanta afficitur contumelia, cum ad euitandum periculum negatur Christiana libertas, vel siletur de illa, vel prorsus relinquitur.

ALIAE

DE CONTROVERſIA  
ALIAE QVAEDAM REGVLAE  
de quibus ante hos recentes motus decre-  
tum eſt in Eccleſia.

PRIMA.

Nullam eſſe concedendam in gratiam aduerſario-  
rum mutationem externi cultus ſeu ceremoniarum,  
niſi prius nobiſcum conſentiant in fundamento, hoc  
eſt, in vera doctrina, & uſu Sacramentorum.

SECUNDA.

Tempore confeſſionis ceremonias non eſſe am-  
plius adiaphora & ne tantillum quidem in illis con-  
cedendum, ne labes aſpergatur confeſſioni, & liber-  
as Chriſtiana labefactetur.

TERTIA.

Contra obſtinatos veritatis hoſtes exercendam eſ-  
ſe Chriſtianam libertatem.

QVARTA.

Offendiculum infirmorum, quod exiſtit ex abne-  
gatione veritatis vel inconstantia in confeſſione,  
pluris faciendum eſſe, quam omnium hoſtium gra-  
tiam & benevolentiam.

QVINTA.

Omnibus temporibus cum inſtituuntur pacifica-  
tiones cum aduerſarijs, in primis conſiderandum eſſe  
conſilium & mentem ipſorum, quae non acquieſ-  
cit in conceſſione vel mutatione aliquorum  
rituum, ſed occaſionem quaerit, quem  
admodum tota doctrina oppri-  
matur & extingatur.

FINIS.

*In cruce vincendum, uiuit Deus, aſpice, uiues  
Tu ſimul, & dempto ſine beatus eris.*

NUNC QUIA PRIVATIM ECCLESIA  
 ditioſis Mansfeldicæ in doctrina de bonis ope-  
 ribus ſuſtinet quandam maleuolorum calumniam,  
 viſum fuit in calce huius commentarij ſubiicere Apo-  
 logiam illam, quam recens poſt diuturni temporis  
 tolerantiam, aduerſus illos, planè nobis extortam, in  
 lucem emiſimus.

## APOLOGIA DOCTORVM ET MINISTRORVM ECCLESIAE

Chriſti, quæ eſt in ditioſe Comitum Mans-  
 feltiorum, de calumnia, qua docere  
 dicuntur, Bona opera ocioſè,  
 cum ſatis eſt oportunum,  
 facienda eſſe.

GRATIAM DEI PER CHRISTVM. QVEM  
 Admodum nos doctores & miniſtri verbi in co-  
 mitatu Mansfeldenſi, ab eruditjs quibuſdam, maleuo-  
 liſ noſtris, tam in publicis lectionibus & in ſugge-  
 ſtu atque examinibus eorum qui petunt ordinatio-  
 nem, quam alibi priuatim, immeritò profeſſò & fal-  
 ſò proclamemur & accuſemur, ac ſi doceamus, Bona  
 opera, cum ſatis eſt oportunum, facienda eſſe, & ocio-  
 ſè, ſicut ocioſè quis balneas ingreditur: nemini iam  
 Chriſtiane lector, ignotum eſt. Non enim tantum in  
 frequentia ſtudioſorum & ad vulgus illi debacchan-  
 tur in nos, ſed etiam per ſcripta & epiſtolas apud  
 magnos principes nos traducunt.

Hanc ſiniſtram & temere excogitatam famam  
 aliquot annos patienter tolerauimus propter infeli-  
 citatem horum temporũ, in quibus nimis vſitatum eſt

## APOLOGIA

multis, vt viros bonos mendacijs & conuictijs onerent. Sperauimus etiam eandem famam per se cessaturam aliquando & extinctum iri, quandoquidem re ipsa nihil haberet veri, sicut dicitur comūni proverbio: Si caueatur à facto, facile remediū fit mendacio.

Quia verò nostra nos spe deiectos, & confictam illam de nobis famā indies crescere & amplius spargi videmus, adeò vt à principibus & dominis alijsq; viris honestis nobis id obijciatur, idcirco necessitate coacti sumus aliquid respondere, non tam propter nos ipsos vel vt vindictam nobis sumamus in aduersarios nostros, quàm vt nostra responsione honorem sancti ministerij & nostram simul innocentiam asseramus.

In primis autem hoc miramur, non pudere diabolum & homines malos horum mendaciorum quæ maliciosissimè de nobis excogitata sunt: nemo enim vnq; edocebit aut conuincet, quenq; ex nobis doctorem vel ministrum Ecclesiæ ita docuisse vel sentisse, Bona opera ociose facienda esse. Et vt amplius dicamus, nemo nostrum huiusmodi paradoxon vnquam somniauit, tantum abest vt publicè sparserit aut defendendum susceperit.

Deinde manifestum est apud omnes nos Dei beneficium (nihil enim nobis arrogamus) de bonis operibus à Deo præceptis tanquam de vero cultu gloriæ Dei seruiente, tam accuratè docere tanq; sedulo in nostris Ecclesijs, vt etiam paruam inde gratiam reportemus.

Tertiò, manifestum & hoc est, nos in hac celeberrima ditione comitatus Mansfeldensis vnâ cum sincera doctrina euangelij & integro vsu sacramentorum verocq; cultu, disciplinam habere Ecclesiasticam

eam bono ordine constitutam, vt publica peccata puniantur & e contrario timor Dei, & studium virtutis adolescat. Exercemus etiam poenas Ecclesiasticas ab ipso Christo & Apostolis in veteri Ecclesia institutas & vsurpatas. Propterea sine modo & fine conuitijs molestamur & quidem illorum potissimum, qui videri volunt auditores Euangelij, quibus verbum Dei tantum extremas auriculas vellicat & in lingua tantum hæsitat, neq; desistunt à peccatis, sed auditores Euangelij sunt, non factores.

Sed ita putamus, cum tam diligentes simus exactores seu ergo diocetæ honorum operum & discipline ecclesiasticæ in tantis dissipationibus & dissolutione honorum morum, diabolus hoc nobis dare præmij, & ideo, ne quisq; extet, qui in vrgēda disciplina & veris bonis operibus vestigia nostra sequatur, & vt suspectos nos faciat apud omnes tanq; qui bonā disciplinā & iusta opera nihil magnopere curemus. Atq; ita nos, qui maximè vrgemus bona opera & disciplinam (prudenter tamē & rectè) tolerare oportet hanc iniuriam & contumeliam, quod planè contrarium faciamus.

Verum nostris aduersarijs qui fingunt talia, nihil imprecamur alud vindictæ loco, q̄ vt ipsi præstent in hoc genere quantū nos præstamus & præstitimus hæcenus & præstituri sumus in hac ditione, tum deum fore confidimus, vt melior sit status ecclesiarū quibus ipsi præsent, & eandem capient mercedem, quam nos partim habemus, partim expectamus, si modo constanter in proposito perseuerabimus.

Quemadmodum Papistica propositio de bonis operibus ad salutem necessarijs permissioe quadam



## APOLOGIA

& pœna diuina per quendam Theologiae Doctorem  
 in hanc ditionem rursus inuecta sit, neminem igno-  
 rare putamus. Cum ergo ceteri doctores illius col-  
 legæ & alij animaduernerent illum aliquid monstri-  
 alere, non cessandum putarunt, quin huic malo sta-  
 tim succurrerent. Conuenerunt igitur hominem &  
 diligentissimè, vt abstineret, precati sunt: quod ille  
 promisit. Sed postea mutauit, neque quod promise-  
 rat ratum habuit, sed editis scriptis publicè suam opi-  
 nionem defendere & propugnare cepit. Aduer-  
 sus hanc eius defensionem nos libellum publicauimus,  
 qui sic inscriptus est: Iudicium, quòd hæc proposi-  
 tiones, Bona opera sunt necessaria ad salutem, & Im-  
 possibile est quenquam hominem sine operibus sal-  
 uari, neque sint utiles, neque necessaria, neque veræ,  
 neque sine scandalo doceri in Ecclesia possint. In eo  
 libello hæc insunt verba: Non satis est docere, mone-  
 re, audire, & loqui de bonis operibus, sed etiam fieri  
 debet ubi facultas, tempus & occasio postulat. Deinde  
 in actis Synodi Islebiana, quæ propter illas proposi-  
 tiones conuocata est, ita diximus: Fieri non potest,  
 quin homo iam saluatus per fidem ex gratia, faciat  
 bona opera & quidem externa, siquidem per ætatem  
 potest, & aliquid viuendi tempus habet reliquum.  
 Ex his duobus dictis (quemadmodum accepimus)  
 causam decerpunt maleuoli, tam sinistrè & malè de  
 nobis iudicandi, vt docere nos dicant, quòd bona  
 opera ubi tempus, id est, ocium est, facienda sint. Sed  
 hæc manifesta est calumnia & peruersa interpreta-  
 tio nostrorum verborum, quæ nihil sibi volunt aliud,  
 quàm infantes & ratione ætatis, item adultos qui in  
 agone conuertuntur & præueniuntur morte, non  
 posse

posse externa facere bona opera. Ergo si ad salutem necessaria sunt & sine bonis operibus nemo potest saluari: siquidem ea in externa & interna diuiduntur, tam infantibus præciditur salus, qui ætatis ratione non possunt externa facere bona opera, quàm adultis qui paulò ante extremum halitum conuertuntur: aut sequetur inde necessaria consequentia, tantum interna bona opera ad salutem necessaria esse. Id si conceditur, amplius sequitur, externa bona opera ad salutem frustra esse præcepta. Et quo pacto sic posset stare propositio illa de bonorum operum ad salutem necessitate? Nos autem certò statuimus, & infantulos & adultos qui paulò ante mortem conuertuntur, posse saluari, etiamsi ætatis ratione & quòd morte præuenti sunt, externa opera facere non potuerunt. Et idem illud fatentur etiam nostri maleuoli, qui passim & in omnibus suis scriptis contaminare nostram doctrinam conantur.

Ex hac nostra sententià facilè iudicabit lector, an rectè argumententur maleuoli nostri cum dicunt: Ecce, infantuli per ætatem, & adulti illi qui paulò ante mortem conuertuntur & præueniuntur morte, non possunt externa facere bona opera. Ergo sequitur, omnes homines qui sunt adulti & viuunt, bona opera facere debere ubi tempus postulat, id est, cum est ocium & prolubium. Si tyrunculus aliquis in schola ita concluderet, virgìs à magistro cæderetur, vel acriter obiurgaretur.

Vt autem Christianus lector satis manifestè & perspicuè nostram intelligat innocentiam, ipsi nos omnes & singuli reijcimus & damnamus, hanc do-

# APOLOGIA.

cendi formulam, quam nobis maleuoli tribuunt, quod bona opera facienda sint ociose cum vacat vel lubet, tanquam eiusmodi, quæ studium hominibus adimit bonorum operum, efficit securos, ignauos & segnes, liberum permittit hominibus, vtrum velint an nolint bona opera facere, præbet ansam omnibus flagitijs, & nocet studio virtutis & disciplinæ. Quod nos luimus vos ignorare, fratres & municipes æternæ ciuitatis, tum quia necessitas nos vrgebat, tum quia salus Ecclesiæ nobis curæ est: ac toto pectore precamur æternum patrem domini nostri Iesu

Christi, vt omnium Theologorum animos ad concordiam & pacem flestat. Amen. Islebi, An.

1559. die mensis

Iunij septi.

mo.

**NOMI.**

# NOMINA DOCTORVM

& ministrorum, qui huic Confessioni  
subscripserunt.

## ISLEBICI.

- Erasmus Sarcerius Superintendens.  
M. Andreas Theobaldus Archidiaconus ad S.  
Andream apud Islebios.  
M. Georgius Morgesternus, diaconus ibidem &  
Concionator aulae.  
Zacharias Prætorius.  
M. Ioachimus Hartmannus, pastor ab Helbra.  
Simon Sneiderus ab Helbra.  
Samuel Bornhusius à Bulebio.

## MANSFELDICI.

- Michael Cælius pastor & decanus in arce.  
M. Cyriacus Spangebergus Concionator.  
Pancratius Cunsdorffus à Vateroda.  
Iohannes Nouihagius à Lembachio.  
Iohannes Hugo, ab Anroda.  
Georgius Ianus à Totendorffio.  
Vuolfgangus Cosmannus, diaconus in arce Mans  
feldensi.

## HECSTETENSES.

- Georgius Birnebomus, pastor.  
Leonhartus Martmairus Concionator.  
Andreas Hopperottus diaconus.  
Andreas Vsnicus, à Vuidersteto.

## FRIDEBVRGICI.

- Andreas Heidericus à Gerbsteto, Decanus.  
Valentinus Hemmercus à Frideburgo.

Iohan

Iohannes Sternbergus à valle Frideburgica.  
Petrus Vuermannus à valle sancta.  
Matthæus Lagus ab Iluicio.  
Adrianus Eichelbrennerus à Finsteto.  
Laurentius Mauritius à Moledorfio.

### BORNSTETENSIS.

M. Balthasar Falckmarus Pastor.

### HELDRUNGICI.

Iohannes Sprungius Pastor & Decanus.

Iohannes Otho Diaconus.

M. Otho Bleitnerus, à superiori Heldrunga.

Laurentius Clettingus à Reinsdorfio.

Christophorus Cocus à Rhoda.

Christophorus Schiccius ab Olderslebio.

### ARTRIENSES.

M. Iohannes Benedictus Pastor & Decanus.

Andreas Diaconus.

Cyriacus Cramerus à Vogsteto.

Vuolfgangus Pfenterus à Schonfelto, concionator in arce Artriensi.

Thomas Tonna à Rittenburgo.

Valentinus Gruna à Iehouio.

Georgius Austriacus à conuallibus S. Catharinae & S. Nicolai.

### ARSTENIENSES.

Iohannes Schola à Quensteto, Decanus.

Andreas Langus à Silda.

Christophorus Cimmernolerus à Vuelfeslebio.

Stephanus Menglius ab Arnsteto.

Iohannes Celcus ab Alteroda.

Iohannes Hubertus ab Heida.

MORVN.

## MORVNGENSES.

Iohannes Colbebachius, Pastor & Decanus.  
Zachæus Apollo à Rotha.

## NEOGA TRESLEBICI.

Iohannes Chesselhacus Pastor.  
Christophorus Planus a Glota.

## D. FRIDERICVS REYBERVS

Pastor Ecclesie Christi in aede S. Petri apud Islebios, uir optimus & sincerus, qui docuit ibi circiter annos 46. cum perlegisset hanc nostram confessionem tempore morbi sui, professus est hanc esse genuinam & ueram doctrinam Christi, & suum nomen ascribi uoluit, ut extaret testimonium, se concordiam harum Ecclesiarum in uero intellectu scripturae sanctae consentientem ex animo tueri, & in ea sententia usq; ad ultimum uitae agonem perseuerare. Huius extremae uoluntatis multi nostrum erunt testes.

## CONTRA FALSOS

doctores.

## CANTICVM LVTHERI

Nach Gott von Nimel. ex Psal.

12. eiusdem generis rythmo translatum.

O sancte Deus aspice,

Quam paruus est eorum

Cœtus, qui toto pectore

Diligunt tuum uerbum.

Defecit & extincta est

Fides, nec ueritas potest

Habere locum ullum.

Tantum docent præstigias,

Insidiosa fraude.

Non

Non querunt quae sit veritas,  
Et sacro verbi fonte,  
Aliud fingit alius,  
Sic dissipatur grex tuus,  
Sub specie honesta,  
Excindat falsa dogmata  
Superbae Deus lingua,  
Quae palam dicit: Haec nostra  
Quis potest prohibere?  
Soli regnamus, ut quae nos  
Statuimus, proberis vos,  
Quis nobis est magister?  
Propterea dicit Deus:  
Exurgam contra hostes,  
Audiui pios gemitus  
Et lamentationes:  
Verbum tuebitur meum  
Credentes, atque praemium  
Salutis dabit illis.  
Probatum aurum septies  
Fornace fit sincerum.  
Sic & per singulos dies  
Est audiendum verbum.  
Spectatur fides per crucem,  
Ut plenam diffundat lucem  
Per orbem vniuersum.  
Hoc verbum Deus protege  
Ab omni dira peste.  
Neu nos quid mali, provide,  
Inuadat ac infestet.

Non

Malo

Malorum crescit rabies  
Vbi regnat impietas  
Magnificè triumphans.

DE CONCORDIA  
docentium.

Psal. 133. & 134.

Tam bona pax fratrum, tam suavis & utilis, vt quæ  
Pontificis vestem balsama læta rigant.  
Quiq; per Hermonij stillans decliua montis  
Ros matutinus Sionis arua rigat.  
Cuncta fluent illis, vt viuant tempus in omne,  
Et iussu venient prospera cuncta Dei.  
Ergo Deum serui Dominum celebrate, piasque  
Tollite suppliciter nocte dièque manus.  
Nos regat ille simul, nos protegat, arbiter æui,  
Mundi opifex, terræ conditor atque poli.  
ZACH. PRAET.

Fol. 23. versu 23. omissus est hic parag.

*Porro ne quis miretur nimium, unde hæc calumnia existat, quòd bona  
opera facienda sint, cum satis est oportuna, & pro cuiusque uoluntate:  
necessitas postulat, ut narrationem de hac re instituamus, ut discant alij  
quanta sit malitia diaboli & membrorum eius, quòd etiam rectè dicta ca  
lumniari & peruertere soleant.*

IOB. XIX.

Credo quòd redemptor meus uiuat.

ISLEBI

ABSOLVIT V. G.

8. Dec. an. 59.



Malorum crevit tabies  
Vbi regnat impietas  
Magnifice triumphans.

DE CONCORDIA

doceantur.

PAR. 2. 1. 1. A.

Tam bona pax fratrum, tam lauis & utilis, ut dicitur  
Pondus vestrum balsama terra rigant  
Quis per Hermon & illius declivia montis  
Ror maritimus Sicis arua rigat  
Cuncta fuerit illis, ut vivant tempus in omne  
Et iustu venient propterea cuncta Dei.  
Ergo Deum serui Dominum colite, & adque  
Tollite suppliciter nocte dieque manus.  
Nos regat ille simul, nos protegat arbiter auri,  
Mundi optet, & cetera conditor aique poli.  
NACH. PRABT.

Fol. 2. v. 1. 2. 3. omittes est hic paragra.

Porro natus in ista minima, unde hoc calumnia existat, quod bona  
Opera facienda sunt, cum sine illa oportunitate, & pro cuiusque voluntate  
necessaria possunt, in necessitate de hoc re insistantes, ut dicitur illi  
quod sit malitia de hoc, & mandatorum eius, quod etiam recte dicitur  
innuunt, & peruenire solent.

IOB. XIX.

Credo quod redemptor meus vivat.

ISLEBI

ABSOLVIT V. G.  
8. Decembris.



